BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ J. LAFFITTE, Banquier, rue du Mont-Blanc, n°. 11.

N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n°. 22, en face des Bains Chinois.

H. NICOLLE, Libraire, rue de Seine, n°. 12, Fbg. St.-Germain.

BARROIS l'aîné, Libraire, rue de Seine, n°. 10, Fbg. St.-Germ.

P. DIDOT l'aîné, Imprimeur du Roi, rue du Pont de Lodi, n°. 6.

F. DIDOT, Imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n°. 24.

C. L. F. PANCKOUCKE, Imprim.-Lib., rue des Poitevins, n°. 14.

DONDEY-DUPRÉ, Imprimeur-Libraire, rue St.-Louis, n°. 46, au Marais, et rue Neuve Saint-Marc, n°. 10.

FR. IGN. FOURNIER, Libraire, rue Mâcon, n°. 10.

AUG. RENOUARD, Libraire, rue Saint-André-des-Arcs, n°. 55.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

PUBLII OVIDII NASONIS

QUÆ EXTANT

OMNIA OPERA

EXCUDEBANT AUG.-FR. DONDEY-DUPRÉ, PATER,
ET PROSPER DONDEY-DUPRÉ, FILIUS.

LL
0965Am

PUBLIUS
OVIDIUS NASO

EX RECENSIONE

HEINSIO-BURMANNIANA

CUM

SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

QUIBUS SUAS ADDIDIT

JOHAN. AUG. AMAR

UNUS E PRÆFECTIS SERVANDÆ MAZARINÆÆ ET IN GALLIARUM UNIVERSITATE
HUMANIORUM LITERARUM EMERITUS PROFESSOR

VOLUMEN PRIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXX

20271
11/1/92

PRÆFATIO.

Prospicienti finem mihi constitutum est
vel deficere potius, quam desperare.
QUINTIL. XII, *Proem.*

VIRUM animo fingas, LECTOR HUMANISSIME, qui totus in perlegendis viatorum mirandis enarrationibus, et tot tantaque rerum miracula propriis oculis hauriendi cupiditate abductus, æstuat miser, angustiori in orbe captivus, qui millia tantum aliquot ipsi tradit peragranda. Nihil jam crepare noster, nisi longinquas peregrinationes: ridere terrores marinos, pericula, scopulos, syrtes, et quæcumque navigantibus imminent; nec ita formidandum illi vel ipsum naufragium, ut non tacita mente fieri velit, modo superstes aliquando narret. Quid plura? optatam tandem cymbam scandit levis; nec prius reducem speres, quam suam quoque antiquo orbi regionem addiderit. Voto tardius urbes primum, et portus recedunt; et morantes nimium ventos increpitat. Sed mox in patenti oceano deprensus, quum nihil jam ante oculos, *nisi pontus et aer,* quod susceperit æquor arandum, cœpit sensim intelligere, omnino dubius, quo numine vel ad relictum modo, vel ad petitum litus sit posthac adpulsurus. Quod si forte inter eundum oborta tempestas ingruerit, quæ navem et vectores

in illud discrimen adducat, unde vel ipsi naufrago vix pateat effugium, eo serius facti imprudentem pœnitebit, quod nullus jam sit corrigendis votis locus, et nunc exspectandum, quid de salute statuere ventis et mari libuerit.

Ne te, Lector, longius distineam, hæc de illo fabula ne quondam narretur, verendum est, quem inconsulta nimis ambitio in hoc quasi æquor Ovidianum immiserit præcipitem. Suscipienti quidem mihi opinione majorem edendi Nasonis provinciam multa arridebant, quæ impellerent; plura vero debuissent a proposito deterrere : sed hic, quod sæpius, factum est, ut ipsius rei novitate et illecebris captum fugeret quidquid inesset periculi; et nihil præter veneres cupidinesque mente præciperem, in enarrando poeta omnium amœnissimo simul et ingeniosissimo. Incitabat præterea ardor æmulus aliquid pro viribus in exigendum monumentum conferendi, quod sibi quondam Gallicæ Musæ proprium vindicarent. Puduisset rude jam donatum professorem stare otiosum, in frequenti omnium concursu, qui tam honorandi muneris subeundam partem undique sollicitabant. Nec dux agmini nostro deerat, qui dubiis fidem, vel desperantibus spem verbis adderet; et quo flagrabat ipse, studio cunctos incenderet. Accedebat ad hæc ipsius operis institutio, quæ, ut erat prima mente concepta, digestaque, non ita se difficilem præbebat, quam non aggrederetur vir quicumque a literis antiquis non alienus, et longo satis publice docendi usu cum illis Scriptoribus conversatus, qui *Classici* vulgo celebrantur. Quid enim sibi proposuerint, qui primi de hac BIBLIOTHECA

LATINA cogitaverunt, magni refert illos scire, quorum in manus inciderimus; ut si quid promissis majus protulerimus, congratulentur : si vero quid minus, æquo jure postulent.

Porro autem nostrum unicuique præscriptum incumbebat, 1°. ut textum exhiberet castigatissimum ; quod ut assequeretur, sive optimarum lectionum collatione, sive MSS. ope, si quos priores Editores vel ignorarint, vel neglexerint, cujusque arbitrio permittebatur. 2°. Ut in judicium addicerentur quicumque a renascentibus literis ad nos usque, Latinos Scriptores adnotationibus, commentariis et interpretatione illustrarunt, et quidquid inde succi et roboris posset exprimi, in nostrum opus transfusum influeret : ita tamen, ut suum ubique jus Editor novus retineret abbreviandi, ampliandi et corrigendi quidquid brevius longius-ve, aut mendose dictum deprehenderet. 3°. Denique (neque hoc provinciæ nostræ munus levissimum) ut quidquid ad sermonis sinceritatem et elegantiam spectaret, quidquid ad dictionis lepores vel etiam vitia, eo diligentius adnotaretur, quo pars ea criticæ interpretationis frequentius apud Commentatores desideratur. Hæc cunctis obeunda munia ; sed vario tamen modo, prout postularet, qui cuique Scriptor interpretandus obtigisset : unde fit, ut ad eumdem finem, sed diverso itinere, pariter omnes contenderemus.

Quod quidem in curriculum licet promtior forsan, nec justis armis instructus descenderim, conabor tamen, ut si non *præcedentibus instantem* me spectatores plausu tollant et

favore, non increpitent saltem, *extremos inter euntem* (HOR.); et eo ridendum magis explodant, quo certiorem palmam præjudicaverint.

Habet enim peculiare hoc et fatale, quod decernendum nobis certamen, ut cum poeta res sit, quo non alius aditu facilior, non tactu mollior alius videatur : sed idem quam promtus et habilis in quaslibet sese formas vertere, Proteus alter; atque ita jamjam tenentis e manibus excidere, elabi, effluere, semper varius, nec ideo tamen sui unquam dissimilis! donec *tenacia vincla* magis ac magis contendens labor improbus, victum coegerit, et artis immemorem in sese redire, et tandem hominis ore loqui! Quid enim aliud veteres voluisse credideris, quum suum Protea effinxerunt, nisi ut indicarent, qua arte et opera, rem omnium mobilissimam, poetam scilicet, teneremus?

Quid mirum igitur, quod tot interpretibus tam multa adhuc in Ovidio interpretanda exciderint! Qui tamen et quot viri nostrum hunc poetam, ab anno 1480, ad nostros usque dies, seu partim, seu totum susceperunt illustrandum! Ut enim Volscum, Calderinum, Hubertinum, Merulam et alios omittam, qui turbatas et exulantes Musas hospitio primi in Latio exceperunt, juverunt curis opibusque; et divinam ingenii flammam quasi in fomite sacro rapientes, fecerunt ut sensim varias Europæ partes eo lumine collustraret, quod ne unquam restinguatur, nihil jam nunc verendum est : ut illos, inquam, omittam, quorum opera emersit primum Ovidius e ruinis incendii, quo græca simul et romana urbanitas nuper conflagrarat, ad ætatem statim

devenio, quam *Aldinam* vocant, et quæ totum fere sæculum XVI complexa, eas criticæ artis leges posuit, a quibus utinam non ita recessissent, qui postea! Fuerunt etenim qui ingeniosiorem certe, nulli vero, qui rectiorem ad interpretandos vel emendandos auctores viam paraverint: quæ laus eo major, quo pauciora ipsis, quibus propositum assequerentur, præsto essent subsidia; et acriorem sensum habere oportuit tum elegantiæ universæ, tum *characteris* unicuique auctorum proprii, ut, nullo fere duce, dignoscerent, quid genuinum, quid adulterum; ejiciendum quid ex operis contextu, quid in illum recipiendum esset.

Propria laus hæc *Andreæ Naugerii*, qui primus socias in edendo Nasone curas cum Aldis contulit: *Jacop. Micylli*, *Vict. Giselini*, sed præsertim *Herculis Ciofani*, (italice *Ciofano*), qui, quum et ipse Sulmonensis esset, in eo versari patriæ laudis partem haud exiguam existimavit, si poetam Sulmonensem civibus suis castigatum, et commode satis illustratum restitueret. Nec spem eventus fefellit; et quæ Nasone merito gloriatur civitas, æque gaudet dignum poeta suo interpretem *Ciofanum* invenisse.

Hoc interesse discriminis inter illius ætatis, et qui subsequuti sunt commentatores, animadverti, quod modestius de se ipsi priores sentiant; et si quid interdum de suo proferant, sobrie semper, nec ad ostentationem sui, sed tantum ad illustrationem rei. Nusquam illos deprehendas dictatoria voce exclamantes: *Sic legendum! sic profecto Naso scripsisset;* etc. multoque minus auctorem ipsum pro libidine perturbantes, ut dicat quid illi dicendum statuerint, quia

scilicet sic ipsi dixissent! quod summum est temeritatis, quum non ineptiæ. Illi vero de quibus hic sermo, quo certiores, eo timidi magis ac dubii; et æqua lectorem scriptoremque reverentia prosequuti, nihil unquam, nisi cum bona utriusque venia, sibi proponunt immutandum : ita ut suadere, et monere potius, quam docere videantur et imperitare. *Naugerius* quidem nec rarus in conjiciendo, nec infelix : ipsum tamen audiamus, excusantem se in præfatiuncula quadam, quod, suffragante nullo exemplari, nescio quid, licet momenti admodum levis, in textum sivisset irrepere. « Quoniam, inquit, *pauca* quædam, (quamvis *subtimide* id, et *parce admodum* fecimus) immutavimus, illorum admonere lectorem voluimus, ne quis forte id suspicetur, quæ nos emendavimus, ex veterum librorum auctoritate emendata. » Quod hic *Naugerius*, centies alibi *Micyllus*, *Ciofanus*, et alii quoscumque pudor tenuit, sese in auctoris ipsius locum arroganter sufficiendi.

Quamquam illa ipsa veterum librorum auctoritas non dux ubique ita fidelis, quæ non sequentes a recta via aliquando deducat; et, nisi amica lux in hoc veluti *Lectionum variarum* quadrivio trepidantibus affulgeat repentina, quam verendum, ne, quo plures ad verum viæ, eo facilior in errorem prolapsus! Lux autem quam dico, quid aliud est, nisi sagacitas quædam ingenii, et quasi tactus mollis ac delicatus, qui vulnus, ubicumque lateat, certus deprehendat, nec certe minus sanandum suscipiat? Plene hæc omnia *Bersmanno* contigerant, qui vir, nisi turbæ religionis causa obortæ a studiis frequentius abstraxissent, et loco etiam

sæpe movissent, quantum P. Ovidio cæterisque profuisset, testantur ipsæ, quas exemplarium suorum marginibus insperserat, notulæ.

Sed quod ipse efficere non potuerat, perficiendum ætas proxima servabat uni ex illis, qui longioribus quidem intervallis rari apparent, ut quod natura in rerum physicarum ordine, id vel in orbe literario interdum experiri velle videatur. NICOLAUM HEINSIUM uno jam ore omnes conclamarunt. Quis enim alius menti prior obvenerit, qui doctius ingeniosius-ve de Nasone nostro meruerit?

Proluserat jam pater Ovidianæ recensioni, quam dignissimus tali patre filius perficiendam et educandam e paterno gremio excepit; quo quidem nihil Ovidio et poeseos latinæ cultoribus poterat contingere felicius. Etenim a pueritia captus poetarum dulcedine Nicolaus Heinsius, ita omnes, inprimisque Nasonem combiberat, ut nihil eum quicquam fugeret, quod uspiam esset reconditæ elegantiæ, et exquisitioris latinitatis. Omnes sermonis poetici figuras, quantumvis raras et a consuetudine pedestris sermonis abhorrentes, callebat, ut nemo ætatis suæ; neque id memoria tantum, ut sæpe fit; sed et usu proprio. Nam et ipse poeta fuit inter recentiores e principibus, nec ipsis antiquis omnino non comparandus: in quo quidem non exiguum inesse adjumentum ad poetas veteres recte corrigendos, vel interpretandos feliciter, sunt qui jure existiment. Quomodo enim quid in scribendo senserint, sensisse te credam, si, quo ipsi incalescebant, Deo quoque non interdum incalueris? Quomodo miram hanc metricæ artis doctrinam

exposueris, si non et ipse metricas leges quandoque subieris? Quis denique melius, quam qui fecit, quid alii fecerint intelliget, intelligendumque cæteris exhibebit? His igitur tot ac tantis, et tam raro in uno homine concurrentibus bonis instructus, quid mirum, si plus in poetis expoliendis illustrandisque præstitit Heinsius, quam quisquam ante vel etiam post ipsum præstitisse reperiatur? Ovidium præ cæteris dilexisse probant et textus curiosa admodum recensio, et notarum ubertas copiosa : quas tamen non primum edidit, quales nunc habemus, repente ab inchoata vix editione ad Suecicam legationem a Republica sua evocatus.

Sed ne quid Heinsiani Ovidii fortunæ deesset, evenit ut tanti pretii reliquiæ in manus inciderent *P. Burmanni*, post Heinsium viri in tractandis poetis celebratissimi, et jam tum editionem meditantis, cui nec majus certe, nec opportunius poterat ornamentum accedere. Qua quidem accessione an ita absolutum opus visum sit Heinsio, ut nihil ultra vel mutare, vel addere cuperet, vix pro certo dicere audet Cl. Vir, *Joh. Aug. Ernesti.* Certius ego dicam, non ita sibi, ut erat ingenii acumine et judicio excellens, Burmannianum studium gratulatum fuisse. Hunc ego contra crediderim, si doctiori viro collectas undique notas, observationes et commentarios in unam molem conflanti improvisus in Musæo adstitisset, hoc fere modo locutum :

« Caveas, Burmanne, quæso, ne, dum laudi meæ in-
» servis studiosius, nec Ovidianæ, nec tuæ ipsius parcas
» satis! Putasne me, si, qualem animo conceperam, Ovidii

» editionem licuisset conficere, omnia hæc quæ tot per
» annos, tamque operose ad hunc finem congesseram,
» temere in eam ita effusurum, ut e tanta erumpentium
» undique commentariorum exundatione vix enataret Naso,
» pæne naufragus? Næ tu certe quid voluerim parum
» videaris intellexisse, qui hanc mihi fuisse mentem credi-
» deris! Putasne, quidquid locum quemdam adnotanti
» ex Ovidio, Marone, aut Flacco, memoria suppeditaret,
» eo me consilio comparasse, ut horum nihil omnino lec-
» tori periret; et quum unius alteriusve exempli auctoritate
» dubius locus satis muniretur, ad satietatem usque exem-
» plis exempla additurum, quæ nihil probant, nisi hoc
» unum, Heinsium scilicet poetas omnes perlegisse, et
» memoria tenere? Miserabile quidem, ne turpe dicam,
» laudis genus, et cuilibet obvium nimis, quam quod ego
» pueriliter ambiissem! Cui enim non patent auctorum
» Indices et Lexica? Delectum, crede mihi, et severissimum
» quidem habuissem; et paucioribus admodum ex illis pe-
» percissem, quæ feliciter satis aliquando, sed non semel
» audacius, conjiciendi libido tentaverat. Nam quod im-
» patienter feras vel in Statium aut Claudianum, quî
» tuleris patientius in ipsum Ovidium? Terret me, fateor
» equidem, quod inscius in posterum exemplum dedi te-
» meritatis et licentiæ *; et veniant modo unus et alter,

* Quum prælis hæc jam subjeceram, incidit in manus Fasciculus primus *Diarii Classici*, Hermetis nomine evulgati, ab uno e Professoribus Academiæ Parisiensis clarissimo (Fr. G. Pottier), ea mente præsertim, ut latinæ linguæ principes ab insolenti, quam hic insector, innovandi prurigine vindicet.

» qui me, ut mos est imitantium, certent audacia superare,
» nihil jam in antiquitate certum video et exploratum : nec
» Ovidii Ovidium, sed Heinsii, Burmanni et aliorum ne-
» potes legent. Vis denique id omne dicam quod sentio ?
» Præstet quodam modo mendosa remanere loca quædam,
» et pro mendosis legi, quam incertis emendationibus, vel
» meis, immutari. »

Quod Burmanno Heinsius fingitur hic dixisse, dictum puta, Lector, recentiori cuilibet Nasonis interpreti, cujus præcipuum nunc munus ordine meliori, quæ indigesta digerere, coercere prolixiora, inutilia omnino abolere, et vel in probatis modum quemdam et sobrietatem adhibere, unde sit iis locus, quæ de suo addenda censuerit; sed hæc quoque parce admodum, ne *ducat in vitium* ipsius *culpæ fuga*. Sunt enim partes ita suis numeris absolutæ, apud criticos ætatum superiorum, ut summa cum veneratione quales sunt, tales excipiendæ, servandæque. Quis enim nostrum doctiorem se tot doctis viris, vel latine scire melius, immutata fronte, jactitaverit, quam qui, facto quasi cum suis divortio, toti in Romam antiquam emigraverant ? Quod spectat igitur ad MSS. inter se collationem, quorum ipsis undique copia, et ad verborum interpretationem *e literis*, punctum omnino tulerunt; sed tollendum aliis plerumque reliquerunt, ubi sensus enucleandus, qui lateat abstrusior; ubi evolvenda rerum series et sententiarum connexio; evulgandumque poetæ in scribendo artificium, vel ingenii vis in imaginando. Uno verbo : quæ nullius aut minoris momenti, verbosius explicant; quæ vero gra-

viora, vel negligunt prorsus, aut vix tentata, relinquunt aliis tentanda; ita ut paulo dubius magis hæreat Lector et incertus, quam si nulla omnino lux illi adfulsisset. Nec plus inde sperandum auxilii est, poetæ ingenium explorare cupienti, et Musarum sacris initiari: quasi in hoc importuno poetici splendoris lumine caligent repente, qui modo tam perspicaci oculorum acie interiora grammatices excutiebant, et dissidentes inter se impressorum vel manuscriptorum librorum lectiones graviter adeo componebant! Scio equidem extitisse nonnullos interpretes, e quibus princeps eminet Cl. HEYNIUS, qui non ita se verbis addixerint, ut de rebus nullo modo sollicitarentur; sed et illis exprobratum nihil ultra criticam artem sic promovisse; neque doctis, nec politioribus viris æque fecisse satis. Rara adeo literaturæ elegantioris et eruditionis summæ concordia!

Quæ duo quam mediocriter in me conveniant, non monendum te, Lector, putavi, qui citius, vel reticente me, profecto intelliges; sed docendum, qua potissimum via propositum finem duxerim assequendum; ut quid ex aliis excerpendum, de meo quid addendum censuerim, uno quasi conspectu, dignoscas æstimator æquissimus.

Quum enim duo sint, quæ præsertim faciant, ut suum editioni cuicumque stet pretium, emendatio scilicet et interpretatio, videndum primo fuit quid in utramque partem subsidii ex illis sperandum esset, qui Nasonem primi emendandum tentaverunt et interpretandum.

Ac de emendatione quidem, nihil aliud meliusve agendum superesse mihi sum arbitratus, quam si, lectionum

varietatem, quam alii tanto opere, et tot e MSS. diligentissime inter se collatis, expresserant, in operis nostri utilitatem converterem, nec curas ultra protenderem, quum ipsi editori futuro prædixisse videantur : *non procedes amplius!* Quos enim seu propria, sive aliena opera consulendos adhibuerunt libros manu exaratos, vel typis impressos, nullus est dubitandi locus, quin summa religione inspexerint, suique fidem ea de re omnino faciant. Neque tamen ego me in verba vel magistrorum tantorum jurare adstrictum adeo existimavi, ut quidquid illi congesserint, nullo discrimine, examine nullo, in nostrum hoc opus quoque congererem ; sed ea tantum admitterem, unde nova lux ad ipsum auctorem redundaret, et refulgeret sententia, repercussis hinc et illinc opinionum luminibus illustrata. Qui delectus quidem, licet res omnium aspectu primo facillima, eo plus tamen in se difficultatis habuit, quo densior in Ovidium nox eo ipso ingruerat, quod, quum *dare lucem* plures cogitaverint, *fumum ex fulgore* dederint nonnulli, et res ita plerumque obscuraverint, ut solemne istud *fiat lux* non raro fuerit interpreti novo conclamandum. Sed duces aderant, quas dicunt primarias editiones, quæ dubium omne solverent, ubi dubitandi locus. Vix enim credibile, quot in errores pronum, quot et quam gravibus mendis scaturientem finxerint scriptorem omnium liquidissimum, eumdemque cultissimum, qui corrigendi, emendandi, restituendi Nasonis laudem sibi unice adrogabant. Laudandi sane, quum locos temporis injuria, vel librariorum priorum inscitia manifeste depravatos, MSS. subsi-

diantibus, in melius consanescere fecerunt. Nec diffitendum auxilio tali Nostrum sæpius indiguisse, qui vel ipsa ingenii luxurie et mira prorsus dicendi copia, latiorem, quam alius quicumque, conjicientibus campum præbuerit. Quis autem animo ferat æquiori Scaligerum, Douzam, Heinsium, Burmannum, vel alium quemvis e principibus in arte critica viris, Augustæum poetam audacius refingentem, et *male tornatos* (si quando sic videantur) *versus* non incudi modo reddentem ex professo, sed ita recudentem, ut ne unum quidem e priori lectione verbum, in recentiori sæpe deprehendas?

His igitur animadversis, contextum sic mihi statuendum proposui, ut *Heinsio-Burmannianæ* recensioni toties adhærerem, quoties non ita procul ab Ovidio recederet; quæ vero plus minusve feliciter conjecerunt, a textu procul in notas releganda curavi, ingeniosissimam virorum sagacitatem, et elegantiam prope Nasonianam haud semel demiratus; sed quo procederem longius, eo magis ratus non sic auctorem emendari, sed ita sensim deformari, ut vix ullum servet aliquando sui vestigium. Sed hæc de emendatione satis.

Quod vero ad interpretationem spectat, duplex genus esse dicam: res scilicet et verba; vel, ut ait Quintilianus, *quid* et *quomodo dicatur*. De verbis quidem, nihil est certe quod desideres; plura autem quæ tollas libentius, in tam copiosa *notarum* et *adnotationum* farragine, quæ, dum integras fere paginas obruunt, ipsum vix auctorem interdum sinunt apparere, et gurgite vasto non ita facile emergen-

tem. An non dicas interpretes, de quibus hic sermo, omnia, ut Plinii verbis utar, *ad ostentationem, ad conscientiam* autem pæne nihil retulisse? Quid enim sibi voluerunt aliud, dum toti in cumulandis exemplis, et locis undequaque evocandis, vel quum nihil prorsus faciunt ad locum illustrandum, nisi ut, *qua data porta,* rueret ventosum agmen, quod lectorem auctoremque eadem simul ruina opprimeret?

Sterilem hanc et intempestive luxuriantem eruditionis proluviem, eo magis compescendam curavi, quo senseram melius nihil inde utilitatis scriptorem, lectorem nihil unquam percepisse. « *Sibi* enim, *non legenti,* notas isti videntur compegisse. » Neque ego hæc, sed Clariss. HEYNIUS, cujus auctoritatem nullus est sane inter præstantes eruditione viros qui recuset, vel debeat recusare. Scio enim non æque apud omnes audire virum, qui novam interpretandi viam quum aperuerit, nec doctiorem se, sed doctum melius cæteris probaverit, eo ipso quod tentata res feliciter admodum cesserat, istorum genus omne in se concitavit, quibus tutius multo et facilius erat tritis jamdudum vestigiis insistere, quam iter operosum moliri in regionibus quas e longinquo tantum prospexerant, nobisque præmonstraverant Micyllus, Ciofanus et alii quidam ejusdem ætatis scriptores philologi.

Non defuerunt igitur Heynio laudis suæ detrectatores; sed inter conviciantium clamores malevolos, clarior in dies summi viri fama Europam omnem perlustrabat; et VIRGILIUM quasi redivivum, suoque jam splendore collucentem certabant populi, quis magnifico magis adparatu, et

elegantiori typorum forma exciperet adornandum. Hunc vero consensum, non criticæ rei, quam longius ille provexerat, utilem minus, quam ipsi Heynio gloriosum, exortum unde credideris, nisi ex eo quod nullius se disciplinæ potissimum addixerit; nec pro Germanis aut Batavis, sed unice pro Virgilio et ratione, vel contra Batavos et Germanos, sibi standum esse existimaverit?

Tanto duce, et auspice tam præclaro, viam ego quoque sum ingressus, quam tanta cum laude primus inierat; mihique præeuntem, passibus æmulis, licet iniquis, conabor sequi, amplam satis operæ mercedem relaturus, si non ita procul a magistro lassus inter eundum substiterim, et locum meruerim quondam obtinere, inter fama jam notissimos tanti viri discipulos. Quem igitur interpretandi Maronis modum tam feliciter adhibuerat, hunc ego Nasoni partim saltem accommodandum curavi, quia scilicet nihil occurrebat, quod melius cum proposito meo conveniret. Quum enim ea mihi mens fuisset, ut quidquid deliquisse alios deprehenderam, vitarem sedulus, faceremque, quantum in me esset, quod facere illi neglexerant, Virgiliani interpretis consilio ductus et exemplo, *Orationis poeticæ indolem ac causas inprimis enucleare* volui. — *A cumulandis exemplis abstinui.* * — *In elegantia autem et ornatu poetico*

* *A cumulandis* quidem; sed non ita tamen, ut lectori locos inviderim, quibus, ut ita dicam, innuebant loci Ovidiani; sicque non pauca ex Euripide, Sappho, Apollonio, Colutho, Musæo etc., ad Epistolas adduxi, PHÆDRÆ AD HIPPOLYTUM, MEDEÆ AD JASONEM, SAPPHUS AD PHAONEM, PARIDIS AD HELENAM etc. Neque hoc ad ornamentum modo, sed ut mutua luce sese res ipsæ illustrarent, suaque poetis laus staret præcipua, *prodesse* scilicet *et delectare*.

multum quoque referre censui, *an teneas causam ac modum figuratæ dictionis, inversæ structuræ, mutatæ vulgaris consuetudinis in exquisitiorem ac doctiorem, quæ poetam deceat* etc. * Hæc igitur volui, hæc tentavi : utrum autem bene tentanti sit successurum, vix habeo unde sperem, quum et ipsi Heynio somnus interdum in opere tam longo obrepserit.

Hoc unum te, Lector humanissime, oro, obtestorque, ut pro certo habeas nihil volenti aut inattento excidisse; nec indignum prorsus Nasone et viris doctis opus me editurum, si quantum in me studii et ardoris, tantum inesset artis et ingenii. Hoc quoque scire te, inprimisque tenere velim, non modo non ægre laturum censoris animadversionem; sed expostulare ex animo, ut quidquid peccaverim, moneas amice, nec peccanti parcius indulgeas, quam ipse mihi soleo parcere, ubi primum erroris commonefactus.

Hac ego me tibi lege totum committo, spe metuque trepidum; et quid de Nasone nostro senseris, anxie admodum exspectantem.

Firmat tamen aliquanto dubitantis animos opinio talem nunc prodire Ovidium, qualis nusquam e prælis adhuc exierit; et interpreti, si forte defecerit, subvenire auxiliares chartarum nitorem, et accuratam typorum elegantiam, quæ Typographi nostri nomen ** cum nominibus in hac arte celeberrimis late circumferet celebrandum. Quid vero Chartarum nitor, quid elegantia typorum, si

* E Præfatione tomi III, Edit. primæ; Nostræ vero, tom. I, pag. 27 et 28.

** MM. Dondey-Dupré, *père et fils*.

mendorum occursus frequentior moleste lectorem a proposito distrahat, et correctoris incuriam arguat, vel inscitiam? Partem hanc laboris nostri, eo magis operosam, quo faciliorem plerique prædicant, non libens modo, sed et alacris totam fere in sese recepit, mendorum exactor diligentissimus, Editor ipse, idemque quolibet in genere perfectionis captator merito ambitiosus. Nec parum debere me fateor curis et studio *Dondey-Dupré* junioris, qui optimarum literarum, a puero, lacte innutritus, specimen quodque non typographica tantum, sed et literaria sedulitate recognovit. De Græcis autem locis, unde solliciteris nihil erit, ubi rescieris inspexisse CL. BOISSONADE, quem sibi minus, quam cæteris, hellenicæ linguæ thesauros comparasse, experti plurimi; nullus forsan, animo gratiori.

Sic tantis nominibus commendatum prævium hoc Volumen benignus, Lector, accipias, ut quæ sequentur adparanti jam et desudanti, fidem simul animumque facias! Vale.

J. A. A.

PARISIIS,
in Ædibus Mazarinæis,
IV Id. Januar. MDCCCXX.

« Vitavit ergo, quoad potuit, tria quæ in interpretibus minus probabat. Primum est eorum vitium, qui aliud nihil præstant, nisi

quod *varietates quasdam lectionum*, emendationes *ex libris* aut *conjecturas*, et loca aliorum scriptorum similia, si forte occurrunt, proferunt; sed alto silentio innumera, quæ *interpretatione indigent*, prætermittunt.

Alterum vitium erat eorum, qui, quum ad scriptorem ipsum nihil habent quod dicant, in digressiones nihil ad rem facientes, dilabuntur, quibus intempestivam eruditionem ostentant....

Tertium delictum est eorum, qui seriem et nexum scriptorum nusquam ostendunt, ita ut lectores, eorum opera rerum connexionem nequaquam adsequi possint. » —Joann. Clericus, de vita ipsius et operibus, p. 117, sqq.

P. BURMANNI SECUNDI

AN

NASO PRIMUS

HEROIDUM EPISTOLAS CONSCRIPSERIT

QUÆSTIO CRITICA. *

.....« Quod autem N. Heinsius, initio notarum ad Nasonianas Heroidum Epistolas, ejusque auctoritate Brouckhusius, adfirmavit, » Epistolam Arethusæ ad Lycotam, quæ apud Propertium exstat, *ad imitationem Ovidii* conscriptam fuisse, ut illius nimirum exemplo simile scribendi genus æmularetur, invitus ab utroque rei poeticæ arbitro peritissimo dissentire cogor. Fundum opinionis ponunt in loco Nasonis, Art. Amat. III, 345:

> Vel tibi composita cantetur Epistola voce;
> Ignotum hoc aliis ille *novavit* opus.

Ubi *novavit* est ab aliis neglectum et omissum, *rursus in usum induxit*, non vero *primum invenisse* indicat, ut male hic Micyllus censet. Potius videtur statuendum, Ovidium, lecta hac una Propertii Elegia, excitatum fuisse, ut justum opus *Heroidum* aggrederetur; et, quum Propertius Romanæ feminæ Epistolam felici adeo successu scripserat, Nasonem, pro ubertate ingenii, excogitasse et composuisse Epistolas illustrium feminarum ex temporibus heroicis petitarum, quale opus aliis *ignotum*, se *novasse* sine falsa jactantia profiteri potuit. Huic argumento addit Vulpius (qui et in Prolego-

* Ad Propert. IV, Eleg. III, quæ est Arethusæ ad Lycotam Epistola.

menis suis ab Heinsii sententia dissentit) in secundis notarum curis rem optime hic agens, Ovidium similiter totam Eleg. VIII, lib. I Amor. quæ invectiva est in Dipsadem, imitatum fuisse, ex Propertii nostri Eleg. V, lib. IV, scriptam in similem Lenam Acanthidem; et Fastorum libros scribere cogitasse, quum valde ei placuissent nonnullæ Propertii Elegiæ de rerum romanarum origine, hoc in libro exstantes : quemadmodum Eleg. XVIII, lib. II, qua se multarum amoribus obnoxium profitetur Propertius, Ovidio simile argumentum, lib. II Amorum, Eleg. IV, suppeditasse, in Prolegomenis idem censet Vulpius.

« Sed controversiam omnem dirimit ætas Nasonis, qui loco insigni Trist. IV, Eleg. X, 45, testatur, Propertium sæpe Elegias sibi recitasse :

Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes;

Tibullum Gallo, Tibullo Propertium; se vero Propertio, in scribendis Elegis, successisse; quartumque ab his temporum serie fuisse. Quod quidem bis confirmat, Trist. lib. II, 445 :

Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo, etc.

Et lib. V, Eleg. I, 15 :

Delicias si quis lascivaque carmina quærit,
Præmoneo nunquam scripta quod ista legat :
Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris;
Aptior, ingenium come, Tibullus erit.

« Ex his igitur constare opinor, Propertium minime hac Elegia imitatum fuisse Ovidium; sed huic potius scribendi ampliorem dedisse materiem, quod præcipue patet innumeris locis, quæ ex Propertio passim imitatum esse Nasonem, toties in hoc commentario notavi. » etc.

PUBLII OVIDII NASONIS

HEROIDES.

EPISTOLÆ PRIMÆ

ARGUMENTUM.

Orto Trojano bello, ob raptam a Paride Helenam, habitoque a Græcis conventu, cogitur invitus Ulixes ad bellum proficisci, ibique non consilio minus, quam virtute inclaruit. Eversa tandem Troja, Græci victores reditum in patriam paraverunt: sed, quam læserant, Minerva, rapto scilicet Palladio, variis eos exagitavit procellis, adeo ut pauci, post varios errores, in patriam incolumes evaserint. Quos inter Ulixes per annos decem errabundus, varias orbis partes peragravit.

Penelope igitur ejus uxor, scribit hanc ei epistolam, qua in primis ut redeat monet; maxime, quum Troja eversa, cæterisque reversis, cunctandi solus causam non habeat *.

* Epistolam hanc græce vertit, versibus elegiacis, Carol. Utenhovius, primo *Allusionum* libro, p. 126. — Ovidianæ Græcam subjiciemus.

P. OVIDII NASONIS
HEROIDES.

Ignotum hoc aliis ille novavit opus.
(Art. Am. III, 346.)

EPISTOLA PRIMA.

PENELOPE ULIXI.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe :
Nil mihi rescribas ut tamen ; ipse veni.
Troja jacet certe, Danais invisa puellis.

N. B. Quæ nullius inscribuntur nomine, notæ sunt interpretis J. A. Am.

1. *Hanc.* Semel modo Ovidium hoc pronomine, subintellecta *epistola*, usum; Ciceronem quoque semel usurpasse, observat diligentissimus Vavassor, *De vi et usu quorumdam verborum.* p. 86. Burman. — *Lento.* Qui tardius redeas, scilicet Βραδυνόστῳ.

2. *Nil mihi rescribas ut tamen.* Omnes ante Heinsium edd. *Nil mihi rescribas : attamen ipse veni.* Unice vera est lectio a J. F. Gronovio prolata, Observat. I, 22. *Nil mihi rescribas ut tamen ;* quod recte sic Burmannus : *scribo quidem tibi lento et immemori, non ideo* tamen *ut rescribas mihi ; redi enim ipse potius.* Sed fideliter minus in sua editione repræsentavit, posito post *tamen* commate, quasi *ut* ab *ipse veni* penderet. Lenn. — *Attamen*, servata quam indicat Lennep interpunctione, censeam restituendum.

3. *Troja jacet certe, Danais invisa puellis.* Sic distinguendum putabat Hubertinus : *Troja jacet certe*, etc. ut sit non *certe jacet*, sed *certe invisa.* « Non enim necesse est affirmare Ulixi quod *Troja ja-*

Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.
O utinam tunc, cum Lacedæmona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis!
Non ego deserto jacuissem frigida lecto,
Nec quererer tardos ire relicta dies:
Nec mihi, quærenti spatiosam fallere noctem,
Lassaret viduas pendula tela manus.
Quando ego non timui graviora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
Nomine in Hectoreo pallida semper eram.
Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum,
Antilochus nostri causa timoris erat.

cet, qui hoc ipse optime sciebat ». Quod postremum arripiens Burmannus, pro *certe*, legendum conjecit *per te*. Ego vulgarem ut lectionem, ita distinctionem servandam puto. Sensus est : hoc *certe* mihi non objicies Trojam adhuc stare; Trojam etiam num in causa esse, cur reverti ad me non possis : *Troja jacet certe. — Danais invisa puellis*, ob diuturnam maritorum, dum illam obsiderent, absentiam.

4. *Vix Priamus tanti* etc. Ut tandiu absis, nimirum. Frustra igitur se exercent in hoc loco viri docti. Fuit cum et ego versum unum alterumque excidisse suspicarer; sed nullus excidit. Heins.

5. *O utinam* etc. Jure in Paridem invehitur, qui, cum Helenam rapuerit, tantorum causa malorum exstitit. Vel incogitanti in mentem redit celeberrimum Horatii carmen, I, Od. 13.

Pastor cum traheret etc.

9. *Spatiosam fallere noctem.* Oxoniensis et Lincolniensis, *spatiosas noctes.* Quod mihi præferendum videtur, quia præcesserunt *tardi dies;* neque nescio poetis sæpe singularem numerum probari; sed hic pluralem recipiendum censeo, quia de longa absentia queritur.

Ita Burmannus; sed contra Heinsii sententiam, ad v. 24; qui vir non eruditione Burmanno minor, præstat multo, tum elegantia, tum ingenii acumine, et non rara emendationum felicitate. Adsentitur et Lennep.

15. *Sive quis Antilochum* etc. Antilochum non ab Hectore, sed ab Auroræ filio Memnone interfectum auctor est Homerus, Od. Δ, 187; quem secuti Pindarus, Pythic. VI, 28, aliique scriptores, quos inter mythographus, auctor fabulæ in collectione, quæ sub Hygini nomine circumfertur. Unde pro vulgata lectione, Munckerus *Anchialum* reponere tentabat, ex Homer. Il. N, 185; *Amphimachum*, Scoppa, e Darete Phrygio, cap. 20.

16. *Causa timoris erat.* Francius in ora codicis sui conjecerat, *causa tremoris.* Non male; quæ vox sæpe

Sive Menœtiaden falsis cecidisse sub armis,
Flebam successu posse carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam;
Tlepolemi leto cura novata mea est.
Denique, quisquis erat castris jugulatus Achivis,
Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene consuluit casto Deus æquus amori:
Versa est in cinerem sospite Troja viro.
Argolici rediere duces: altaria fumant:
Ponitur ad patrios barbara præda Deos.
Grata ferunt Nymphæ pro salvis dona maritis:
Illi victa suis Troia fata canunt.
Mirantur justique senes, trepidæque puellæ:

cum *timore* fuit commutata. BURM.

17. *Menœtiaden.* Patroclum, Menœtii filium. Homer. Il. II, 827; Hygin. Fab. CVI. — *Falsis sub armis.* Non suis, sed Achillis, qui sua oranti ad propellendos Trojanos tradiderat. Ibid. 40.

19. *Lyciam... hastam.* Propter Sarpedonem Lyciæ regem, qui Tlepolemum interfecit, Il. E, 268; a Patroclo ipse postea interfectus, Π, 501. Ejus cadaver in Lyciam delatum describit Homerus, Ibid. 667. C.

20 *Tlepolemi leto* etc. Tlepolemus, Herculis ex Astyoche filius, ob Lycimnium, Herculis avunculum, quem imprudens occiderat, exul e patria, Rhodios duxit ad Trojæ obsidionem. Il. B, 653.

24. *Versa est in cinerem.* Sic libri septem, non *in cineres;* et rectius. Noster, Metam. II, 216:

Cumque suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt.

Ita et Horatius, III, od. 3. v. 18.

Ilion, Ilion,
Fatalis incestusque judex,
Et mulier peregrina vertit
In pulverem. HEINS.

25. *Argolici rediere duces.* Nestor quidem, Agamemnon et Menelaus; unde sollicita magis Penelope de sorte conjugis, qui, decem jam annis post excisam Trojam exactis, Ithacam nondum revisit.

27. *Grata ferunt Nymphæ. Nymphæ* aliquoties apud nostrum dicuntur heroici temporis puellæ, eæque nobiliores, cum nuptæ, tum innuptæ. Hic igitur intelliguntur virorum Græciæ principum ac nobiliorum uxores, cum quarum felici sorte suam viduitatem apte comparat Penelope. LEN.

28. *Victa suis.* Fatis, scilicet.

29. *Justique senes, trepidæque puellæ. Justi senes,* quia rerum experientia edocti, *suo* quæque pretio æstimant, et ea *mirantur* tantum, quæ vere miranda. Puellæ autem *trepidant,* quia vis imaginandi acrior, seu ætatem, seu sexum ipsum respexeris, veluti præsentibus, narratis facit interesse.

Narrantis conjux pendet ab ore viri.
Atque aliquis posita monstrat fera prœlia mensa,
Pingit et exiguo Pergama tota mero.
Hac ibat Simois; hic est Sigeia tellus;
Hic steterat Priami regia celsa senis.
Illic Æacides, illic tendebat Ulixes:
Hic lacer admissos terruit Hector equos.
Omnia namque tuo senior, te quærere misso,
Rettulerat nato Nestor; at ille mihi.
Rettulit et ferro Rhesumque Dolonaque cæsos;

30. *Narrantis conjux pendet ab ore viri.* Sic Virgil. Æn. IV, 79, de Didone, quæ

Iliacos iterum demens audire labores
Exposcit, *pendet*que iterum *narrantis ab ore.*

Lucretium uterque æmulatus, I, 36.

Pascit amore avidos inhians in te, Dea, visus;
Eque tuo *pendet* resupini spiritus *ore.*

32. *Pingit et exiguo Pergama tota mero.* Solebant Græci et Romani post cœnam crateras vini in mensam afferre; et multo habito sermone ad multam noctem somnum differre. Ex eo vino aliquid in mensam effundebant. Quem morem hic tangit Penelope, additque ab illis qui bello Trojano adfuerant, effuso in mensam vino signari loca, in quibus rem præcipue cum Trojanis habuerant. Tibul., I, Eleg. XI, 31:

Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et *in mensa pingere* castra *mero.* C.

33. *Hac ibat Simois, hic* etc. Virg. Æn. II, 29:

Hic Dolopum manus: hic sævus tendebat Achilles.
Classibus hic locus; hic acies certare solebant.

Eadem prorsus dicendi forma, sed non finis idem: fingit enim Naso, quæ revera describit Virgilius.

36. *Hic lacer admissos* etc. Extincto vix Hectore, undique circumfusi concurrerunt Græci, ut, qui tantum ipsis terrorem incusserat, propiores inspicerent; nec ullus, ait Homerus, Il. X', 369, adstitit, qui non suum illi vulnus infligeret:

Ἄλλοι οἵ περιδραμον υἷες Ἀχαιῶν.....
Οὐδ' ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρίστη.

Unde tam deformis et *lacer*, ut mirum non sit, tam fœdo aspectu vel ipsos equos *terruisse*, qui ad raptandum ab Achille incitarentur (*admissos*). Hoc enim sensu potest accipi vox *admittere*, et accepit Livius, II, 19. Quod licet obvium, et captu facile, non perspexisse videntur, qui in hunc locum longe adeo excurrerunt, tantumque desudarunt, ut, qui luce clarior, textum omnimodo torquerent vexarentque.

37. *Omnia namque tuo.... nato* etc. Observatum jam a viris doctis, *Miscellan. Observ.* vol. II, tom. I, p. 21, Ovidium hic Homero contradicere, qui profectum ad inquirendum patrem, inscia matre, Telemachum dicit. Odyss. B. Sed nullus video cur non redux matri, quæ Nestor ipsi, retulerit: ipsa fatente,

Rettulerat nato Nestor; at ille mihi.

39. *Rhesumque Dolonaque cæsos.* Rhesus rex Thraciæ, Trojanis opem

Utque sit hic somno proditus; ille, dolo.
Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum,
Thracia nocturno tangere castra dolo;
Totque simul mactare viros, adjutus ab uno.
At bene cautus eras, et memor ante mei.
Usque metu micuere sinus, dum victor amicum
Dictus es Ismariis isse per agmen equis.
Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
Ilios, et, murus quod fuit ante, solum,
Si maneo, qualis Troja durante manebam,
Virque mihi, demto fine carendus, abes?
Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant;

ferens, prima nocte ex longo itinere fatigatus, in ipsis tentoriis ab Ulixe et Diomede est interfectus. Il. K, 434 et sqq. De Dolone autem, ibid. 314.

40. *Utque sit hic somno proditus, ille dolo*, auctori *Electorum Etonensium* et Burmanno, in *Addendis* ad epistolas Heroidum, displicebat, propter eamdem proximi pentametri (42) clausulam. Non immerito tamen Burman. propositam a docto Britanno emendationem:

Utque sit hic somno proditus, ille *vigil*,

ut duriorem, improbavit. Probabilior certe conjectura viri doctissimi Medenbachii Wakkeri, pro *dolo*, *loco* reponentis. Nihil tamen mutandum: solent talia imprudentibus excidere. LENN.

42. *Tangere castra.* Id est, *pervenire in castra*, ut recte Burman. Exemplis ab eo allatis addas licet Senec. in Hercul. Fur. 422.

Inferna *tetigit*, posset ut supera assequi.

45. *Usque metu micuere sinus.* Male libri plurimi: *tremuere*, aut *timuere*, aut *tumuere*, aut *metuere*, aut *riguere*. Art. Amat. III, 722:

Pulsantur trepidi, *corde micante*, sinus;

et Tibullus, lib. I, Elegia XI, v. 12.

Nec tristia nossem
Arma, nec audissem, *corde micante*, tubas.

Plautus, Aulul. act. IV, sc. III, 3.

Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus *emicare*,

ubi digitorum *micationem*, ludum notissimum, respexit. HEINS. — *Dum victor amicum agmen* etc. Græcorum castra intelligit, quæ, Dolone Rhesoque cæsis, victor Ulixes repetiit. — *Ismariis equis.* Rhesi scilicet, qui dux Thracum: Ismaros enim mons et urbs Thraciæ. Malebat Francius, *per agmen Achivum*; sed, ut recte observat Burman., vox *amicum* ostendit timorem jam Penelopen deposuisse, cujus *metu sinus micuere*, donec victorem conjugem inter *amicos* reversum acceperit.

48. *Et, murus quod fuit ante, solum. Qua fuit ante solum*, malebat Heinsius, probante Burm. secundo, ad Lotichium, tom. I, p. 103. Mihi vulgatum magis poeticum videtur. LENN.

51. *Diruta sunt aliis* etc. Inveni codicem, in quo *eruta* legebatur,

Incola captivo quæ bove victor arat.
Jam seges est ubi Troja fuit; resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
Ossa: ruinosas occulit herba domos.
Victor abes; nec scire mihi, quæ causa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quisquis ad hæc vertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit;
Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva,
Misimus: incerta est fama remissa Pylo.
Misimus et Sparten: Sparte quoque nescia veri,
Quas habitas terras, aut ubi lentus abes.
Utilius starent etiam nunc mœnia Phœbi.
(Irascor votis heu levis ipsa meis!)

quod non probo. Sic *diruta urbs*, Senec. Quæst. nat. III, 2. et Agam. 651:

Mœnia Divûm fabricata manu,
Diruta nostra.

et Virgil. Æn. XI, 279:

Nec mihi cum Teucris ullum post *diruta* bellum
Pergama.

Sic enim legendum, ex veterrimo Vaticano codice, non *eruta*, ut in vulgatis. Et sane, quemadmodum plus est si *disjecta mœnia*, quam si *dejecta* dicamus, ita plus est *diruta*, quam *eruta*. HEINS.

55. *Curvis feriuntur aratris ossa.* Virgil. Georg. I, 496:

Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes.

Qui versus, quanto præstet Ovidiano, seu numerosam verborum dispositionem, seu delectum attenderit, nemo sane diu multumve quæsierit.

63. *Neleia arva.* In quibus *Neleus* regnavit, qui XII filios suscepit, ex quibus Nestor unus superstes. Homer. Il. A. Hygin. X. CIOFAN.

66. *Aut ubi lentus abes. Lentus agas*, in chartaceo Scriverii; quod præ vulgato placet, si *habites* quoque reposueris, ut in uno Mediceo exstat. HEINS.

68. *Irascor votis heu! levis ipsa meis.* Sensus est: cum prius optarim ut Trojam quamprimum everteretis, jam, mutata sententia, *meis* ipsa *votis irascor;* nam *utilius starent etiam nunc mœnia Phœbi.* Et sic jam olim viri docti exposuerunt. Sunt tamen, qui ita malint accipere, ut hic non *vota* pro excidio urbis Trojæ, sed illud reprehendat, quod antecedenti versu imprudenti exciderat, *utilius starent* etc. statim ipsa corrigens. Sed non videt Cl. Lennep quomodo *votum* illud dici possit.

Scirem ubi pugnares, et tantum bella timerem;
Et mea cum multis juncta querela foret.
Quid timeam, ignoro: timeo tamen omnia demens;
Et patet in curas area lata meas.
Quæcunque æquor habet, quæcunque pericula tellus,
Tam longæ causas suspicor esse moræ.
Hæc ego dum stulte meditor, (quæ vestra libido est!)
Esse peregrino captus amore potes.
Forsitan et narres, quam sit tibi rustica conjux,
Quæ tantum lanas non sinat esse rudes.
Fallar; et hoc crimen tenues vanescat in auras:
Neve, revertendi liber, abesse velis!
Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, et immensas increpat usque moras.
Increpet usque licet: tua sum, tua dicar oportet
Penelope: conjux semper Ulixis ero.
Ille tamen pietate mea, precibusque pudicis
Frangitur, et vires temperat ipse suas.
Dulichii, Samiique, et, quos tulit alta Zacynthos,

75. *Quæ vestra libido.* Exponendum de *libidine* omnium maritorum, quos tangit hic Penelope. Elegantem vero usum pronominis *Qui* in hac locutione, jam notavit Hubertinus. BURM.

76. *Esse peregrino captus amore potes.* Sua Penelopen fallebat suspicio: Circe etenim et Calypso Ulixen diu quidem, sed invitum, detinuerunt. Impeditus erat, non *captus*.

83. *Increpet usque licet* etc. Nescio an præferenda sit distinctio docti viri, in *Miscell. Observ.* vol VI, tom. I, p. 195; et Burm. secund. in Anthol. lat. I, p. 135.

Increpet usque licet; tua sum, tua dicar oportet:
Penelope conjux semper Ulixis ero.

Certe ut huic, ita vulgatæ postponenda est Heinsii interpunctio: *tua sum, tua dicar oportet Penelope conjux: semper Ulixis ero.* LENNEP.

Quanta vis, quantumque affectus insit in pronomine hoc repetito TUA *sum*, TUA *dicar* etc. noverint, qui absolutissimam hanc perfectæ conjugis effigiem et exemplar immortale, sua luce, suoque tempore æstimandum collocaverint. Sic ab ipso epistolæ exordio: *tua Penelope*.

85. *Precibusque pudicis frangitur.* Cedit victus pater precibus meis. Eo sensu Virgil. Æn. VII, 594:

Frangimur heu! fatis.

Pudicis. Pudicæ uxoris, quæ vel a *viduo lecto* non vult *discedere*.

86. *Vires temperat ipse suas.* Id est, sponte sua (*ipse*) de jure pa-

Turba ruunt in me luxuriosa proci :
Inque tua regnant, nullis prohibentibus, aula.
Viscera nostra, tuæ dilaniantur opes.
Quid tibi Pisandrum, Polybumque, Medontaque dirum,
Eurymachique avidas Antinoique manus ;
Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis ?
Irus egens, pecorisque Melanthius actor edendi,
Ultimus accedunt in tua damna pudor.
Tres sumus imbelles numero : sine viribus uxor,
Laertesque senex, Telemachusque puer.
Ille per insidias pæne est mihi nuper ademtus,

terno remittit, *vires temperat*. Male Heinsius, *temperat ira suas* ; nec rectius Burman. *temperat inde suas*. Vulgatæ igitur libenter, cum Lennep acquiescendum.

88. *Turba ruunt in me luxuriosa, proci*. Jure *turbam* dicit ; nam apud Hom. Od. II, 247, duo et quinquaginta e Dulichio ; e Samo viginti-quatuor : e Zacyntho viginti ; ex Ithaca vero duodecim venisse memorat Telemachus. *Proci* volunt quidam a *procare* derivari, quod est *lascivius appetere*. Ducebat Vossius, a προκίω, πρόκειμαι ; quasi προκείμενοι, aliis præpositi ; non enim ex infimis, qui Penelopes connubium ambirent. Rectius multo, a verbo *Precari*. — Nec prætermittenda singularis verbi *ruunt* efficacitas, quæ Horatianum quiddam sapit. *In me tota ruens Venus*. I, Od. 19. v. 9.

90. *Viscera nostra*. Opes, vel ipsis visceribus *meis* cariores, quia *tuæ*.

91. *Quid tibi Pisandrum, Polybumque, Medontaque dirum. Medontem*, quem virum optimum, eumdemque Telemachi studiosissimum ex Homero novimus, Od. X, 372, hic præ cæteris *dirum* appellari, est profecto quod miremur. *Polybum, Amphimedontaque* corrigebat Accursius ; et memoratur quidem *Amphimedon* inter procorum principes, Od. ibid. 242 ; et cum Polybo conjunctim, 284. Burmannus quoque secundus, ad Propert. IV Eleg. v. 7, *Amphimedonta* legendum censebat ; verum paulo hoc audacius. Lennep.

93. *Turpiter absens*. Turpe tibi longius abesse, quia regni, domus, uxoris et nati curam videris abjicere.

95. *Pecorisque Melanthius actor edendi*. Sic omnino legendum, non *auctor edendi*. Homero in Od. passim dicitur Μελάνθιος αἰπόλος αἰγῶν. *Auctorem* vero fuisse procis *pecoris edendi*, non recordor me legisse. — *Actor* hic, ab *agere* : qui *agebat edendum* pecus.

97. *Tres sumus imbelles numero* etc. Locum hunc Seneca in *Troad*. imitatus est, 506.

> En intuere turba quæ simus super,
> Tumulus, puer, captiva.

99. *Ille per insidias* etc. Quas Telemacho proci paraverant ; (Od. Δ,

Dum parat, invitis omnibus, ire Pylon.
Di precor hoc jubeant, ut, euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos!
Hoc faciunt custosque boum, longævaque nutrix;
Tertius, immundæ cura fidelis haræ.
Sed neque Laertes, ut qui sit inutilis armis,
Hostibus in mediis regna tenere valet.
Telemacho veniet, vivat modo, fortior ætas:
Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.
Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis.
Tu citius venias, portus et ara tuis.
Est tibi, sitque precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.
Respice Laerten : ut jam sua lumina condas,
Extremum fati sustinet ille diem.

sub fin. et II, 321.) quas omnes Palladis ope et auxilio vitavit.

101. *Euntibus ordine fatis.* Turbatur quippe fatorum ordo, quum filii ante patres moriuntur. Inde Tacitus, Annal. XVI, 4: « Servavit *ordinem* fortuna; ac senior prius, tum cui prima ætas, extinguuntur ».

103. *Hoc faciunt* etc. Quid si pro *hoc faciunt*, legamus *huc faciunt;* id est, has partes sequuntur; mihi, Laertæ et Telemacho contra procos favent: (Cicero, ad Atticum, VII, Ep. 3. « Omnes damnatos, omnes ignominia adfectos, omnes damnatione ignominiaque dignos *illuc facere* ». Id est, ad partes Cæsaris confugere) vel hunc versuum ordinem, turbatum admodum, sic constituamus, quod et jampridem tentaverat Dan. Heins.

Sed neque Laertes, ut qui sit inutilis armis,
Hostibus in mediis regna tenere valet.
Telemacho veniet (vivat modo) fortior ætas:
Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.
Hoc faciunt (*Telemachum, te absente, tuentur*)
Custosque boum, longævaque nutrix etc.
Nec mihi sunt vires etc. LEN.

Omnia hæc a fonte alieno detorta; sponte fluit interpretatio : *Hoc faciunt*, etc. id est, idem mecum *precantur*, scil. ut *Di jubeant*, etc.

110. *Portus et ara tuis.* Constanter nostri, *portus et aura.* Ciofanus notat e suis, *portus et ara;* quod verum est, sicque restituendum. De Pont. II, Eleg. VIII, 68.

Vos eritis nostræ *portus et ara* fugæ.

Cicero in Verrem, de Suppl. « hic *portus*, hæc arx, hæc *ara* sociorum ». HEINS.

114. *Extremum fati. Fatis* septem scripti, forte recte, ut intelligat diem a fatis scriptum. *Sustinet* vero est, *differt* ideo, ut veniens condas ejus lumina. Metam. X, 188:

Nunc animam admotis fugientem *sustinet* herbis.

BURM.

Certe ego, quæ fueram te discedente puella,
Protinus ut redeas, facta videbor anus.

116. *Protinus ut redeas.* Utcumque properes redire.

— *Facta videbor anus.* Levioris momenti cura, et quæ mulierculam potius, quam Ulixis conjugem deceat. Vix claudi poterat infelicius præclarissima alioquin Epistola; nec ullus erit lector, modo sana mens et rectum judicium, qui non incongruum certe cum cæteris hoc distichon, alii cuivis, quam Ovidio, libens adscripserit.

ΠΗΝΕΛΟΠΗ ΤΩ ΟΔΥΣΣΕΙ.

Σὴ τάδε Πηνελόπη βραδυνόῳ πέμπει, Ὀδυσσεῦ·
Οὔτι μοι ἀντιγράφοις, αὐτὸς ἵκοιο δέ σύ.
Τροίᾳ μὲν, Ἀργολίδεσσι κόραις ζύγος, ἐξαλαπάχθη·
Οὐ Πρίαμος μόλις ἦν, Τροίη τε πᾶσα τόσου.
Αἴθ' ὁπότεν ζέλλεν ζόλον ἐς Λακεδαίμονα δῖαν,
Μάχλος ἐποντώθη κ' οἴδμασι θυομένοις.
Οὐκ ἂν ἐγὼ ψυχρὰ λέχος εἰσανέβην πανέρημον,
Οὔτ' ἐπιμεμφοίμην χῆρα χρόνου τὸ βραδύ·
Οὐδέ τι ζητούσῃ μοι ἀπείρους νύκτας ἐλέγχειν,
Χηραλέας καμέοι χεῖρ' ὕφος ὑψικρεμές.
Πῇ ποτε τῶν ὄντων φοβερώτερα μὴ πεφόβημαι;
Πᾶς τις ἔρως πέλεται χρῆμα τι δειμαλέον.
Τρῶας ὀνειροπόλουν κρατερούς σοι ἐναντίον ἐλθεῖν,
Αἰὲν ἐς Ἕκτορέην κληδὼν' ἄχρους γενόμην.
Εἴ τέ τις Ἀντίλοχον λέξειε θαμέντ' ὑπὸ χερσὶν
Ἕκτορος, Ἀντίλοχος αἴτιον ἔσκε φόβου.
Ἠὲ Μενοιτιάδην ὅπλοισι νόθοισι πεσόντα,
Κλαῖον ὅτ' εὐτυχίην οὐ θόλος αἰὲν ἔχει.
Αἵματι Τληπόλεμος Λυκίην ἐχλίην' ἐγχείην,
Φροντὶς ἐκαινίσθη Τληπολέμου θανάτῳ.
Καὶ τέλος, ὅσις ἔπιπτεν ἀνὰ ζρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν,
Ψυχρότερον παγετοῦ κῆρ δυσέρωτος ἔην.
Εὖ δὲ θεὸς σεμνῷ φιλόφρων προνόησεν ἔρωτι,
Ἀνδρὸς ἐτεφρώθη Τροῒ' ἔτι σωζομένου.
Ἡγεμόνες νόζησαν Ἀχαιῶν, κνίσσ' ἐπὶ βωμοῖς,
Βάρβαρ' ἐπικρέμαται θεοῖς πατρίοις λάφυρα.
Νύμφαι δῶρα φέρουσιν ἐπ' ἀνδράσι σωζομένοισι,
Τῶνδε τρόπαια Φρυγῶν μυθολογευομένων.
Θαυμανέουσι κόραι δειλαί, πρεσβεῖς τε δίκαιοι·
Ἀνδρὸς ἀπὸ ζώματος πᾶσα γυνὴ κρέμαται.
Καί τις ἀριζείας θεμένης ἐπέδειξε τραπέζης,
Ζωγραφέων οἴνῳ Τροΐαν ὅλην ὀλίγῳ.
Ἔῤῥει τῇ Σιμόεις, τῇδ' ἦν Σιγήϊον οὖδας,
Τῇδ' ἔζη Πριάμου πρεσβέος ἀκρόπολις.

Αἰακίδης μὲν τῇ, τῇδ' αὖ σκήνωσεν Ὀδυσσεὺς,
Τῇδ' Ἕκτωρ ζυγίους ἀμφιδρυφὴς ἐφόβει.
Πάντα γὰρ ἐκπεμφθέντι σε μαςεύειν σέο τέκνῳ
Εἶπε γέρων Νέςωρ· εἶπεν ἐκεῖνος ἐμοί.
Εἶπε δ' ἐναιρομένους Ῥῆσόν τε Δόλωνά τε, χ' ὅππως
Ὤλετ' ὁ μὲν προδοθεὶς ὕπνῳ, ὃ δ' αὖτε δόλῳ.
Τλῆς σὺ ἄρ' ὦ λίαν, λίαν τὰ σὰ φίλατ' ἀπειπὼν,
Θρᾴκα ςρατὸν νυχίαις ἐμβατέειν ἐνέδραις,
Καὶ τόσσους ἅμ' ἐναρίζειν ἑνὸς ἀνδρὸς ἀρωγῇ,
Εὖγε σέο προνοῶν, καὶ περιφροντὶς ἐμοί.
Αἰὲν ἐπάλλετ' ἐμοῦ κόλπος φόβῳ, ἠνίκ' ἀριζεὺς
Πώλοις Ἰσμαρίοις βῆς ςρατὸν ἂν φίλιον.
Ἀλλὰ τί πλεῖον ἐμοὶ σφετέραις πορθούμενα χερσὶν
Πέργαμα, καὶ τοῖχος τοπρὶν ἐών, δάπεδον;
Εἴ ἔτι μέλλω ἔσεσθ' οἵη πρὶν Τροΐαν ἁλῶναι,
Καί μοι χηροσύνης οὔτι πέφηνε πέρας;
Ἄλλοις Τροὶ' ἐπράθη μὲν, ἀπόρθητος δέ μοι οἵη,
Τὴν βοῦ λῃϊδίῳ ξεῖνος ἀροτριάει.
Νῦν σπόρος ἔνθ' ἦν Τροΐα, καὶ ἡ δρεπανητόμος αἶα
Σφριγᾷ Δαρδανίῳ αἵματι πιαλέη.
Ἀνδρῶν ἡμιταφῆ γύροις κροτέονται ἀρότροις
Ὀςέ'· ἐρειπώδεις κρύψε δόμους βοτάνη.
Σὺ πτολίπορθος ἑκάς, καὶ ἡ τριδὴ ἥτις ἀδηλος
Ἐςὶ, καὶ ἥτις γῆ κρύψε σιδηρόφρονα.
Ὅςις ἐπ' ἠϊόνι ξείνην νέα τῇδε πελάζει,
Κεῖνος ἀπαίρει ἐμοὶ πόλλ' ἐρεεινόμενος.
Σοί τε κομιζομένῃ, εἴ πού τις ἐναντίον ἔλθῃ,
Αὐτόγραφος παρ' ἐμοῦ δέλτος ἐπιτρέπεται.
Στείλαμεν ἔς τε Πύλον, Νηληΐδα Νέςορος αἶαν
Πρεσβέος, ἐκ δὲ Πύλου φήμη ἀνῆλθ' ἀφανής.
Στείλαμεν ἐς Σπάρτην, Σπάρτη δὲ καὶ αὐτὴ ἀΐδρις
Γῆν τίνα νῦν ἔσχες, πῆ τε χρονοτριβέεις.
Κάλλιον εἰσέτι νῦν πυργώματα Φοίβου ἔμειναν·
Μέμφομαι αὐτὴ ἐμοῖς εὔγμασι κουφόνοος.
Εἶδον ἂν ἦχι μάχῃ, καὶ ἐπέτρεον ἂν μόνον Ἄρην,
Καὶ πολέων ξυνὴ μέμψις ἂν ἦεν ἐμή.
Οὐκ οἶδ' ὅτ, τι δέδοικα, δέδοικα δὲ πάντα φρενοπλὴξ,
Ἐς μελεδῶνας ἐμὰς πέπταται εὐρὺ πέδον.

Ὅσσα τε πόντος ἔχει, καὶ ὅσσ' ἀποφώλια γαῖα,
Αἴτια τοσσατίης οἴομαι ἀμβολίης.
Ταῦτά μου οἰομένης ἀνεμώλια (οἷος ἐφ' ὑμῖν
Οἶστρος ἐνῆν), τάχα σε ξεῖνος ἔμαρψεν ἔρως.
Καὶ τάχα φημίσαις ἂν ὅσον σοι ἀγροῖκος ἄκοιτις,
Ἤτε μόνον πείκειν εὖ δεδάηκε πόκας.
Ψευδοίμην, καὶ τοῦτο ὑπήνεμον εἶεν ὄνειδος,
Μηδὲ παλιντροπίης σέρξον ἐλευθερίην.
Ἰκάριός με πατὴρ πάυσασθαι ἀνήνορος εὐνῆς
Προσδιάων, ἀμέτροις μέμφεται ἀμβολίαις.
Μεμφέσθω μὲν· ἐγὼ δὲ σὴ εἴην, σή τε καλοίμην
Αἰὲν Ὀδυσσῆος Πηνελόπεια γυνή.
Ἀλλὰ φιλησορίησιν ἐμαῖς, καὶ κάμπτεται ἀγναῖς
Ἱκεσίαις, κρατέων κάρτεος αὐτὸς ἑοῦ.
Δουλίχιοι, Σάμιοίτε καὶ οὓς αἰπεῖα Ζάκυνθος
Πέμψεν, ὄχλος μνηστὴρ ἔχραε μαργὸς ἐμοί.
Σοῖσι δ' ἀναντιλόγως ἐπικοιρανέοντι μελάθροις,
Κἀμὰ σέο κτῆσις σπλάγχνα διασκέδαται.
Τοὶ δέ τι Πείσανδρον Πόλυβόν τε Μέδοντα τ' ἀπεχθὴ
Λαβράς τ' Εὐρυμάχου Ἀντινόουτε χέρας,
Ἄλλούς τ' ἐγκαταλέξω, ὅσους ἀπέων σὺ παρ' αἶσαν
Βόσκεαι ὠνητοῖς αἵματι σῷ κτεάνοις;
Ἶρος ὁ πτωχὸς, σύν τε Μελανθίου ἷς βορομήλου
Πήμασι προσθήκη σοῖς· πέλει ὑςατίη.
Τρεῖς ἐμὲν ἀδρανέες τὸν ἀριθμὸν, ἄναλκις ἄκοιτις,
Λαέρτης τε γέρων, Τηλεμάχος τ' ἔτι παῖς.
Χ' ὃς μὲν ἐνοσφίσθη σχεδὸν ἄρτι μοῦ ἐξ ἐπιβουλῆς,
Πανταέκητι Πύλον δ' ἐλθέμεναι μεμαὼς.
Ζεύς μοι ἐπικρήνειεν, ὅπως κατὰ μοῖραν ἑκάςου
Ὅσσε καλύψασθαι τόνδ' ἐμὰ, τόνδε τὰ σά.
Ταῦτα βοῶν ἐπίουρος ἄμ' εὔχεται, ἡ δὲ τροφὸς γρηῦς,
Καὶ τρίτος ὁ ῥυπαροῦ πιςὸς ἄναξ συφεοῦ.
Οὐ μὴν Λαέρτης ἀχρήϊος ὢν ὑπὸ γήρως
Ἀμφιλαφῶν δύναται θυσμενέων κρατέειν.
Τηλεμάχῳ δὲ πλέον σθένος ἴξεται, εἰ σός ἔςαι,
Νῦν οἱ ἀμύνεσθαι πάτριον ἄλκαρ ἐχρῆν.
Οὐδέ μοι ἰσχὺς ἔνεςιν ἐλαυνέμεν οἴκοθεν ἐχθρούς.

Τύνη θάσσον ἴκου, αὖρα λιμὴντε τεοῖς.
Ἔξιν, ἔοιτε σόος πάϊς εὔχομαι, ὄντε τερείνῃ
Πατρὸς ἔδει μελετᾷν τέχνας ἐν ἡλικίῃ.
Φράζεο Λαέρτην, ὅππως ἔθεν ὄσσε καλύψῃς,
Ὑσατόν οἱ μοίρης ἦμαρ ἐπικρέμαται.
Ἦ νύ με σοῦ ποτ' ἐοῦσάν ἀποιχομένοιο κορίσκην,
Φαίης, κ' ἦν ἀνίης, αὐτίκα γραΐδιον.

Versionis hujus auctor Carol. Utenhovius, Belga natione, et patria Gandavensis, natus A. D. 1536, patre primum duce, qui non eloquentia minus et virtute, quam natalium splendore inter suos inclaruit, studiorum curriculum est ingressus; quod ut conficeret, Lutetiam venit, unde in Britanniam mox delatus, ibi tunc regnante *Elisabetha*. Cujus quidem partes studiose amplexus scriptis cum defendisset, gratissimam expertus est. Coloniam Agripp. tandem secessit, ubi *apoplectico* fulmine ictus periit, cum annum ætatis ageret quartum et sexagesimum. Inter quæ reliquit scripta, numerantur *Epigrammata; Epitaphia græca et latina: Xeniorum liber; Epistolarum centuria; Mythologia Æsopica, metro elegiaco;* et *Allusionum liber:* in quibus ingenium viri ornatissimum sæpe quidem deprehendas; sermonis vero puritatem et elegantiam sæpius desideraveris. Quod et animadvertendum in ipsa hac epistola græca, quam ob rei novitatem potius, quam propter excellentiam, exhibendam hic curavimus.

ULIXIS AD PENELOPEN

RESPONSIO,

AUCTORE AULO SABINO.*

PERTULIT ad miserum tandem tua casus Ulixen,
Penelope, chartis verba notata piis.
Agnovi caramque manum, gemmasque fideles :

* Fuit AULUS SABINUS poeta Ovidio æqualis, nec indignus quem laudaret noster, et immatura morte litterarum studiis præreptum desideraret (*De Pont.* IV, Eleg. 16). Scripserat, ut ex ipso patet Nasone, (*Amor.* II, Eleg. 18,) epistolas Ulixis ad Penelopen, Hippolyti ad Phædram, Æneæ ad Didonem, Demophoontis ad Phylliden, Jasonis ad Hypsipylen. Harum vero omnium exstare omnino nullam affirmat Ger. Joh. Vossius. « Scio, inquit vir omni doctrinarum laude clarus, sub nomine Sabini legi ternas ; *Ulixis ad Penelopen*, *Demophoontis ad Phylliden*, et *Paridis ad Œnonen*. Sed indignæ prorsus Sabino, vel aliquo illius temporis poeta : quin neque nostro si ævo scriptæ forent, multum laudis mererentur ». Hæc Vossius, *de Poet. Lat.* c. 2. Audiendus nunc vir non ipsi Vossio in arte critica secundus, Nic. Heinsius, qui dictas supra epistolas non ita spernendas judicavit, ut non curis illustraret, et diligentioribus quidem, quam res ipsa postulare videbatur. Sic ille : « Nullos videre mihi contigit codices manu exaratos, in quibus hæ exstarent epistolæ. In primis etiam edd. desiderantur ; nec satis constat cui gloriam inventi hujus *thesauri* debeamus. Suspicor tamen id exemplar, quod *Cydippes*, ac *Sapphus* epistolam integram nobis servavit, et *Paridis* auctiorem, usibus hic etiam publicis consuluisse. Eustathius quidem Swarthius, in Analectis lib. I, c. 2, exemplar calamo descriptum epistolarum Sabini ad partes interdum vocat, quod Caspari Barthii fuerit ; ejusdemque ipse Barthius in *Adversariis* subinde mentionem facit. Sed quum et hunc et illum, dum in vivis essent, per amicos rogarim, ut usum istius libri mihi præstarent, atque alter me ad alterum ablegarit, facile intellexi vanam a me spem foveri ; nec tanti sane sunt, quæ ex illo, si Dis placet, vetusto codice ab iis promuntur, ut salivam nobis de ipso libro evolvendo excitare debeant. Primas itaque harum epistolarum edd., alteram Venetiis, 1485 ; alteram Parmæ procusam, 1489, adhibendas duxi. In cæteris, *divinando* res a me gesta est ». HEINS. — Litem hanc lector quo dirimat facilius, suam Epistolæ cuique responsionem subjecimus, quæ vulgo ad voluminis calcem jubentur exulare.

3. *Gemmasque fideles.* Annulos sci-

Solamen longis illa fuere malis.
Arguis ut lentum : mallem quoque forsitan esse;
Quam tibi quæque tuli dicere, quæque feram.
Non hoc objecit mihi Græcia, quum mea fictus
Detinuit patrio litore vela furor.
Sed thalamis nec velle tuis, nec posse carere,
Causaque fingendæ tu mihi mentis eras.
Nil tibi rescribam curæ est, properemque venire:
Dum propero, adversi vela tulere Noti.
Non me Troja tenet, Graiis odiosa puellis;
Jam cinis, et tantum flebile, Troja, solum.
Deiphobusque jacet; jacet Asius, et jacet Hector;
Et quicumque tui causa timoris erat.
Evasi et Thracum cæso duce prælia Rheso,
In mea captivis castra revectus equis :
Tutus et e media Phrygiæ Tritonidis arce

licet quibus tabellas obsignabant veteres, ideoque *signatorios* aut *sigillatorios* dicebant, ut discernerent a *sponsalitiis* et *honorariis*.

5. *Arguis ut lentum*. Penelope : *lento* tibi mittit, Ulixe.

7. *Quum mea fictus* etc. « Ulixi erat responsum, si ad Trojam isset, post vicesimum annum, solum, sociis perditis, egentem domum rediturum. Itaque quum sciret oratores ad se venturos, insaniam simulans, pileum sumsit, et equum cum bove junxit ad aratrum. Quem Palamedes ut vidit, sensit simulare, atque Telemachum filium ejus, cunis sublatum, aratro ei subjecit, et ait : simulatione deposita, inter conjuratos veni. Tunc Ulixes fidem dedit se venturum : ex eo Palamedi infestus fuit ». Hygin. Fab. XCV. et Æn. II, 81 et sqq. Metam. XIII, 56 et sqq.

10. *Causaque fingendæ* etc. Frustra vitium suspicatus est Burman. *fingit* enim *mentem*, qui illam aliam simulat atque est. Ita *vultum fingere* Cæsar dixit, B. G., 39. *Ficto ore*, pro composito ad simulationem, noster, Ep. XVIII, 15. LENNEP.

11. *Nil tibi rescribam curæ est*. Scripserat Penelope :

Nil mihi rescribas ut tamen.

et probat, qui respondet, Ulixem, eo, quo nos, sensu uxoris mentem perspexisse.

13. *Non me Troja tenet, Graiis odiosa puellis*. In epist. præcedenti : *Danais invisa puellis*. παρῳδεῖ, non imitatur.

15. *Asius*. Hyrtaci filius, Hom. Il. B. 837. et alibi memoratus ; interfectus ab Idomeneo, Il. N. 184. et sqq. Nisi forte fuit frater, quem noster Hyrtaciden vocat, Trist. I, Eleg. IV, 24; et in Ibin, 632.

Fatalis palmæ pignora capta tuli.
Nec timui commissus equo; male sedula quamvis
Clamabat vates : « Urite, Troes, equum :
Urite : mendaci celantur robore Achivi,
Et Phrygas in miseros ultima bella ferunt. »
Perdiderat tumuli supremum munus Achilles,
Sed Thetidi est humeris redditus ille meis.
Nec laudem Danai tanto renuere labori :
Erepti pretium corporis arma tuli.
Quid refert? pelago sunt obruta : non mihi classes,
Non socii superant : omnia pontus habet.
Solus adhuc mecum, qui me tot casibus unus
Duravit, patiens ad mala, perstat Amor.
Illum non avidis canibus Niseia virgo

20. *Fatalis palmæ pignora.* Palladium, scilicet, quod una cum Diomede *ex arce, cæsis custodibus*, surripuit.

21. *Male sedula.* Lege, *male credita quamquam.* Metam. XV, 73, de Pythagora:

... Talibus ora
Docta quidem solvit, sed non et credita verbis.

HEINS. Retineo, *male sedula.* Nam *male credita* contra mentem poetæ mihi videtur, non enim *credita* fuit: *male credita* vero significat, cui creditum quidem fuit, sed frustra, vel temere, ut centies noster et alii τῷ *male* utuntur; sed *male sedula*, est quæ frustra volebat Trojanis persuadere dolum latere. BURM. — Cujus molesta et inimica equo inclusis erat *sedulitas*, ut pote quæ possit latentes prodere. Sic Ep. VII, 191:

Soror Anna, meæ *male conscia* culpæ :

scilicet, in perniciem meam.

22. *Urite, Troes, equum.* Ad illa respicit Virg. Æn. II, 35:

At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias, suspectaque dona,
Præcipitare jubent, subjectisve urere flammis.

24. *Ultima bella.* Mallem, *ultima tela.*

28. *Erepti pretium* etc. Metam. XIII, 383.

31. *Qui me tot casibus unus duravit.* Puto *unum duravit.* Nam post τὸ *solus*, odiosa et superflua sit repetitio τοῦ *unus*. HEINS.

33. *Illum non avidis canibus Nereia virgo.* De Scylla haud dubie agit, quam cur *Nereiam* appellet virginem, fateor me non videre. Ne quid te morer, refinge, *Niseia virgo.* Virgilius in Ciri, 389:

Per mare cæruleum trahitur Niseïa virgo.

Recte, inquis : agitur enim illic de Scylla Nisi. Sed quid hoc ad alteram a Glauco amatam, Phorci et Crateidis nymphæ filiam? At confundunt promiscue ambas poetæ, quod ut liquidius appareat, exemplis evincetur. Noster ipse Metamorphoseon libro octavo, et decimo tertio ac quarto etsi manifeste distinguat,

Fregit; non tumidis torta Charybdis aquis;
Non ferus Antiphates, nec in uno corpore dissors
Parthenope, blandis insidiosa modis.
Non quod Colchiacas artes tentaverit herbis,
Non quod solennes altera Diva toros.
Utraque se nobis mortalia demere fila
Spondebat; Stygias utraque posse vias.
Te tamen, hac etiam spreta mercede, petivi,
Passurus terra tot mala, totque mari.
Sed tu femineo nunc forsan nomine tacta,
Non secura leges cetera verba mea;
Quæque mihi Circe, quæ sit mihi causa Calypso,
Jamdudum ignoto sollicitere metu.

tamen in Remedio Amoris 537 :
Præterita cautus Niseïde navita gaudet.
Et Fastorum IV, 500.
Et vos Nisæi, naufraga monstra, canes. HEINS.

35. *Non ferus Antiphates.* Lestrygonum rex, qui unum e sociis Ulixis comedit, navesque virosque mersit, præter quæ ipsum Ulixen vehebat. Odyss. K, 116. — *Nec in uno corpore discors Parthenope. Dissors* reponendum : *dissors*, quod diversæ sortis est aut naturæ, cui opponitur τὸ *consors*, vox Ovidio usitata. Sic et *exsors* sine sorte, ἄκληρος; ita *exsortem honorem* apud Virgilium interpretatur Servius; sic *compar, dispar* et *separ. separem urnam* dixit Val. Flaccus lib. V; quomodo et *separem ductum* Prudentius : similiter, *congrex* et *segrex*. Error hic frequenter apud optimos auctores commissus, ut *discors* pro *dissors* legatur, voce parum nota hactenus. HEINS.

36. *Parthenope.* Una e Sirenibus. — *Insidiosa modis.* Mallet *notis* Douza.

37. *Non quod Colchiacas artes tentaverit herbis. Arte* : prima editio, divide τὸ *a* in duas litteras, et habebis *ci. Cirte* pro *Circe*. Emenda igitur locum turbatissimum levi mutatione :
Non quod Colchiacis Circe tentaverit herbis.
De Circe profecto hic agi ex sequentibus liquido apparet. *Altera Diva* est Calypso. HEINS.

40. *Stygias utraque posse vias.* Subintelligas necesse est, *aperire* aut *secludere* vicissim. Quo quidem posito, viderint docti quid censendum de hac loquendi forma, et quatenus poetam deceat, quem aureæ latinitatis ætati libentius quidam adscripserint. Nec adprobem magis *demere fila*, in versu præcedenti. — *Spondebat.* Corrigebat Heinsius, *spondebant.*

44. *Cætera verba mea.* Ne hac nostra quidem ætate, quantumvis litterarum antiquarum incuriosa, vel ipsis tironibus condonandum istius modi *hemistichion.*

45. *Causa Calypso. Causa* Swarthius, ex veteri libro; nec obnitor, nisi *cura* mavis. HEINS.

Certe ego quum Antinoum, Polybumque, Medontaque legi,
Heu toto sanguis corpore nullus erat!
Tot juvenes inter, tot vina liquentia, semper
(Hei mihi! quo credam pignore?) casta manes.
Cur-ve placent ulli, si sunt in fletibus ora,
Deperit et lacrymis non decor iste tibi?
Pacta quoque es thalamo, nisi mendax tela moretur,
Et cœptum revoces callida semper opus.
Ars pia! sed quoties oculos frustrabere lana,
Successum toties ars dabit ista tibi.
Ah! melius, Polypheme, tuo superatus in antro,
Finissem ingratos ad mala tanta dies!
Threicio melius cecidissem milite victus,
Ismaron errantes quum tenuere rates!
Crudelemve illo satiassem tempore Ditem,
Quo redii Stygiis fata moratus aquis!
Vidi ubi (nequicquam quod me tua litera celat)
Sospes digresso quæ mihi mater erat.
Rettulit illa domus eadem mala; meque querentem

48. *Heu toto. Ut toto.* Heins. Sed Francius malebat, *in toto*.

49. *Tot vina liquentia semper.* Etsi non ignorem *vina liquentia* Virgilio bis dici Æneid. v, 238 et 776, hoc tamen loco magis apposite *licentia* legatur; quod Barthio Adv. xliv, 11, etiam Swarthioque est visum. *Libera vina* dixerat Horatius, Art. Poet. 85. Sic *licentes Faunos* Statius, Theb. iv, 695. Noster ipse paulo post *vacantia vina*, quo vacuæ et otiosæ mentes teneantur, dixit. Heins.

51. *Cur-ve placent ulli.* Malo, *places*. Heins. — *Si sunt in.* Francius legebat, *si sordent fletibus ora.*

53. *Thalamo.* Mallem, *thalamos*. nisi *pacta* passive capias, ut infra Epist. iii, 9. *prima meis ta pacta toris.*

55. *Ars pia.* Scribendum, ni fallor:

Ars pia, sed quoties oculos frustrabere lana?
Successum quoties ars dabit ista tibi?

Hoc sensu, ut collaudet dolum et commentum de retexta tela Ulixes; sed ut desperet quodammodo de diuturno rei ipsius successu. Heins.

57. *Ah! melius, Polypheme* etc. Odyss. i, 216 et sqq. — *Tuo superatus in antro. At melius, Polypheme, tuo si pransus in antro*, ex veteri libro Swarthius. Ego nil temere mutem, nisi *deprensus* reponatur. Idem. Forte, *si prensus*.

58. *Finissem... ad mala tanta dies.* Id est, *dies finissem*, antequam, quæ mihi imminebant *mala*, ingruerint.

65. *Rettulit illa* etc. Mater scili-

Fugit, ab amplexu ter resoluta meo.
Phyllaciden vidi; contemptis sortibus ille
Primus in Hectoreas intulit arma domos.
Felix laudata cum conjuge! læta per umbras
Illa suum fortes it comitata virum.
Necdum illi Lachesis dictos numeraverat annos :
Sed juvat ante suum sic cecidisse diem.
Vidi, nec lacrymas oculi tenuere cadentes,
Deformem Atriden (hei mihi) cæde nova.
Illum Troja virum non læserat : ille furentem
Nauplion, Euboicos transieratque sinus.
Quid refert? animam per vulnera mille profudit,

cet. Odyss. Λ, 180. — *Meque querentem.* Delrius, Commentario Senecæ Troad. 459, *terque querentem* legit; sed nulla opus mutatione. HEINS.

66. *Fugit ab amplexu ter resoluta meo.* Malim *revoluta;* non enim amplectebatur umbram maternam, sed conabatur amplecti. Libro Metam. XI, 58. de Orpheo Eurydices umbram gestiente amplecti:

... Prendique et prendere captans,
Nil nisi cedentes infelix arripit umbras.

Ubi etiam habes, *revolutaque rursus eodem est,* quomodo vetusti codices: probe omnino. Apud Virgilium Æn. VI, 449. de Cæni:

Rursus et in veterem fato revoluta figuram. H.

67. *Phyllaciden vidi* etc. Protesilaum, sic dictum a Phylace urbe, cui præfuit.

68. *In Hectoreas intulit arma domos.* Scripserat, puto, Sabinus, *impulit.* ut Metam. XII, 550:

... Immeritas urbes Elinque Pylonque
Diruit; inque meos ferrum flammamque penates
Impulit.

Lucan. lib. VII, 16:

Et quæcumque fugax Sertorius *impulit* arma.
HEINS.

69. *Laudata cum conjuge!* Laodamia. Vid. infra Epist. XIII.

70. *Illa suum fortes it comitata virum. Fortes it;* refer ad τὸ *umbras,* quod præcessit; et hoc vidit Swarthius. H.

75. *Ille furentem Nauplion.* Eubeæ insulæ rex, et Palamedis pater, ex Clymene, Apollinis filia. « Ilio capto et divisa præda, Danai cum domum redirent, tempestate et fluctibus adversis, ad saxa Capharea naufragium noctu fecerunt. Quod ut audivit Nauplius, Græcis et Ulixi præsertim infensus, propter filii cædem, facem ardentem eo loco jussit extolli, quo saxa acuta, et locus periculosissimus. Illi naves eo duxerunt, quo facto, plurimæ confractæ sunt, militesque plurimi cum ducibus tempestate occisi sunt, membraque eorum cum visceribus ad saxa illisa. At Ulixen ventus detulit ad Marathonem (ut recte Scheffer. non *Maronem*); Menelaum, in Egyptum; Agamennon cum Cassandra in patriam pervenit ». Hygin. Fab. CXVI.

77. *Animam per vulnera mille profudit. Per adultera tela,* vetus liber Swarthii: non inconcinne. HEINS.

Jam reduci solvens debita vota Jovi.
Tyndaris has illi lætas pro fœdere pœnas
Struxerat, externos ipsa secuta viros.
Ah! mihi quid prodest, (captivas Teucridas inter
Quum staret conjux Hectoris, atque soror;)
Defectis Hecuben potius legisse sub annis,
Ne tibi suspectus pellicis esset amor?
Prima meis omen metuendum puppibus illa
Fecit, non membris ipsa reperta suis.
Latratu miseras finivit mæsta querelas;
Et stetit in rabidam protinus acta canem.
Prodigio tali placidum Thetis abstulit æquor,
Æolus infusis incubuitque Notis.
Pervagus hinc toto non felix differor orbe;
Et, quocumque vocat fluctus et aura, feror.
Sed si Tiresias tam læti providus augur,
Quam verax vates in mala nostra fuit;

79. *Lætas pro fœdere pœnas. Lætas* dici opinatur Swarthius πρωνικῶς, sed non persuadet. Puto scribendum, *læso pro fœdere*, lecti scilicet. Ad Cassandram ab Agamemnone amatam refer. IDEM.

80. *Externos ipsa secuta viros.* Malim, *toros:* hæc enim duo in Ovidianis codicibus frequenter confunduntur. Sic sequenti epistola, *Graios viros*, pro *Graios toros;* et epistola Herus, *Abydeno viro* in vulgatis. ID.

82. *Quum staret.* Maluerim, *quum starent.* Andromache et Cassandra scilicet.

86. *Non membris ipsa reperta suis.* Non intelligo hæc, nec Latina puto. Heinsius conjecerat:

Fecit anus membris orba reperta suis.

Sed hoc nimium recedit a scriptis: mallem, *fecit anus membris lapsa* (vel *cassa*) *repente suis;* vel quod magis placet, *fecit, non membris usa repente suis.* Sic *ipse* et *usus* confunditur, lib. III. Am. I, 42. et alibi. BURM. — Neutri adsentiendum puto; cum enim dicit Hecuben *non suis membris* repertam fuisse, nihil aliud intelligit, quam subitam miseræ matris in canem conversionem; quæ *reperta* quidem, sed *membris non suis.* Metam. XIII, 567:

90. *Æolus infusis incubuitque Notis.* Malim, *effusis.* In Ibin, 33:

Parsque eadem cœli Zephyros emittet et Euros.

I. Metam. 264:

Emisitque Notum. HEINS.

92. *Quocumque. Quacunque*, editi olim. Heinsius volebat, *quocumque vocant.* Virgil. Ecl. III, 49. *Veniam, quocumque vocaris.*

93. *Sed si Tiresias, tam læti providus augur* etc. Odyss. Λ, 99 et sqq. Horat. Serm. lib. II, sat. V.

Et terra et pelago, quidquid mihi triste canebat,
  Emensus fato jam meliore vagor.
Jam mihi nescio quo comitem se in litore jungit
  Pallas, et hospitibus per loca tuta trahit.
Nunc primum Pallas versæ post funera Trojæ
  Visa mihi : medium temporis ira tulit.
Quidquid Oilides commiserat, omnibus unus
  Peccavit : Danais omnibus ira nocens.
Nec te, Tydide, cujus modo noverat arma,
  Eximit : errato tu quoque ab orbe venis :
Non Telamone satum capta de conjuge Teucrum :
  Non ipsum, pro quo mille fuere rates.
Felix Plisthenide, quacumque in sorte fuisti
  Conjuge cum cara! non gravis illa fuit.
Seu venti fecere moras, sive æquora vobis;
  Ad nulla est vester damna retentus amor.
Oscula nec venti certe tenuere, nec undæ :
  Promptaque in amplexus brachia semper erant.
Sic utinam errarem! faceres tu mollia, conjux,
  Æquora : te socia, nil mihi triste foret!
Nunc quoque, Telemacho tecum mihi sospite lecto,
  Omnia sunt animo jam leviora mala.
Quem tamen infestas rursus queror ire per undas,
  Herculeam Sparten, Nestoreamque Pylon.

101. *Omnibus unus Peccavit.* Virgil. Æn. 1, 45.

Unius ob noxam, et furias Ajacis Oilei; qui Cassandræ virgini, in ipso Palladis templo, vim intulerat; quam injuriam Dea ut ulcisceretur,

Illum expirantem, transfixo pectore, flammam, Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto. *Ibid.* 48–49.

Quidquid Oilides. Quidquid et Œnides. Edd. aliæ.

102. *Omnibus ira.* Forte, *ille.* H.

103. *Cujus modo noverat arma.* Scribe, *foverat.* Ovidius Trist. lib. 1. Eleg. IV.

Causa mea est melior, qui non contraria *fovi* Arma. HEINS.

107. *Felix Plisthenide.* Menelaum hæc spectant, cum Helena uxore ad paternos lares contendentem, capta jam Troja. HEINS.

117. *Infestas rursus.* An bis navi-

Ingrata est pietas, cui tanta pericula subsunt :
  Nam male commissus fluctibus ipse fuit.
Sed labor in fine est : occursum in litore vates
  Dixit : in amplexus, care, ferere tuos.
Noscendus soli veniam tibi : tu preme solers
  Lætitiam, et tacito gaudia conde sinu.
Non vi certandum, nec aperta in bella ruendum.
  Sic cecinit laurus ille monere suas.
Forsitan ante dapes, interque vacantia vina,
  Ultoris pharetris utile tempus erit;
Et modo despectum subito mirentur Ulixen :
  Heu! precor, ut properet velle venire dies,
Antiqui renovet qui lætus fœdera lecti,
  Et tandem incipias conjuge, cara, frui!

gavit? *jussum* vel *missum*, opinor, a matre videlicet; ut ad illa respiciat epistolæ Penelopes :

Omnia namque tuo senior te quærere misso
  Rettulerat nato Nestor. BURM.

119. *Ingrata est pietas* etc. Timet, ne, quæ ad inquirendum patrem Telemachus itinera suscepit, tot tantisque periculis circumfusa, labefactatam pietatem illius in animo sensim imminuant.

120. *Nam male commissus. Jam male* puto. HEINS.

122. Vulgo, et ipse Burmannus : *in amplexus, care, ferere tuos.* Sed friget illud *care*, a Tiresia dictum Ulixi; nec sanum puto *amplexus tuos*, pro *tuorum* amplexus. Docet quoque versus sequens de Penelope sermonem esse. Itaque non dubitanter correxi :

In amplexus, *cara*, *ferarque tuos.* LEN.

126. *Sic cecinit laurus ille monere suas.* Non ita manifestus Tiresias, qui contra dicat; Odyss. Λ, 119.

Ἠὲ δόλῳ, ἢ ἀμφαδὸν ὀξεῖ χαλκῷ.

127. *Interque vacantia vina.* Hic dici *vacantia* vina, quibus *vacuæ* et otiosæ mentes teneantur, recte notat Heinsius, ad vers. 49. Mire Forcellinus in lexico, ad vocem *vina*, esse vult parata quidem, sed nondum in mensam illata. Burmanni argutiæ satis confutantur ipso Homeri loco, Od. X, 9. sqq. 20, 21. LENNEP.

130. *Heu, precor* etc. Malebat Heinsius, *hic, precor, hic properes velle venire dies.* Francius, *quam precor*, vel, *hic precor, ut properet velle venire dies.* Posset et legi : *heu, precor, heu properes ille venire, dies.* Et mox, *antiqui renoves qui lætus fœdera lecti.* BURM.

EPISTOLÆ SECUNDÆ

ARGUMENTUM.

Phyllis Sithonis filia, regina Thracum fuit. Hæc Demophoontem Thesei filium, e Trojano bello redeuntem hospitio excepit, dilexit, et in conjugium rogavit. Ille ait ante ordinaturum se res suas, et ad ejus nuptias reversurum. Profectus itaque quum tardaret, Phyllis, et amoris impatientia, et doloris impulsu, quod spretam se a Demophoonte crederet, laqueo vitam decrevit finire; sed, scripta prius Epistola ad Demophoontem, quæ morantem urgeret, et ultima, ni protinus rediret, minitaretur. (Serv. ad Virg. Ecl. v, v. 10. Hygin. Fab. LIX.)

EPISTOLA II.

PHYLLIS DEMOPHOONTI.

HOSPITA, Demophoon, tua te Rhodopeia Phyllis
Ultra promissum tempus abesse queror.
Cornua quum Lunæ pleno quater orbe coissent,

1. *Hospita.* Quæ te hospitio excepit. CIOFAN. — *Demophoon.* De Demophoonte et Phyllide, sic Hyginus, LIX : « Demophoon Thesei filius in Thracia ad Phylliden in hospitium dicitur venisse, et ab ea esse amatus. Qui quum in patriam vellet redire, fidem ei dedit se ad eam rediturum ; qui die constituta cum non venisset, illa eo die dicitur novies ad littus cucurrisse, quod ex ea Enneados Græce appellatur. Phyllis autem ob desiderium Demophoontis spiritum emisit : cui parentes quum sepulchrum constituissent, arbores ibi natæ sunt, quæ certo tempore Phyllidis mortem deflent, quo folia arescunt et diffluunt : cujus ex nomine folia græce *Phylla* sunt appellata ». — *Rhodopeia.* Thressa ; a *Rhodope*, qui mons Thraciæ, in quem conversam narrant *Rhodopen*, in pœnam impietatis.

2. *Ultra promissum tempus.* Post quatuor menses, si *quater* in versu tertio admiseris ; si contra *semel*, tunc post unum mensem, ut voluere Ciofanius et Crispinus : sed de hac ultima opinione vide sequentem notam.

3. *Pleno quater.* Quidam, *semel.* Non videtur tempus mihi satis longum, ut Athenas ire, ibique res suas componere, et rursus in Thraciam redire potuerit. Gronovianus et Mediceus, *pleno quater orbe*, quod verum puto, et sequentia confirmant ; ubi etiam Hafniensis, *pleno quater orbe*, quod recepimus. Convenit etiam melius puellæ impatientius amanti, ut ad ipsum tempus pactum promissa exigeret, non ut tres menses ultra constitutum cessaret, antequam scriberet. Et hoc est quod addit :

Non venit ante suum nostra querela diem.
BURM.

Quam veram observationem esse nemo non agnoscat : an tamen ideo vera sit recepta a Burmanno lectio,

Litoribus nostris anchora pacta tua est.
Luna quater latuit; pleno quater orbe recrevit;
Nec vehit Actæas Sithonis unda rates.
Tempora si numeres, bene quæ numeramus amantes,
Non venit ante suum nostra querela diem.
Spes quoque lenta fuit : tarde, quæ credita lædunt,
Credimus : invita nunc et amante nocent.
Sæpe fui mendax pro te mihi; sæpe putavi
Alba procellosos vela referre Notos.

non nemini forte dubium videatur. Etenim, si ad ipsum tempus *pactum* promissa exigat, quomodo dicere potest in sequentibus, *spem* suam *lentam* fuisse? Porro negari nequit, multo vehementius stringere:

Cornua cum Lunæ pleno *semel* orbe coissent,
Litoribus nostris anchora pacta tua est.
Luna *quater* latuit; pleno *quater* orbe recrevit;
Nec vehit Actæas Sithonis unda rates.

Atque ita multo acerbiorem ironiam esse in hoc;

Non venit ante suum nostra querela diem. L.

4. *Litoribus nostris* etc. Poetice, et mira quadam verborum elegantia sententiam hanc exornat : redituram te intra unius mensis spatium promiseras; quatuor jam effluxerunt, nec tamen redis.

6. *Nec vehit Actæas Sithonis unda rates.* Naves scilicet ab *Attica* profectas, quæ sic dicta, ab ἀκτή ripa, quod et ab ἄγω, *frango*, quia feriuntur, *franguntur* indesinenter ripæ undarum incursu. Virg. Ecl. IX, 43.

... Insani *feriant* sine litora fluctus.

9. *Spes quoque lenta fuit.* Intricatior sensus, qui jam sollicitum habuisse videtur Alexandrum Paninum, qui Cælium Calcagninum de hoc versu consuluit. Cælius vero lib. 5. Epist. pag. 64, *spem* hic capit pro timore, ut amor diu fucum fecerit Phyllidi, dum moram Demophoontis vario causarum prætextu defendit. Id fecit, ut jam sero credat, quæ citra offensam credi non possunt, et quibus etiamnum amor repugnat. Hubertinus cum Cælio facit; sed Antonius Volscus exponit *spem lentam*, quæ longa exspectatione sine successu rerum consumitur; a qua interpretatione non longe abit doctissimus Bentlejus, ad Horat. Art. Poet. 172. qui exponit, *quæ longa mora extrahitur.* Ego cum illis facerem, qui de metu et suspicione capiunt. Non statim te perfidum credidi, sed lente; nec cito inducere animum meum potui tantam in te esse perfidiam, quia *tarde* solemus credere ea, quæ *lædunt;* et nunc etiam, licet invita et mallem non credere, cogor credere te non rediturum, quod maxime mihi nocet et dolet. Burm. — *Fuit.* MSS. quidam *venit.* sic et Epist. XVII, 108. *spes tua lenta venit,* ex MSS. hac Epist. v. 62.

Quæcumque ex merito spes venit, æqua *venit.*

11. *Sæpe fui mendax pro te mihi.* Sæpe, ut ipsam me deciperem, causas animo finxi, quæ invitum, et reditus impatientem morarentur; sicque fidelem mihi te *mentita* sum.

12. *Alba.* Recte, quia boni omi-

Thesea devovi, quia te dimittere nollet;
Nec tenuit cursus forsitan ille tuos.
Interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,
Mersa foret cana naufraga puppis aqua.
Sæpe Deos supplex, pro te, scelerate, rogavi,
Cum prece turicremis devenerata focis.
Sæpe, videns ventos cælo pelagoque faventes,
Ipsa mihi dixi : si valet ille, venit.
Denique fidus amor, quidquid properantibus obstat,
Finxit, et ad causas ingeniosa fui.
At tu lentus abes : nec te jurata reducunt
Numina; nec nostro motus amore redis.
Demophoon, ventis et verba et vela dedisti :
Vela queror reditu, verba carere fide.
Dic mihi; quid feci, nisi non sapienter amavi?
Crimine te potui demeruisse meo.
Unum in me scelus est, quod te, scelerate, recepi :
Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet.

nis fuissent, ut notum ex historia Ægei et Thesei. BURM.

13. *Dimittere.* Ita omnes fere editiones; sed legendum *demittere.* HEINS. Male : Cicero sæpius; et XII. ad Att. 18. *discedentem te non sine magno dolore* dimittam. BURM.

17. *Sæpe Deos supplex, ut tu scelerate valeres*, etc. Dubito vehementer an hæc satis latina sint, ut vulgo leguntur, et an *prece venerari focis*, recte dicatur. Codices vero variant; in priori versu, quidam : *ut tu scelerate redires*, vel *venires. pro te scelerate rogavi*, unus Regius et Leidensis, quod minime rejiciendum puto, quia et rotundiorem versum facit, et sensum optimum exhibet. *Rogare* vero *pro aliquo* contra Scioppium alibi vindicavimus. *cum prece* recepimus ex Palatino et Vaticano. *Cum prece turicremis sum venerata focis :* ut intelligat *comprecationem* proprie dictam, quæ preces addebat sacrificio; non dudum ante inducto apparatu, sed subito, et ut res ferebat. BURM.

19. *Faventes. Ferentes* malebat Francius; nec nego sæpe ita Ovidium et alios loqui; sed non ideo ubique in unam formulam cogendi.

24. *Motus. Captus* tres libri, sed nihil muto. *captus amore* fuit Demophoon, cum primum viderat Phyllida; nunc, ut rediret, *moveri* debebat. Unus etiam Heinsii, *venis;* solemni permutatione. BURM.

28. *Demeruisse.* Est *demereri*, aliquem aliquo merito sibi constringere; quod *crimen* alii, tu *meritum* reputare debes.

30. *Sed scelus* etc. habet momentum

Jura, fides, ubi nunc, commissaque dextera dextræ;
  Quique erat in falso plurimus ore Deus?
Promissus socios ubi nunc Hymenæus in annos,
  Qui mihi conjugii sponsor et obses erat?
Per mare, quod totum ventis agitatur et undis;
  Per quod sæpe ieras, per quod iturus eras;
Perque tuum mihi jurasti, nisi fictus et ille est,
  Concita qui ventis æquora mulcet, avum;
Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela,

et similitudinem meriti. Sic Suet. C. Cæs. 61. « Equo utebatur, cujus *instar* pro æde Veneris genitricis postea dedicavit ». Et Virgil. Æneid. VI, 865 :

... Quantum instar in ipso est!

31. *Jura, fides ubi nunc?* Heinsius malebat, *jura fidesque ubi sunt.* in Francofurtensi erat, *Jura, fides ubi sunt?* sed *ubi nunc* elegantius. BURM. Sic Dido Virgiliana, in eodem fere rerum articulo, exclamat, Æn. IV, 597 :

... En dextra, fidesque!

—*Commissaque dextera dextræ.* Dextram cum alicujus dextra conjunxisse pactum erat apud veteres, cujus religionem nemo ausus esset violare; cuique ea fides adhibebatur, ut satis fuerit Priamo, quo omni metu et suspicione solveretur, suam illi dextram Achillem protendisse. Il Ω. 671.

32. *Quique erat in falso plurimus ore Deus.* Deos omnes intellige quos testes vocabat Demophoon perpetuæ erga amantem fidei. Nec ita tamen respuenda opinio, quæ per *Deum*, Cupidinem interpretatur; et *plurimum* refert ad promissa sæpe sæpius data Phyllidos numquam deserendæ.

33. *Hymenæus.* Bacchi et Veneris filius, nuptiarum Deus, sub cujus nomine *socios annos*, id est conjugii societatem promiserat Demophoon.

34. *Sponsor, obses. Sponsor* est qui suum nomen pro alieno dat : *obses*, qui se ipsum tradit pro datæ fidei pignore. Gall. *garant*, *otage*.

37. *Perque tuum mihi jurasti* etc. Neptunum intellige. Hic enim Thesei pater creditus fuit. — *Fictus* prætuli cum Burmanno. Neque tamen vera esse non potest altera plurimarum membranarum, priscarumque editionum lectio, *falsus;* ea nimirum significatione, qua Metam. IX, 24 : *Jupiter aut* FALSUS *pater Herculis* etc., ut *falsus* idem notet ac *fictus*. — *Nisi;* dubitat adhuc Phyllis utrum genus suum ex Neptuno vere Demophoon prædicasset; an forte, sicut amorem suum erga hospitam, firmum redeundi propositum, aliaque multa, ita et originem illam *falso* jactasset. L.

39. *Nimiumque mihi facientia tela.* Otiosa certe et supervacua repetitio τοῦ *tela* possit videri. Scripti nonnulli *tella. Bella,* codex Franciscanorum Patavinus. Unde legebam, *nimiumque mihi facientia belli.* Nunc vero recordatus τὸ *facere* cum tertio casu frequenter ab Ovidio jungi,

Altera tela arcus, altera tela faces;
Junonemque, toris quæ præsidet alma maritis,
Et per tædiferæ mystica sacra Deæ.
Si de tot læsis sua numina quisque Deorum
Vindicet; in pœnas non satis unus eris.
At laceras etiam puppes furiosa refeci,
Ut, qua desererer, firma carina foret;
Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.
Heu patior telis vulnera facta meis!
Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis:
Credidimus generi, nominibusque tuis:
Credidimus lacrymis: an et hæ simulare docentur?
Hæ quoque habent artes, quaque jubentur, eunt?

nil muto. *Facere alicui* pro *facere ad aliquem*, Fast. IV, 807. HEINS. Douzam legisse *officientia*, notaverat Francius.

42. *Tædiferæ Deæ*. Cereris Eleusiniæ, quod præsentissimum numen Atheniensibus. Sic et Ἐχάτα δᾳδοφόρος Bacchylidi, in fragmentis, dicta. p. 264. Edit. Steph. HEINS.

44. *In pœnas non satis unus eris*. Recte *eris* cum melioribus scriptis, et editis nonnullis. Sequenti etiam versu: *At laceras* pro *ah*, probe Puteaneus et alii multi; quod indignationem efficacius exprimit. HEINS.

45. *Furiosa*. Id est, furenti amore obcæcata, prærepta. Sic Dido apud Virg. quæ de Ænea et sociis bene merita fuisset objectans, Æn. IV, 375:

Amissam classem, socios a morte reduxi.
Heu furiis incensa feror!

50. *Credidimus generi nominibusque tuis*. Lege sic, vel invitis libris, non autem *numinibus*; ne bis idem dicat. Sequitur enim mox, *Dis quoque credidimus*. *Genus* et *nomen* sæpe conjungunt auctores optimi. — *Generi nominibusque*. Præclaro amantium ortu muliebris vaniloquentia gaudet; et inde quoque major jurantibus viris fiducia. Sic Dido: Æn. IV, 12:

Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.

52. *Quaque jubentur*. Nihil muto. Prudent. Apoth. 838:

Surda prius, jam docta sequi quacumque jubentur.

Sic recte Codex optimus Bodleii: vulgo sine sensu, *quodcunque jubetur*. Doctissimus juvenis Slichtenhorstius, *cumque jubentur*. De jussis lacrymis vide omnino locum Juvenalis Sat. VI, 274. HEINS. Has artes pariter adhibet uterque sexus, nec viris cedunt mulieres, si credamus hisce carminibus nostri poëtæ, Art. Am. III, 291:

Quo non ars penetrat? Discunt lacrymare decenter,
Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.

Dis quoque credidimus : quo jam tot pignora nobis?
Parte satis potui qualibet inde capi.
Nec moveor, quod te juvi portuque locoque :
Debuit hæc meriti summa fuisse mei.
Turpiter hospitium lecto cumulasse jugali
Pœnitet, et lateri conseruisse latus.
Quæ fuit ante illam, mallem suprema fuisset
Nox mihi, dum potui Phyllis honesta mori!
Speravi melius, quia me meruisse putavi :
Quæcumque ex merito spes venit, æqua venit.
Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria! Simplicitas digna favore fuit.
Sum decepta tuis, et amans et femina, verbis:
Di faciant, laudis summa sit ista tuæ !

53. *Quid jam tot pignora nobis?* Puteanus codex, *quod jam.* Lege omnino, *quo jam;* elegans locutio, sed plerumque ab imperitis librariis interpolata. HEINS. — Nec sane tot *nomina* ad fidem confirmandam congerere tibi necesse fuit; uno quolibet ex his quæ tu pignora reditus esse dicebas, decipi potui.

55. *Nec moveor* etc. Non illud me movet, quod portu et regnis meis exceptum, iis, quibus possem, opibus juverim; sed *pœnitet* hospitii beneficio, quod officium commune est, cumulum *lectum jugalem*, non sine dedecore, addidisse, et latus lateri adjunxisse.

56. *Hæc.* Rectius *hoc*, multi ex scriptis. HEINS. sed mox *summa ista;* et Pont. IV. I. 4.

Accedet meritis hæc quoque summa tuis.

Ubi etiam codices multi, *hoc.* inf. Ep. III. 8. *Quamvis hoc quoque culpa tua est.* BURM.

61. *Quia te.* Libri quatuor, *quia me;* atque ita legendum esse, deque suis meritis hic loqui Phylliden sequens versus liquido arguit. HEINS.

62. *Quæcumque.* Nihil temere mutandum; mallem tamen, ut est in quibusdam MSS. *emerito;* vel *cuicumque ex merito.* vid. ad Ep. IV. 26; et V, 7. BURM. — *Quæcumque ex merito* etc., æquum est eum bene sperare, qui de aliquo bene meruit. HUBERT.

63. *Fallere credentem* etc. Sic Juno ironice ad Venerem, cum ardens Dido Æneam fureret, Æn. IV, 93.

Egregiam vero laudem, et spolia ampla refertis,
Tuque, puerque tuus!

credentem; quæ totam se perfido crediderat.

64. *Simplicitas* etc., candor ingenuus, quo me tibi tradidi, dignus sane fuit, quem alio pretio penderes.

66. *Di faciant, laudis summa sit ista tuæ!* Ultima sim, quam deceperis!

Inter et Ægidas media statuaris in urbe :
  Magnificus titulis stet pater ante suis.
Cum fuerit Scyron lectus, torvusque Procrustes,
  Et Sinis, et tauri mixtaque forma viri;
Et domitæ bello Thebæ, fusique bimembres,
  Et pulsata nigri regia cæca Dei :
Hoc tua post illum titulo signetur imago :
  « Hic est, cujus amans hospita capta dolo est. »
De tanta rerum turba, factisque parentis,
  Sedit in ingenio Cressa relicta tuo.
Quod solum excusat, solum miraris in illo.

67. *Inter et Ægidas* etc. Ironice hæc et quæ sequuntur. Thesei enim labores extollit magnificentius, quo maligniori in luce collocet filii gesta, quorum summa est puellam *credentem* turpiter decepisse. — *Statuaris :* stes media in urbe, statua donatus.

69. *Cum fuerit Scyron* etc. Legant, colligant omnes patris tui titulos et præclare facta, nomina nempe Scyronis, Procrustæ, Sinis etc. Hi famosi latrones, quorum primus Megara, alter Corydalum in Attica, postremus vero Corinthiacum isthmum infestabant. Scyron viatores spoliatos e saxis præcipites agebat; Sinis arboribus incurvatis ita alligabat, ut resurgentibus, eorum membra discerperentur. Famosus est Procrustæ lectus, cui prætereuntem quemque æquabat, longiores amputando, distrahendoque breviores. Hos omnes mactavit Theseus, ut narrant Plutarch. vit. Thes. init. et Diod. Sic. Eadem Ov. iterum Metam. VII, 432. *Racine, Phèdre, act.* I. *scen.* I.

70. *Mixtaque forma.* V. Æn. VI, 25:

... Mixtumque genus, prolesque biformis,
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandæ.

Partim enim hominis, partim tauri membris constabat Minotaurus, Pasiphaës filius, quem in labyrintho Cretæ trucidavit Theseus. Vid. Catul. Nupt. Pel. et Thes. 113; et Ovid. Metam. VIII, 153.

71. *Et domitæ* etc. Creon, Thebarum in Bœotia rex, qui Argivis sepulturam negaverat, a Theseo peremptus est. — *Bimembres.* Centauri, qui superne homines erant, umbilici tenus, infra autem equi : inter Pyrithoi nuptias a Theseo interfecti.

73. *Hoc tua post illum* etc. *Illum* refer ad Theseum, Demophoontis patrem.

74. *Hic est cujus amans hospita capta dolo est.* Libri quinque, *hospite dolo :* ut hic idem innuat, quod in Helenes epistola :

Certus in hospitibus non est amor.

Hospes dolus, ut *cymba hospes*, apud Statium, Sylv. v. I. 252. Heins.

76. *Sedit in ingenio Cressa relicta tuo.* Sensus est : e tot tamque præclare gestis a Theseo, solum hoc in animo tuo hæsit imitandum, Ariadne quondam a patre derelicta!

77. *Quod solum excusat, solum miraris in illo.* Hoc unum in Theseo *imitaris*, quod tot inter gloriose

Heredem patriæ, perfide, fraudis agis.
Illa, nec invideo, fruitur meliore marito;
Inque capistratis tigribus alta sedet.
At mea despecti fugiunt connubia Thraces,
Quod ferar externum præposuisse meis.
Atque aliquis : « Doctas jam nunc eat, inquit, Athenas!
Armiferam Thracen, qui regat, alter erit. »
Exitus acta probat. Careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.
At si nostra tuo spumescant æquora remo,

facta excusandum putat, et velit posteris subtrahere. Sic fere Comicus noster: *les Femmes Savantes*. A. I. S. I.

Quand sur une personne on prétend se régler,
C'est par les beaux côtés qu'il lui faut ressembler.

Mirari, sæpe, pro *imitari*.

78. *Heredem patriæ, perfide, fraudis agis*. Perfidiæ, non paternæ virtutis, heredem te geris. Quam sententiam, bis terque, more suo, et mira verborum varietate, poeta jam extulit.

79. *Illa, nec invideo, fruitur meliore marito*. Hunc locum expressisse videtur Seneca in Œdipo, 488, ubi ita est de Baccho et Ariadne ipsa :

Naxos Ægæo redimita ponto
Tradidit thalamis virginem relictam,
Meliore pensans damna marito. CIOR.

80. *Tigribus*. Baccho sacræ; *Capistratæ* dicuntur a *capistro*, quo animalium capita involuta tenentur ne fugiant, et quo facilius regantur.

81. *At mea despecti* etc. *Despectæ* legendum statuebat Walckenar. ad Euripidis Phœnissas, p. 515. Male, ut puto. Manifesta hic imitatio Virg. Æn. IV, 534:

... Rursusne procos irrisa priores
Experiar, Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sum toties jam dedignata maritos?

83. *Atque aliquis* etc. Amare Thrax quidam, quem loquentem inducit.

85, 86. *Exitus acta probat* etc. Heinsius ad h. l. *exitus acta probat*, « id est, inquit, bonus *exitus facta* probanda esse efficit; sed opto ut *successu careat*, quisquis *facta* culpanda esse credit, post bonum exitum. » Voluit, ni fallor, post *malum*. Sed eam quoque vulgi opinionem, bono exitu probari facta, suam fecisse Phyllida non puto; sicuti nec Burmannus putabat, cui priora verba, *exitus acta probat*, Thracum esse videntur, illudentium credulæ nimium Phyllidi, et exprobantium ipsi facilitatem, qua se hospiti tradidisset, cum *ex eventu* nunc perfidiam Demophoontis videret. Sequentia autem verba, ipsius Phyllidis, voventis successibus omnes carere, qui ita argumentarentur. Mihi vero Thracum, sive Thracis cujusdam, sermo multo concinnius versu 84 absolvi, quam ad medium v. 85 continuari; ac similiter opponenda ei Phyllidis responsio planius, et Ovidiano mori convenientius ab incipiente, quam a medio versu, initium ducere. LENNEP.

87. *At si nostra*. Nihil certe tuti

Jam mihi, jam dicar consuluisse meis.
Sed neque consului : nec te mea regia tanget,
Fessaque Bistonia membra lavabis aqua.
Illa meis oculis species abeuntis inhæret,
Quum premeret portus classis itura meos.
Ausus es amplecti, colloque infusus amantis

supererit poetis, si ex his quoque verbis obscæni aliquid et Venerei liceat exsculpere, ut fecit Mariang. Accursius in Diatribis ad lib. IV. Metam. Pro *spumescant*, *canescant* est in editione principe. BURM. Sensus obvius : si datur, quem speraveram exitus; si redis, ut promisisti.

88. *Jam dicar consuluisse meis.* Duplex hic sensus occurrere videtur. Vel enim dicit : prædicabunt mei consilium me rectum cepisse ; vel, *dicar* Thracum utilitati *consuluisse*, talem accipiendo, qui ipsos regeret, maritum. Utrumque recte, et ad rem.

89. *Nec te mea regia tanget.* Vulgo exponitur : nec *regia mea* tibi cordi erit. Vir tamen doctus (Miscell. observ. Vol. VI, tom. 1, p. 196) per *Enallagen* accipiebat, pro, *nec tu meam tanges regiam;* et negari nequit illuc aliquo modo ducere sequentia,

Fessave Bistonia membra lavabis aqua.

Esset tamen paulo durior *Enallage*. LENNEP. — *Tangit. Tanget*, tres libri; quod arridet. HEINS. *Tangit* editiones priscæ et scripti fere omnes, ut et inf. Ep. v. 81.

Non ego miror opes, nec me tua regia *tangit*.

Sed hic sequor Heinsium; diffidit enim jam puella, et desperat de reditu. BURM.

90. *Fessaque Bistonia membra lavabis aqua.* Sic quidem omnes legunt; et addunt commentatores, negationem esse intelligendam, ut sit sensus, nec lavabis membra aqua Bistonia. Ego vero legendum censeo, *Fessave Bistonia* etc., per disjunctivam particulam, quo pacto nihil supplendum in expositione erit. Nam disjunctivæ negationibus subjectæ, etiam ipsæ negandi vim habent. MICYLL. — *Fessaque Bistonia* etc. Periphrasis ad modum poetica, et cujus sensus est : Thraciam numquam revises. — Dicta autem regio *Bistonia*, a Bistone urbe, quam olim condiderat Bisto, Martis et Callirhoë filius. Est quoque *Bistonis* lacus, ad quem alludit, cum dicit; *Bistonia membra lavabis aqua.*

91. *Illa meis oculis* etc. Hic, et qui sequuntur versus, ad 102 usque, molles ita fluunt et numerosi, ut aurem jucundissima voluptate, et affectu tenerrimo animum simul perfundant. Nihil hic, quod intempestive luxuriet : omnia dicas pleno e pectore manare. — *Abeuntis inhæret.* Ita legendum Ep. VII, 26:

Æneas oculis semper vigilantis *inhæret*.

Et Trist. IV, III, 19, ex MSS :

Vultibus illa tuis tamquam præsentis *inhæret*.

Rectius etiam legeretur, *illa meis species oculis*. HEINS. Vell. Pater. II, 37. *Pene stulta est inhærentium oculis ingeniorum enumeratio.*

93. *Amantis. Amanti* conjeceram; atque ita chartaceus Vossianus. Metam. IX, 602, ut scribendum puto :

Vidisset lacrymas, vultus vidisset amantes.

Contra Fast. VI.

... Vultus velamine celat amatos. HEINS.

Oscula per longas jungere pressa moras :
Cumque tuis lacrimis lacrimas confundere nostras;
Quodque foret velis aura secunda, queri :
Et mihi discedens suprema dicere voce,
Phylli, face exspectes Demophoonta tuum.
Exspectem, qui me nunquam visurus abisti?
Exspectem pelago vela negata meo?
Et tamen exspecto. Redeas modo serus amanti :
Ut tua sit solo tempore lapsa fides.
Quid precor infelix? jam te tenet altera conjux
Forsitan, et, nobis qui male favit, amor.

94. *Oscula.* Moreti : *Jungere per longas basia pressa moras.* Sed a voce *basia* studiose abstinuit Ovidius, neque in omnibus ejus operibus vel semel occurrit, nisi nequitia librariorum, qui eam *osculis* sæpe ejectis substituerunt. BURM. — *Oscula — pressa.* Presse infixa, qualia solent esse amantium, quæ non *pressis* tantum labiis, sed dentibus, plerumque, et vel ipso morsu inferuntur. Hor. 1, Od. 13, v. 11 :

... Sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.

98. *Face. Fac* editio pr. et multi scripti; sed male. Fast. 1, 287:

Jane, face æternos pacem, pacisque ministros.

v. 690:

Et face ut emtori verba dedisse juvet. HEINS.

100. *Exspectem* etc., vivida et indignantis iteratio, cui novum etiam robur additum ex ipsa interrogandi forma. Sed quam *varium et mutabile semper femina!* Ut prona mox redit ad mitiores animi sensus! *Et tamen exspecto!*

102. *Tempore lapsa fides.* Ut fides tua labatur, id est, deficiat, solo temporis intervallo, non autem reipsa. Serius redeas quam a te juratum fuit, sed serius ocius, redeas tamen. — *Lapsa.* Unus codex *lassa*, alius *laxa*, vel *læsa.* Porphyr. Paneg. ad Constant.

... Curis sub Martis iniqui,
Nullis *læsa* fides. HEINS.

Sic et Horat. 1. Od. 33, v. 3 :

... Cur tibi junior
Læsa præniteat fide.

Francius etiam mallet, *et tua* etc., ut est in quibusdam scriptis. BURM.

103. *Jam te tenet.* Solita mulieribus loquela. Sic Penelope 1, Ep. 75. Notandum autem est qua arte unum semper querelarum genus variaverit Ovidius; quomodo alias loquendi formas, alios colores nec diversos tamen ad eadem sæpe sæpius iteranda, adhibuerit, præstigiator mirificus. — *Altera conjux.* Videtur alludere ad Laodicen virginem, quam Plutarchus tradit clam cognitam Demophoonti, Munichum filium genuisse : alii Callionem fuisse scribunt. VOLSCUS. Quæ hic Volscus de Laodice, et filio Demophoontis Municho ex illa nato refert, ea antequam in Thraciam et ad Phylliden venisset Demophoon, acciderant. Quam fabulam prolixe tradit Parthenius in Eroticis : nisi quod is Acamantem nominat fra-

Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti.
  Hei mihi! si, quæ sim Phyllis, et unde, rogas.
Quæ tibi, Demophoon, longis erroribus acto
  Threicios portus, hospitiumque dedi:
Cujus opes auxere meæ: cui dives egenti
  Munera multa dedi, multa datura fui;
Quæ tibi subjeci latissima regna Lycurgi,
  Nomine femineo vix satis apta regi:
Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum,
  Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.

trem Demophoontis, pro eo quem Plutarchus et alii Demophoontem vocant, a quo Laodice compressa Munichum pepererit. MICYL.

105. *Utque tibi excidimus.* Ita Senec. Med. 561: *Excidimus tibi.*

106. *Si quæ sim Phyllis, et unde, rogas.* Vulgata contemtus et vilitatis formula, qua ignotos compellare consueverant; ut Virg. 1. Æn. 369: Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris? ubi τὸ *tandem* inservit vehementiori animi commotioni. Ita Flor. 1. 18, de Tarentinis: *Sine discrimine insultant; qui enim aut unde Romani?* quem locum ejecto glossemate egregie constituit Salmasius. Livius XXIII, 34: *Cum quæreret qui et unde, et quo tenderent cursum.* BURM. — *Si quæ sim Phyllis.* Nullum certius oblivionis indicium quam contumeliosa illa interrogatio, qua fingit illum nomen etiam ignorare Phyllidis, de qua tam bene meruit. Sed si *quæ sim rogas*, addit Phyllis, respondebo tibi, eam esse me *quæ... cujus.....*

107. *Erroribus. Errantibus,* Codex Patricii Junii. Lege *longis erratibus.* Metam. IV, v. 567:

... Longisque *erratibus* actus
Contigit Illyricos profuga cum conjuge portus.

Quæ illic veterum librorum lectio. — *Acto.* Nostris litoribus, post tot errores appulso. Virg. Æneid. III, 338:

... Quis te ignarum nostris Deus *appulit oris?*

111. *Latissima. Lætissima* erat in Puteaneo a manu prima; sed fertilem fuisse Thraciam negant scriptores, et nec *cælo lætam, nec solo.* Infecundam, nisi qua mari propior, et frigidam esse dicit Mela, lib. II, 2. Quare retineo vulgatam. — *Regna Lycurgi* periphrasis est Thraciæ, ut Virgil. Æneid. III, 14. Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo. Hujus autem opportune hic mentio injicitur, ut beneficium suum eo magis commendet, quæ exceperat portubus suis Demophoonta, unde sævus et inhospitalis Lycurgus solitus erat non modo arcere hospites, sed occidere. BURM.

114. *Sacer.* Bene; sive quod omnes fluvii *sacri*, et Deorum numero adscripti, sive propter Bacchi orgia. *Nilus sacer*, ob sacra Ægyptia, ubi vide Gevart. Avien. Descript. Orb. *Sacer Alpheus*, propter ludos Olympiacos. *Sacer Eurotas* Virgilio, ob Palæstricam. Posset tamen legi *celer*, quia *admissæ aquæ* sequitur: sic a Senec. Theb. 607, vocatur *rapidus*

Cui mea virginitas avibus libata sinistris,
Castaque fallaci zona recincta manu.
Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis,
Et cecinit mæstum devia carmen avis.

Hebrus; et ita Amor. I, Eleg. VIII, 50:

Ut celer admissis labitur amnis aquis. HEINS.

Pro *exigit*, in Sarraviano codice erat *exserit;* sed nihil mutandum: eleganter enim notat evolvere, et expellere aquam per ostium in mare: ita Propert. III. Eleg. XIX, 3.

Tu quoque, qui æstivos spatiosius *exigis* ignes,
Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.

Silius III, 295:

... Aut *exigit* Umber
Nare sagax e calle feras.

Livius III, 61: *Pulsum vos immissis equis exigite e campo.* Eadem ratio in locutione *exigere ensem*, de qua alibi. BURM.

115. *Cui mea.* Mallem hoc distichon legere cum nota interrogationis, ut *cui* cum stomacho pronuncietur; id est, quam infido et perjuro amatori virginitatem libandam dedi? Epistol. seq. 61. *Cui me, violente, relinquis?* BURM. — *Cui mea virginitas* etc. Non est cur hoc distichon cum interrogationis nota legatur; et verbum *cui*, *cum stomacho pronuncietur*, ut malebat Burmann.

116. *Castaque fallaci zona recincta manu.* Nos ad Virginensem Deam, quam illi prisci colebant ac venerabantur, referendum existimamus. Solebant enim viri prima nocte sponsæ zonam in Virginensis Deæ honorem solvere, quod Homerus in Δ Odysseæ, his verbis tetigit, 244. λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην; hoc est, *solvit autem virginalem zonam;* ad quod est quoque referendum Catulli carmen: *Quod zonam solüit diu ligatam;* licet aliter, non bene, sentiant commentatores. SCOPPA. Festum adeas in verbo *Cingulo*, cujus hæc sunt verba: « Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis: ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se fit, sic vir suus secum cinctus, vinctusque esset. Hunc Herculaneo nodo vinctum vir solvit ominis gratia: ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui LXX liberos reliquit. » Dicebatur et cestus: unde *incestæ* nuptiæ appellatæ, prohibitæ, non legitimæ; in quibus *cestus* non esset adhibitus. CIOF.

117. *Pronuba Tisiphone*, Sic Seneca, Œdip. 644:

Et mecum Erinnyn pronubam thalami traham.

Auctor Octaviæ, vers. 24.

Illa, illa meis tristis Erinnys
Thalamis Stygios prætulit ignes. H.

Nihil frequentius Poetis, quam infaustis nuptiis *pronubas* et auspices Furias adhibere. — *Pronuba Tisiphone.* Noster, de nuptiis Procnes et Terei, Metam. VI, 428:

... Non pronuba Juno,
Non Hymenæus adest, non illi gratia lecto:
Eumenides tenuere faces de funere raptas;
Eumenides statuere torum, lectoque profanus
Incubuit bubo, thalamique in culmine sedit.

Ululavit. Proprie dictum. Virgil. Æn. IV, 168:

Summoque *ululârunt* vertice Nymphæ.

118. *Et cecinit mæstum devia carmen avis.* Malas aves designat, et bubonem inprimis, qui « deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam et *inaccessa* ». Plin. X, 12. Hinc apud Statium, de *via Domi-*

Adfuit Alecto, brevibus torquata colubris;
Suntque sepulcrali lumina mota face.
Mæsta tamen scopulos fruticosaque litora calco;
Quaque patent oculis æquora lata meis,
Sive die laxatur humus, seu frigida lucent
Sidera, prospicio, quis freta ventus agat.
Et quæcunque procul venientia lintea vidi,
Protinus illa meos auguror esse Deos.
In freta procurro, vix me retinentibus undis,
Mobile qua primas porrigit æquor aquas.

tiana, IV Sylv. Carm. III, 59:

His parvus (nisi *deviæ* vetarent)
Inoüs freta miscuisset Isthmos.

Quem locum, quia non caperent, vix credibile quomodo vexarint interpretes. Testis Cl. Markland. ad locum citatum.

119. *Torquata.* Sic et *torquatæ colubræ.* Priscian. Perieges. p. 395:

Psittacus hic viridis decoratus torque rubenti
Nascitur.

Horat. Ep. Od. V, 15:

Canidia brevibus implicata viperis
Eminet. HEINS.

Vossianus, *lata face.* BURM.

121. *Mæsta tamen* etc. Quamquam nulla spes reditus sit miseræ, *litora* tamen *calcat*, et qua potest latissime *æquora* prospicit, ut vela deprehendat, si quæ redeuntem Demoph. nuntient. Recte igitur *litora* et *æquora*; nec quidquam immutandum, præter Cl. Burmanni sententiam, qui multum hic frustraque ipsum se et lectorem torquet, et legendum tandem proponit:

Mœsta tamen scopulos, fruticosaque *culmina* calco,
Quaque patent oculis *litora* lata meis.

Hæc ego; cum fortuna quadam inter manus meas inciderunt, quæ in *Heroidum epistolas* annotavit vir hereditariæ in litteris antiquis famæ, Cl. Lennep, cujus vel ipsum nomen meritam in rebus criticis auctoritatem servabit. Porro, locum hunc ita distinguit et emendat, suadente collega nostro doctss. *Boissonade.*

Mœsta tamen scopulos fruticosaque litora calco:
Quaque patent oculis æquora lata meis,
(Sive die laxatur humus, seu frigida lucent
Sidera,) prospicio quis freta ventus agat.

Qua ratione omnis difficultas tollitur.

123. *Laxatur*, aperitur. Terram nocturno frigore constrictam sol matutinus tepenti calore *laxat* et aperit. Virg. Georg. II, 330:

... Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus.

126. *Meos..... Deos.* Non sane numina quævis mihi propitia, ut volunt fere omnes: solus est ipsi pro cunctis numinibus Demophoon. Sic Euripid. Iphigen. in Aul. et *Racine*, Iphig. act. 3, sc. 5.

... *Vous êtes en ces lieux*
Son père, son époux, son asyle, ses dieux.

128. *Mobile qua.* Legendum puto *quo*; *qua* autem, id est *ubi*, minus hoc loco congruit. CIOF.

Quo magis accedunt, minus et minus utilis adsto :
  Linquor, et ancillis excipienda cado.
Est sinus, adductos modice falcatus in arcus;
  Ultima prærupta cornua mole rigent.
Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas
  Mens fuit; et, quoniam fallere pergis, erit.
Ad tua me fluctus projectam litora portent,
  Occurramque oculis intumulata tuis.
Duritie ferrum ut superes, adamantaque, teque;
  Non tibi sic, dices, Phylli, sequendus eram.
Sæpe venenorum sitis est mihi : sæpe cruenta
  Trajectam gladio morte perire juvat.
Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
  Præbuerunt, laqueis implicuisse libet.

129. *Utilis.* Insolens ea vox in hoc sensu. *Quo magis accedunt venientia lintea*, eo *minus sum utilis* mihi; eo minus aliquid facere possum quod prosit; nam sensim deficiunt animus et membra, et inter ancillarum manus *cado;* ut de Didone Virgil. Æn. IV, 391 :

... Suscipiunt famulæ, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo.

131. *Est sinus adductos modice falcatus in arcus.* Modice curvatus, arcus instar qui tenditur.

132. *Cornua mole rigent. Fronte*, codex Angeli Aprosis. Vintimiliæ. HEINS. Ita et in Ambrosiano codice legitur; quæ lectio ab indocto librario proficisci nequiit; quamvis enim omnia contra vim aquarum excitata opera *moles* dicantur, eleganter tamen eminentia in illis loca *frontes* dicuntur; ita hic in *cornibus frons* est. Plin. XII, 7 : *Frontem Caucasi* dixit; et alii passim. Græci μετώπα vocant procurrentia in mare loca. BURM.

133. *Immittere. Submittere*, quidam; Douza *dimittere*, teste Francio, qui ipse malebat *demittere.*

137. *Duritie ferrum ut superes, adamantaque, teque.* Quamvis quidquid durum duritie *superes, teque*, qui vel ferro et ipso adamante durior, non poteris quin dicas etc. — *Duritia. Duritie* scripti. sic Epist. IV, 85. iidem codices, et Met. I, 401, et IV, 750 : ubi male *duritiam.* ita forte *materie*, Ep. VIII, 511, et Ep. IX, 19. HEINS.

141. *Colla quoque* etc. Nulli certe, modo limatum paulo sit judicium, probabitur insolens hæc et violenta collatio inter lacertos amantis qui amantem premit, et laqueum fatalem, quo suspensa vitam Phyllis statuit finire. Nemo certe ingenio unquam indulsit licentius.

142. *Præbuerant. Præbuerint* scripti nonnulli. Sed codex Puteaneus optimus, et quatuor alii, *præbuerunt;* vere. Sic epistola Didus :

Nec steterunt in te virque paterque meus.

Stat nece matura tenerum pensare pudorem :
In necis electum parva futura mora est.
Inscribere meo causa invidiosa sepulcro ;
Aut hoc, aut simili carmine notus eris :
Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem :
Ille neci causam præbuit : illa, manum.

Sic Virgilius, Ecloga quarta, 61 :

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

— Probe etiam veteres nonnulli, *implicuisse libet*, pro *juvat*, quod jam præcesserat ; nisi quis illic *libet*, cum uno Ambrosianæ Bibliothecæ reponi malit. HEINS.

143. *Matura*. Hoc loco est festina, ut Senec. Œdip. 73 : *Matura poscens fata*. Troad. 600 : *Me fata maturo exitu facilique solvant*. HEINS. — *Tenerum pensare pudorem*. *Miserum*, libri duo : ut Met. lib. x, 411 :

... *Miseroque* pudori
Parce, ait.

Ep. IX, 19 :

Quid nisi notitia est, *misero* quæsita pudori ?

Valer. Flac. VII, 411 :

Flagrantesque genas vidit, *miserumque* pudorem. HEINS.

144. *In necis electum*. Scriverianus, Argentinus, Francofurtensis, et undecim alii scripti, cum editione antiqua Veneta ; quod multo elegantius mihi vulgata lectione *electu*. Ita supra, V, 44 : *In pœnam non satis unus eris*. Et Ep. XVIII, 216, ex bonis codicibus :

Lumen in adspectum tu modo semper habe.

Flor. II, 6 : *In causam belli deleta Sagunthus*. Et centies alibi. BURM.

145. *Inscribere*. Malim *inscribende*, ut aptius cum sequentibus cohæreat. HEINS. Sed in pentametro posset legi, *atque hoc, aut simili*. — *Sepulcro*. Cum Paris ad Helenam rapiendam proficisceretur in Græciam, Phyllidis sepulchrum in Threicii Pangei promontorio exstabat. Auctor Coluthus, *de Raptu Helenæ*. CIOF. *Causa invidiosa* ; quæ legentium odium in te concitabit.

148. *Ille neci causam*. Rectius quam *necis*, quicquid membranæ nostræ dissentiunt. Fast. I, 674 :

Hæc præbet causam frugibus ; illa, locum.

Vulgatam tamen tuentur loca, Art. Am. III, 40.

... Tamen hospes et ensem
Præbuit, et causam mortis, Elissa, tuæ.

Et Ep. VI, 195 :

Præbuit Æneas et causam mortis et ensem. H.

DEMOPHOONTIS AD PHYLLIDEN

RESPONSIO,

AUCTORE AULO SABINO.

DEMOPHOONTIS AD PHYLLIDEN

RESPONSIO.

PHYLLIDI Demophoon patria dimittit ab urbe,
  Et patriam meminit muneris esse tui.
Nec face Demophoon alia, nec conjuge captus,
  Sed tam non felix, quam tibi notus erat.
Thesea, quo socero nequicquam, Phylli, timebas,
  Impuleritne ignes forsitan ille tuos;
Turpe pati nobis! regno ferus expulit hospes:
  Hunc illi finem longa senecta dedit.
Qui modo peltiferas fudit Mæotidas armis,
  Alcidæ magni non minor esse comes:
Qui socerum Minoa gravi sibi fecit ab hoste,
  Mirantem monstri cornua victa sui.
Arguor exsilii, quis credat? causa fuisse:

1. Male *demittit*, aliæ editiones. BURM.

4. *Sed tam non felix. Sed tamen felix*, prima editio. Latet mendum. Forte, *Esset tam felix*. Sensus certe tale quid postulat. HEINS. Francius volebat, *Tam felix utinam*.

5. *Quo socero nequicquam, Phylli, timebas. Tumebas*, reponendum asserit Heinsius: quo auctore, non dicit, nec video; sed ridet magis, qui e priori lectione sensus nascitur. Poterat enim *timere* Phyllis, *ne* Demophoonta Theseus pater revocaret ad se, sicque illorum amores *impelleret*, obturbaret etc.: fere vero odiosus, e reponenda lect. sensus; neque ex ipsius Phyllid. verbis de Theseo, deprehendas ita eam tali *socero tumuisse*. Ed prim. *Timebas*.

10. *Alcidæ magni non minor esse comes*. Imo:

Alcidæ magni, non minor ipse, comes. H.

— Emendatoris sagacitatem quis hic, ut centies alibi, non miretur? Quid vero de textu ipso, in tanta rerum verborumque perturbatione? Servandus igitur; sed non ableganda correctio.

13. *Arguor auxilii, quis credat, causa fuisse?* Prima editio, *Arguor exsilii quem credis*. Scribo non audaci conjectura, et distinguo:

Arguor exsilii, si credis, causa fuisse.

Nec tacitum frater, nec sinit esse reum:
Dum thalamos, inquit, dilectæ Phyllidos urges,
Et tuus externo cessat in igne furor;
Fluxere interea pede tempora lapsa fugaci,
Prævenitque tuas flebilis hora moras.
Forsitan aut nondum fractis occurrere rebus,
Aut poteras fractis utilis esse tamen.
Cur potiora tibi Rhodopeïa regna fuere,
Quæque magis regnis cara puella fuit?
Intonat his Athamas: eadem mox objicit Æthra,
Infelix functæ jam prope sortis anus;
Et quod non condant nati sua lumina palmæ,
Fecisse hæc nostras arguit usque moras.

Vel, *quis credat*, per parenthesin interrogatoriam. IDEM.

14. *Nec tacitum frater, nec sinit esse reum.* Corrigendum, si quid video:

Nec tacitum frater *me* sinit esse reum.

Tacitum non sinit esse *reum*, quia palam et aperte accusat. IDEM.

19. *Forsitan aut nondum fractis occurrere rebus.* Reponendum tam hoc, quam sequenti versu, *fractis* pro *factis*, sic postulante sententia. Malim etiam *fractis succurrere rebus*, quam *occurrere*. Naso in Tristibus, I, Eleg. V, 35:

Quo magis, o! pauci, lapsis succurrite rebus.

Fractæ res, ut in illo Horatiano II. Sat. III, 18:

... Postquam res mea Janum
Ad medium fracta est. HEINS.

—*Occurrere*, elegans: est enim opem ferre, antequam mala invaluerunt; prævenire. Justin. XXIX, 4: « Quibus tot tantisque rebus obsessus cui rei primum *occurreret*, ambigebat. BURM.

21. *Cur potiora tibi.* Imo *cur*, tam hic, quam proximo versu.; nisi illic *quo* malis. Præterea arridet, *Cur potiora tuis*, ut τὸ *regnis* subintelligatur. HEINS. *Cum potiora mihi.* Edd. Ald. Bersm. et Plant: deinde Heinsio placebat, *cur-ve magis regnis c. p. f.* forte: *Num potiora tibi etc.*

23. *Intonat his Athamas.* Lege, *Acamas*. Is enim Thesei filius, Demophoontis frater, ex belli Trojani, cui interfuit, scriptoribus notus. De ejus et Laodices amoribus, vid. Parthenium in Eroticis, cap. XVI. Ceterum Acamantem ac Demophoontem fratres equo Trojano cum aliis proceribus se credidisse testatur Quintus Smyrnæus, XII, 321.

Δημοφόων τε καὶ Ἀμφίμαχος, κρατερός τ' Ἀγαπήνωρ.
Σύν θ' Ἀκάμας τε Μέγης τε κραταιοῦ Φυλέος υἱος.

Et Tryphiodorus, in eadem de equo narratione:

Δημοφόωντ' Ἀκάμας τε δύω Θησήϊα τέκνα. H.

26. *Fecisse hic nostras.* Puto, *hæc*

Non equidem inficior : multum clamavit uterque,
  Staret Threiciis quum mihi puppis aquis.
Poscunt, Demophoon, quid cessas? carbasa venti:
  Demophoon patrios respice jure Deos.
Respice; et exemplum, qua gaudes, Phyllida sume:
  Sic amat, ut terra nolit abire sua;
Utque redire velis, non ut comitetur euntem,
  Te rogat; et præfert barbara regna tuis.
Me tamen hæc inter tacitum convicia sæpe
  Adversis memini vota tulisse Notis.
Sæpe abitura tuo ponentem brachia collo,
  Gavisum in fluctus æquora mota truces.
Nec metuam hoc, ipso coram genitore, fateri:
  Libertas meritis est mihi facta tuis;
Dicere, non duro dilectam Phyllida liqui
  Pectore : nec præceps vela ferenda dedi.
Et flevi; et flentem solando, sæpe remansi,
  Quum staret cursus jam mihi certa dies.
Denique Threïcia veni rate; non dare Phyllis

de Æthra enim est sermo, non de Acamante. Heins.

30. *Respice jure Deos.* Scripserat Sabinus, *respice, dure;* nisi præfers, *iture;* sed alterum præstat. Idem.

40. *Libertas meritis est mihi facta tuis.* Placet reponi:

Libertas meritis hæc mihi *parta* tuis:

Vel *pacta.* Heins.

41. *Dices non duro.* Ut a superioribus hæc aptius dependeant, legendum, *dicere.* Idem.

45. *Threicia rate.* Atqui suis navibus, sed refectis, rediit Demophoon; et *remigium* tantum dedit Phyllis. Vid. Ep. III, 45; neque etiam sensum video in vulgatis : si enim venit Demophoon *Threicia rate*, quomodo Phyllis non potuit illi *dare ratem?* hæc contraria mihi videntur. Si audacia detur, refingerem:

Remige Threïcio veni; nam non dare Phyllis
  Quam voluit, jussit tardius ire ratem.

Vel,

Remige Threïcio veni, rate nam dare Phyllis
  Quam potuit, jussit tardius ire meam.

Ut excuset Demophoon suas moras, quas in remiges confert, quibus instruxit classem Phyllis Demophoontis, et simul illis mandavit, ut tardius impellerent naves, nunc demum refectas; ipsa aut potuerat dare integram et recentem, sed noluit accipere. Videant me acutiores. Burm. Nihil mutandum censuit Lennep.

Quam potuit, jussit tardius ire ratem.
Ignosce et fasso ! memor es Minoidos ipse ;
Antiquus necdum pectore cessit amor ;
Et quoties oculis circumdat sidera, dixit :
« Quæ fulget cœlo, nostra puella fuit. »
Illum dilecta Bacchus sibi cedere jussit
Conjuge : desertæ crimen at ille subit.
Exemploque patris perjurus dicor et ipse,
Nec quæris causas, Sithoni dura, moræ ;
Nec satis ampla putas redituri pignora, si me
Non amor alterius, non amor ullus habet.
Nullane fama tibi turbatos, Phylli, penates
Theseos, et miseræ rettulit acta domus?
Non laqueos audis cari me flere parentis?
Flebilior laqueis, hei mihi! causa subest.
Non fratrem Hippolytum? cecidit miserabilis ille,
Præceps attonitis per freta raptus equis.
Non tamen excuso reditus : licet undique fata
Accumulent causas, tempora parva peto.
Thesea, quod superest, patrem tumulabimus ante :

49. *Et quoties oculis circumdat sidera, dixit.* Opinor a Sabino relictum fuisse :

Et, quoties oculis circumstant sidera, dixit.

Ut perstet Demophoon in incepto ad patrem sermone ; aut, si propius insistendum vulgatæ lectioni :

Et quoties oculos circumstant sidera, dixit.

Sed tum paulo ante refingatur :

Ignoscet fasso : memor est Minoidos ipse.

HEINS.

59. *Laqueos cari me flere parentis.* De laqueis Theseinihil mihi lectum ; et de patre, ut adhuc vivo, sed exsule regni, mox locuturus est : quare legendum, *caræ me flere parentis.* Et ita citat hunc locum Meursius in Theseo, cap. XXX, ut Phædram intelligat, quæ laqueo vitam finivit. Sed an recte unus idemque Demophoon doleat Hippolyti casum, et maternæ mortis infamiam, viderit Sabinus : nisi per illa verba, *flebilior laqueis hei mihi causa subest*, indicet, matris crimina causam esse tristiorem ipsa ejus morte. BURM.

63. *Non tamen excuso reditus.* Quæ tamen non affero, ad excusandum me quod non redeam. Similiter omnino Tacitus, Annal. I, 44. « *Reditum* Agrippinæ *excusavit*, ob imminentem partum et hiemem ».

Succedat tumulo non sine honore decens.
Da spatium veniamque, peto : non perfidus absum;
Nec mihi jam terra tutior ulla tua est.
Quidquid mite fuit post diruta Pergama : quidquid
Aut bella, aut pelagi detinuere moræ,
Sola fuit Thrace : patria quoque jactor in illa :
Auxilium superes casibus una meis.
Si modo mens eadem! nec quod sit jam mihi dives
Regia, Cecropia non minor arce, movet :
Nec patris offendunt casus, nec crimina matris;
Nec jam non felix omine Demophoon.
Quid si Phœbeam peterem, te conjuge, Trojam,
Perque annos sequerer bella gerenda decem?
Penelopen audis : toto laudatur in orbe,
Exemplum fidi non leve facta tori.
Illa pie, sic rumor ait, mendacia telæ
Struxit, et instantes distulit arte procos :

66. *Non sine honore decens.* Legendum, *decet :* par est parentem honorifice mandari terræ mortuum. HEINS. Nescio an recte. LENNEP.

67. *Da spatium.* Lege : *Des spatium veniamque, peto.* HEINS.

68. *Tutior ulla.* Mallem, *gratior*, vel, *lætior.* Heins. malebat, *mitior.*

70. *Aut bella.* Suadebat Francius, *aut belli.*

71. *Patria quoque jactor in illa. In ipsa*, scribendum putabat Heinsius : male. De Thracia enim agitur, quam patriam *quoque* vocat Demoph. et in qua *jactari* se dicit, curis scilicet angi, sollicitari, propter Phyllidis amorem.

73. *Nec quod sit jam mihi dives regia.* Heinsio *tibi* et Burmanno præferendum videbatur. Respici nimirum hic putarunt ad mentionem a Phyllide factam suæ regiæ, Epist. III, 89. Sed agi h. l. de Demophoontis regia satis, ut videtur, ostendunt sequentia. LENNEP.

79. *Toto laudatur in orbe.* Malo : Penelopen audis, toto laudetur ut orbe. Quomodo in Tristibus Naso, V, Eleg. XIV, 37 :

Cernis, ut Admeti cantetur, et Hectoris uxor. H.

80. *Fidi. Fidei* Edit. Bersm.

81. *Illa pie. Piæ telæ.* HEINS.

82. *Instantes distulit arte toros.* Diu est, quod *procos* corrigendum vidi : confirmat id prima editio. De Pont. III, Eleg. I, 107.

Æmula Penelopæ fieres, si fraude pudica
Instantes velles fallere nupta procos. H.

Nec aliter Virgilius in Culice, Horatius, Statius, Claudianus, et alii passim, quoties de Penelope sermo instituitur.

Quum properata palam revocaret stamina noctis,
  Atque iterum in lanas omne rediret opus.
At tua ne fugiant spreti connubia Thraces,
  Phylli, times : ulli nubere, dura, potes!
Estque tibi pectus cujusque accedere tædas?
  Obstat perfidiæ nec metus iste tuæ?
Ah! tibi quantus erit facti rubor! ah! tibi quantus
  Tum dolor, adspicies quum mea vela procul!
Damnabisque tuos sero temeraria questus!
  Demophoon, dices, hei mihi, fidus erat!
Demophoon rediit, et sævos forsitan Euros
  Passus, et hibernas dum quoque currit aquas.
Ah! cur nescio quam properavimus, hei mihi! culpam?
  Rupi, quam ruptam sum mihi questa, fidem.
Sic tamen, ac potius sic perstes, quam mihi de te
  Ulterior tangat pectora, Phylli, dolor!

83. *Revocaret stamina noctis.* Scribe :
Cum properata palam revocarent stamina noctes.
IDEM. *Noctu*, marg. Bersmanni, recte : ut *palam* sit luce, interdiu. vid. ad Nuc. 147. cum Penelope stamina *palam* properata, revocaret *noctu*.

84. *Omne rediret, Reneret* conjecerat Heinsius.

87. *Estque tibi pectus cujusque accedere tædas.* Puto :
Estne tibi pectus cujusquam accedere tædæ.
vel, *accendere tædas*. IDEM. *accendere tædas*, jam Passeratius ad Propert. III. Eleg. 18. pag. 523. produxerat.

92. *Demophoon, dices. Dicens*, Heinsius : ita Douza correxerat.

93. *Demophoon redit huc. Rediit* recte prima editio. Producit enim ultimam syllabam in *rediit, adiit, abiit, subiit, iniit*, Ovidius, nec sine aliorum poetarum exemplo, quamquam locis ab interpolatrici manu plerumque male acceptis. H.

94. *Passus, et hibernas dum quoque currit aquas.* Prima editio, *dum quoque credit.* Eruditi autem varie tentarunt. Heinsius, *dum properavit*, vel, *dum freta currit.* Francius, *huc ubi currit.* Burmannus, *et hibernas, dum modo currat, aquas.* Mihi legendum videtur ; *et hibernas, dum neque curat, aquas.* — LENNEP.

95. *Ah! cur nescio quam properavimus* etc. Versum hunc sine dubio corruptum, ita Francius refingebat : *Ah! cur nescio quam properavi credere culpam.* Satis certe commoda sententia : possit vero in sensum illum etiam ita legi : *Ah! cur, nescio quam properans mihi fingere culpam, rupi* etc. LENNEP. Ingeniose quidem tentatum ; sed audacter nimis, vel in Pseudo-Sabinum.

Quos tibi, me miserum! laqueos, quæ fata minaris?
Et nimis audaces gens habet ista Deos.
Parce, precor : famamque domus mihi crimen habentis
Perfidiæ, gemina ne preme, dura, nota.
Excuset patrem fatis in parte relicta
Gnosis : non merui, cur ferar ipse nocens.
Nunc venti mea verba ferant, qui vela tulerunt.
Est animus reditus : sed pia causa tenet.

99. *Quos tibi... laqueos* etc. Ad ea respondet, quæ Phyllis ipsa, Epist. 11, 141 :

Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
Præbuerunt, *laqueis implicuisse libet.*

100. *Et nimis.* Forte, *Ut nimis audaces gens habet ista Deos!* Heins. Vel potius, *Et nimis audaces gens habet ista manus.*

103. *Excuset patrem fatis in parte relicta Gnosis* etc. Sic intelligas : *Relicta Gnosis,* id est Ariadne deserta, Theseum patrem potest *in parte* fatis excusare, ut pote quam (sup. 51.)

Illum dilecta Bacchus sibi cedere jussit eto.

Itaque fatorum legibus obtemperare, quamvis invitus, debuit. Inde tamen *desertæ crimen subiit,* et nocens ab illa est habitus, quæ *fatis* tamen poterat excusare. Ego vero non merui cur, vel *in parte,* nocens a te habear.

105. *Nunc venti mea verba ferant* etc. Alludit ad versum 25, Ep. Phyllidos :

... Ventis et verba et vela dedisti.

Unde legendum conjiciebat Medenbach, teste et probante Lennepio :

Nec venti mea verba *ferunt.*

EPISTOLÆ TERTIÆ

ARGUMENTUM.

Postquam Phrygiam Græci adpulerunt, urbes Trojæ finitimas, præcipueque Lesbo insulæ oppositas, hostili more aggressi populari cœperunt. Achilles quidem utramque Ciliciam, et Thebanam, et Lyrnesiam invasit. Expugnato inde Chrynesio oppido, duas egregia forma virgines abduxit, Astynomen, Chrysæ sacerdotis filiam; et Hippodamiam, Brisæ natam; quæ postea patronymice Chryseis et Briseis cognominatæ sunt. Chryseida Achilles Agamemnoni concessit, servata sibi Briseide.

Quum vero Agamemnon Deorum jussu suam Chrysæ natam reddere coactus fuisset, Achilli Briseida per vim eripuit; iratusque Achilles ab armis aliquandiu secessit, nec ullis precibus, aut donis moveri potuit, ut iram deponeret; nec ipsam Briseida recipere voluit, quamvis Agamemnon illi ultro remisisset.

Hanc ergo Briseis epistolam Achilli mittit, qua ferociorem animum emolliat, et ad arma revocet, se tamen prius recepta. (Hom. Il. A, B, I et Π. Dictys Cret. II.)

EPISTOLA III.

BRISEIS ACHILLI.

Quam legis, a rapta Briseide litera venit,
  Vix bene barbarica Græca notata manu.
Quascunque adspicies, lacrymæ fecere lituras;
  Sed tamen et lacrymæ pondera vocis habent.
Si mihi pauca queri de te dominoque viroque
  Fas est, de domino pauca viroque querar.
Non ego poscenti quod sum cito tradita regi,

1. *A rapta Briseide.* Rapta scilicet ab Agamemnone, qui Deorum jussu, et Calchante ministro, coactus Chryseida patri suo reddere, ut flecteret iram Apollinis, suam Achilli captivam eripi jussit. Quod quidem, licet inviti, exsequendum susceperunt Eurybates et Talthybius, qui Agamemnonis præcones. Iliad. Α, 320. sqq:

Ἀλλ' ὅγε (*Agamemnon*) Ταλθύβιόν τε καὶ Εὐρυβάτην προσέειπεν,
Τώ οἱ ἔσαν κήρυκε καὶ ὀτρηρὼ θεράποντε·
Ἔρχεσθον κλισίην Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος.
Χειρὸς ἑλόντ' ἀγέμεν Βρισηΐδα καλλιπάρῃον·
Εἰ δέ κε μὴ δώῃσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι,
Ἐλθὼν σὺν πλεόνεσσι· τὸ οἱ καὶ ῥίγιον ἔσται.

2. *Vix bene barbarica* etc. Nil mirum si puella Cilix, ideoque *barbara*, græcas litteras minus bene noverit.

4. *Pondera vocis habent.* Suus enim et lacrymis est sermo, qui vim aliquando non minorem habet, quam ipsa verba. — *Hæ lacrymæ*, Ed. prim.

6. *Fas est.* Forte *fas sit*, nisi totus locus melius ita sit constituendus:

Sit mihi pauca queri de te dominoque viroque,
  Fas si de domino pauca viroque queri.

Nam Puteaneus et Regius *queri.* — Non recte: solet enim noster simili repetitione verborum aliquando argutari. Vid. Ep. xv, 39. Color autem desumtus e jure, quo vetitum servos de dominis queri, ut ex Plat. lib. IX. de Rep. adnotabat Bersmannus. B.

7. *Sum cito.* Forte *tam cito*, et

Culpa tua est; quamvis hoc quoque culpa tua est.
Nam simul Eurybates me Talthybiusque vocarunt,
Eurybati data sum Talthybioque comes.
Alter in alterius jactantes lumina vultum,
Quærebant taciti, noster ubi esset amor.
Differri potui : pœnæ mora grata fuisset.
Hei mihi! discedens oscula nulla dedi :
At lacrymas sine fine dedi, rupique capillos.
Infelix! iterum sum mihi visa rapi.
Sæpe ego decepto volui custode reverti;
Sed, me qui timidam prenderet, hostis erat.
Si progressa forem, caperer ne forte timebam,
Quamlibet ad Priami munus itura nurum.

mox ex scriptis, *hoc quoque culpa tua est.* HEINS. Respexit forte illa Catulli, Carm. LXVIII :

Non ita Cæcilio placeam, cui credita nunc sum,
Culpa mea est, quamquam dicitur esse mea.
BURM.

9. *Nam simul Eurybates* etc. Nusquam forte mirandum magis, magisque laudibus extollendum eminet ingenium Homeri, quam quum *iracundus, inexorabilis, acer* Achilles, qui manum vix a regum rege abstinuerat, religiose adeo et comiter pavidos præcones excipit; et triste, quo functuri veniunt, ministerium veneratus, Patroclum placide jubet Briseida ipsis tradere, quæ invita sequitur ad navem : ἡ δ' ἀέκουσ' ἅμα τοῖσι γυνὴ κίεν. Il. A, 348. sqq. — *Vocarunt.* Exprimit Græcum κηρύσσειν, quod proprium præconum : idem forte quod Cæsar, v. de Bell. Gall. 26. dixit *conclamare.* HEINS.

12. *Quærebant taciti* etc. Mirum quippe illis videri debebat, tam facile captivam Achillem dimittere, quam mox retenturum se tanto animi impetu, et tam vehementi oratione, in principum concilio dixerat. Jure igitur *quærebant* præcones, *ubi amor* ille Achillis in Briseida. — *Noster ubi esset amor.* « Imo *vester,* inquit Heinsius, vel invitis libris. Nisi interpretaris *amorem* qui *inter nos* fuit ». Atqui hæc unice vera est interpretatio. LENNEP.

13. *Pœnæ mora grata fuisset. Grata* mihi *mora,* quæ tantum dolorem (*pœnam*) paulo saltem distulisset.

16. *Iterum sum mihi visa rapi.* Briseidem raptam ante fuisse non legi. Quare arripio, quod in plurimis codicibus est exaratum, *visa capi;* expugnata scilicet ab Achille Lyrnesso. Briseis ipsa hac eadem Epistola :

An tantum, dum me *caperes,* fera bella probabas?

19. *Caperer ne forte.* Quidam *nocte;* sed præstat quod est in Naugerianis libris et Francofurtensi, *forte.* HEINS. *Forte* jam conjecerat Aaron Battaleus, qui offensus voce *nocte,* quatuor hic versus, ut spurios, ejicere volebat, vel servatos ordine mutare.

Sed data sim, quia danda fui : tot noctibus absum,
Nec repetor : cessas, iraque lenta tua est.
Ipse Menœtiades, tunc, cum tradebar, in aurem,
Quid fles? hic parvo tempore, dixit, eris.
Non repetisse parum est : pugnas, ne reddar, Achille.
I nunc, et cupidi nomen amantis habe.
Venerunt ad te Telamone et Amyntore nati;
Ille gradu propior sanguinis, ille comes;
Laertaque satus, per quos comitata redirem.
Auxerunt blandæ grandia dona preces :

21. *Sed data sum. Data sim*, Puteani codex optimus; et quidem vere ac eleganter : demus enim me datam esse. HEINS.

23. *Ipse Menœtiades* etc. Tale nihil apud Homerum; jubenti amico paret tacite Patroclus; Hom. loc. cit. 345. Sed quis invideat Menœtiadi sensum hunc commiserationis in miseram Briseida, cujus dolor Patroclum fugere non poterat, quem amicum semper fuerat experta, ut patet ex Homer. Il. T, 287 et sqq? — *In aure. In aurem* rectum est. Mart. v. Epigr. 6 :

Nescio quid dominæ teneram qui garrit *in aurem*.

25. *Nec repetisse. Non* editiones fere omnes et scripti; quod probo. De usu vero vocis *parum* vide Gronov. ad Plin. XXI, 13. Epist. IX, 47 : *Hæc mihi ferre parum est.* Quinctil. Decl. IX, 12. *Parum est quod insanos pertuli fluctus.* Ita *parum habere* Velleii Paterc. II, 76 : sic et *minimum est;* de quo ad Quinct. Decl. II, 1. et VI, 17. BURM. — *Pugnas, ne reddar.* Quum enim fracti jam bello Græci, et, urgente Hectore, ad extremum prope redacti, ad Achillem misissent qui flecterent animum, et revocarent ad pugnam, reddenda Briseis primum erat oblatæ ab Agamemnone fidei pignus :

... μετὰ δ' ἴσσεται, ἣν τὸτ' ἀπηύρα,
Κούρην Βρισῆος. Il. I, 273.

Sed injuriæ memor Achilles dona omnia, et ipsam, quam tantopere dilexerat, constanter respuit. Invisa quippe illi quæcumque ab Agamemnone : Ἐχθρὰ δέ μοι τοῦ δῶρα. Ib. 378.

26. *I nunc, et cupidi.* Lege *I nunc, I cupidi.* HEINS. Sed nihil opus contra scriptos; licet enim elegantius τὸ *et* subintelligi quoque censeat Heinsius ad Claudian. I. de Rapt. Pros. 99; mille tamen exempla occurrunt, ubi exprimitur. — *I nunc* etc. Ironice; quasi dicat Briseis : *I nunc*, et virum te recuperandæ Briseidos *cupidum* prædica! Iratorum more : sic fere Alecto ad Turnum :

I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis!
Tyrrenas, i, sterne acies! ÆN. VII, 425.

28. *Ille gradu propior sanguinis.* Telamon quippe, qui Ajacis pater, frater erat Pelei; ideoque Achilles et Ajax patrueles. Quo quidem titulo ille nititur in contentione uter Achillis arma possideret, Ajax-ne, an Ulixes.

Frater erat : *fraterna peto.* METAM. XIII, 21.

30. *Auxerunt blandæ grandia dona*

Viginti fulvos operoso ex ære lebetas,
Et tripodas septem, pondere et arte pares:
Addita sunt illis auri bis quinque talenta;
Bis sex, adsueti vincere semper, equi:
Quodque supervacuum, forma præstante puellæ
Lesbides, eversa corpora capta domo;
Cumque tot his, sed non opus est tibi conjuge, conjux
Ex Agamemnoniis una puella tribus.
Si tibi ab Atrida pretio redimenda fuissem,
Quæ dare debueras, accipere illa negas?
Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?
Quo levis a nobis tam cito fugit amor?

preces. Blandas preces, Puteani liber cum reliquis plerisque : alii quatuor cum Menteliano, *blandæ preces;* quod genuinum Nasonis arbitror, quum τὸ *grandia dona* quarti casus ad sequentia sit referendum; id quod Douzæ arridebat. Nisi *lebetes* et *tripodes* mox legas, ut in multis manu exaratis offendi; et tum *blandas preces* admittam; sed et hoc vitiosum. Sic apud Virgilium III. Æn. 466, optimi MSS. *Dodonæosque lebetas.* Stat. X. Theb. 101. ex MS. *Tapetas.* HEINS. Ego *blandæ preces* retineo; licet enim *grandia* essent *dona, auxerunt* ea, et pretium majus addiderunt *blandæ* preces. Sensus idem in illis Terentii Eunuchi. II, 1 : *Munus nostrum ornato verbis.*

31. *Viginti fulvos* etc. Omnia hæc ex Homero, I, 264 et sqq.

34. *Bis sex.* In libro Aldino, qui anno M. D. II. impressus est, et in uno Vatic. *bis septem* legitur: male priorem lectionem retinet alter Vatic. et Homerus comprobat lib. jam citato, 265 :

... δώδεκα δ' ἵππους
Πηγοὺς, ἀθλοφόρους, οἳ ἀείθλια ποσσὶν ἄροντο.

— *Vincere.* Quidam codices *currere;* quæ lectio, licet ex glossa videtur esse, posset tamen defendi altero Ovidii loco, I. de Pont. Eleg. III :

Quamque licet longis *cursibus* aptus equus.

Sed *vincere* hic est currendo vincere. HEINS.

35. *Quodque supervacuum* etc. Muliebriter, nec sine invidia : terrent enim Lesbides puellæ, quia *forma præstant;* terret magis,

Ex Agamemnoniis una puella tribus,

quæ *conjux* Achilli ab Atrida offertur; quia *non opus* est illi *conjuge*, qui habeat Briseida. Omnia hæc ingeniose; vere tamen, quia e natura loquentis.

36. *Corpora capta.* Proprie locutus : in servitutem enim redacti vix hominum nomine digni, *corpora* tantum vocabantur: vid. l. XLIII. §. 9. ff. *de ritu nupt.* et ita passim Græci σώματα. BURM.

40. *Negas.* Malim, *neges*, cum altero Scriveriano, per interrogationem. HEINS.

An miseros tristis fortuna tenaciter urget?
Nec venit inceptis mollior aura meis?
Diruta Marte tuo Lyrnesia mœnia vidi :
Et fueram patriæ pars ego magna meæ.
Vidi ego consortes pariter generisque necisque
Tres cecidisse : tribus, quæ mihi, mater erat.
Vidi ego, quantus erat, fusum tellure cruenta,
Pectora jactantem sanguinolenta, virum.
Tot tamen amissis te compensavimus unum :
Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras.

44. *Nec venit inceptis mollior aura meis. Mollior hora*, optimus Puteani codex, cum aliis nonnullis. Sic Propertius II. Eleg. XXI, 18 :

Extremo veniet mollior *hora* die.

Ubi tamen *aura* quoque in nonnullis codicibus. De Pont. III. Eleg. III, 84 :

Et veniet votis mollior *hora* tuis. HEINS.

Aura melius per metaphoram a navigantibus sumptam quibus favent ventorum molliores auræ. Sic Ovid. Fast. II, 148 :

A Zephyris mollior *aura* venit.

Trist. lib. IV. El. V, 19 :

... Remis ad opem luctare ferendam,
Dum veniat placido mollior *aura* Deo.

45. *Diruta Marte tuo Lyrnesia mœnia vidi.* Meminit et ipse Achilles, Il. T, 60, quum amissi Patrocli dolore amens, Dianam vellet ipsam hanc Briseida sagittis transfixisse,

Ἥματι τῷ, ὅτ' ἐγὼν ἱλόμην Δυρνησσὸν ὀλίσσας.

48. *Tribus.* Distingue *tribus, quæ mihi, mater erat ;* tres fratres suos innuit. HEINS. Francius volebat, *quibus, quæ mihi, mater erat.*

50. *Jactantem.* Plurimi MSS. *versantem :* forte præstat. Sic enim loqui amat Stat. IX. Theb. 162 :

Heu qualem *versari* in sanguine vidi.

Sic lege, non *versare*, vel *lapsare*, ut Bernartius ex suis legit. Vulgata tamen non temere rejicienda. Met. V, 59 :

Hunc ubi laudatos *jactantem* in sanguine vultus.

Et X. 721 :

Exanimem, inque suo *jactantem* sanguine corpus.

HEINS. Eadem diversitas est IV, Trist. III, 26 :

Fessaque *jactati* corporis ossa dolent.

Ubi quidam *versati*, ut legitur I, Amor. II, 4 :

Lassaque *versati* corporis ossa dolent.

— *Virum.* Conjugem Mineten, qui Ciliciæ rex fuisse traditur.

51. *Tot tamen amissis.* Quidam codices, *nos de tot amissis*, forte pro *nosque, tot amissis, te compensavimus unum.* Malo tamen : *Tot tamen amissos te compensavimus uno.* HEINS. — Gronovius, IV. Observ. 13. legit :

Tot tamen amissos tecum pensavimus uno.

Ego Heinsii conjecturam præferrem ; *compensamus* enim damna lucris. Cic. pro Fontejo, cap. 1 : « Socii, qui Gallicorum bellorum pericula, populo Romano coriis remisque *compensarunt.* » Et ita passim alii. BURM.

52. *Tu dominus, tu vir* etc. Sic apud Homer. qui semper afferendus, ubi nobile quid et ingenuum

Tu mihi, juratus per numina matris aquosæ,
Utile dicebas ipse fuisse capi.
Scilicet ut, quamvis veniam dotata, repellar;
Et mecum fugias, quæ tibi dentur opes!
Quin etiam fama est, quum crastina fulserit Eos,
Te dare nubiferis lintea plena Notis.
Quod scelus ut pavidas miseræ mihi contigit aures,
Sanguinis atque animi pectus inane fuit.
Ibis : et o, miseram cui me, violente, relinques?
Quis mihi desertæ mite levamen erit?

occurrit ab ipso derivatum; sic, inquam, Andromache suum adloquens Hectora, postquam interfectos ab Achille patrem, matrem et fratres commemoravit, exclamat ex animo, Il. Z, 429:

Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

54. *Utile dicebas* etc. Ironice. Potiorem mihi apud te conditionem fore pollicebaris, quam vel in ipsa stante patria! *Scilicet*, ut *repellar* a te, quamvis *dotata veniam* muneribus quæ tibi mecum Atrides remittit.

55. *Scilicet, ut, quamvis veniam dotata, repellar.* Simplicius est, quod Scaligero placebat, *repellas*. Sequitur enim: *Et mecum fugias, quæ tibi dantur, opes.* Dan. Heins. *Repellas*, Puteaneus; placet. Pro *dantur* mox, Lovaniensis unus, *dentur*. Heins.

57. ..... *Quum crastina fulserit Eos* etc. Expresse dixerat Achilles, Il. I, 357. et sqq: Αὔριον ἠρὶ Διὶ ῥέξας κ. τ. λ. — *Fulserit hora.* Ita est in libro Vaticano. Ciof. *Eos*, optimus Puteaneus: cæteri omnes, *hora;* perperam.

58. *Nubiferis Notis.* Id est *ventis adversis;* eo usque iræ deveneris! Adversi enim *Noti*, ex Troade in Græciam navigantibus. Is plane Ovidii sensus, et toto cælo aberraverunt, qui aberrantem hic poetam deprendere se jactitant. — *Lintea plena.* Reponendum *lintea velle.* Notum variare hic libros, quum alii, eo quo edidimus modo; alii *lintea plena* legant. Ego nondum ab iis dissentio, qui ex utraque lectione veram constituunt, *et lintea velle*, emendant:

Quin etiam fama est, quum crastina fulserit Eos,
Te dare nubiferis lintea velle Notis.

Dan. Heins. Sic infra in epistola Œnonis:

Aura levis rigido pendentia *lintea* malo
Suscitat.

— *Te dare*, pro *daturum te*, præsens pro futuro, poetis familiare, quo promtior currat sententia et expeditior. Noster, Metam. VII, 739:

...Dum census *dare* me pro nocte pacisci.

60. *Animi pectus inane fuit.* Malim *animæ pectus inane fui*: ut apud Statium, *Tirynthius almæ Pectus amicitiæ;* si locus sanus est. *Animæ*, ut infr. hac Epistola, 142:

Sustinet hoc animæ spes tamen una tui.

Sic Metam. XII, 487: *Corpus inane animæ* dixit. Heins.

Devorer ante, precor, subito telluris hiatu,
Aut rutilo missi fulminis igne cremer,
Quam sine me Phthiis canescant æquora remis,
Et videam puppes ire relicta tuas.
Si tibi jam reditusque placent, patriique Penates,
Non ego sum classi sarcina magna tuæ.
Victorem captiva sequar, non nupta maritum :
Est mihi, quæ lanas molliat, apta manus.
Inter Achaiadas longe pulcherrima matres
In thalamos conjux ibit, eatque tuos :

63. *Devorer ante, precor* etc. Sic Dido apud Virg. IV, 24 :

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam.

Majori quidem verborum apparatu ; sed uterque recte et scienter : hic enim Epicum carmen ; Epistolam ille scribebat.

65. *Canescant æquora remis.* Feliciter admodum Tragicus noster :

Voyez tout l'Hellespont blanchissant *sous nos rames.* IPHIG. I, 5.

Sic patrium sermonem ditare, sic decet veterum spoliis onustum ad tractandam poesim accedere.

67. *Si tibi tam reditus* etc. Ego vulgatam *jam* cum Burmann. retinendam censeo, et hic loci vim habet. Quovis enim alio tempore præmaturus hic in patriam *reditus ;* et ignava, durante ad Trojam bello, domi quies Achilli, gloriæ cupidissimo, *non placuissent.* LENNEP. — *Si tibi jam.* Placet, quod in margine libri sui, quem cum Palatinis contulerat, et quo usi sumus, annotaverat vir eximius Janus Gruterus : *Si tibi tam reditusque placent.* DAN. HEINS. — Scribe *tam placent*, ut Grutero videbatur et Douzæ. Epist. Sapphus :

Si *tam* certus eras hinc ire.

Similiter peccatum, Metam. x. Fab. Myrrhæ. 339 :

Nuńo quia *tam* meus est, non est meus.

Quum libri editi ac scripti constanter illic exhibeant, *jam meus.* Sequenti etiam versu rectius reponas : *Non ego sim.* HEINS. — *Patriique penates.* Vid. ad Ep. V, 126. Quidam scripti hic *sociique.*

68. *Non ego sum classi sarcina magna tuæ.* Sic apud Sophoclem Philoctetes ad Neoptolemum, 487 et sqq :

Τὸλμησον, ἐμβαλοῦ μ' ὅπῃ θέλεις ἄγων,
Ἐς ἀντλίαν, ἐς πρῴραν, ἐς πρύμναν θ',
ὅποι
Ἥκιστα μέλλω τοὺς ξυνόντας ἀλγυνεῖν.

69. *Victorem captiva sequar* etc. Quæ modo Achilli invidebat conjugem unam ex Atridæ filiabus, utpote cui *non opus*, quia Briseis erat ; rogat nunc supplex, ut liceat *captivæ* sequi *victorem ;* nec ullum detrectat servitii genus, modo sequatur !

Improbe amor, quid non mortália pectora cogis !
ÆN. IV, 412.

Digna nurus socero, Jovis Æginæque nepote;
Cuique senex Nereus prosocer esse velit.
Nos humiles, famulæque tuæ, data pensa trahemus;
Et minuent plenas stamina nostra colos.
Exagitet ne me tantum tua, deprecor, uxor,
Quæ mihi nescio quo non erit æqua modo.
Neve meos coram scindi patiare capillos:
Et leviter dicas: Hæc quoque nostra fuit.
Vel patiare licet, dum ne contemta relinquar:
Hic mihi væ miseræ concutit ossa metus.
Quid tamen exspectas? Agamemnona pœnitet iræ,
Et jacet ante tuos Græcia mœsta pedes.
Vince animos iramque tuam, qui cetera vincis.
Quid lacerat Danaas impiger Hector opes?

77. *Quæ mihi nescio quo non erit æqua modo.* Perperam, et nescio quo sensu, *erat*, hic legendum quidam censuerunt. Fugerat-ne quidquid delicatum, exquisitum quidquid in illo animi affectu, quo, conjugem Achillis, fuerit quæcumque, ante reformidans, *iniquam* sibi fingit Briseis, quamvis nesciat, aut potius reticeat pudice, *quo modo?*

80. *Et leviter.* In Gronoviano erat *leniter et dicas.* Editio vetus contra metrum *et leniter*, quod exponunt sine ira, et turbatione: sed recte se habet vulgata: *leviter* vero *dicere*, est non vehementer, non voce magna et sublata, ut increpantes solent, sed quasi suppressa; nolim, dicit Briseis, te uxorem, me *exagitantem*, increpare iracunde; sed voce submissa dicas: *hæc quoque nostra fuit.* Amor. III, 30:

Tu *leviter* puerum posce quid ipse velis. B.

81. *Vel patiare licet.* Vel hoc ipsum, *scindi capillos*, non respuit Briseis, modo non ab Achille *contemta* deseratur.

82. *Concutit ossa metus.* Multi codices *concitat;* alii etiam *tremor* vel *timor.*

85. *Vince animos, iramque tuam.* Vicit etenim, sed qualiter decebat Pelei filium. Vid. apud Homer. T, 56, et sqq; et quanta inde voluptas Achivorum agmen perfuderit, testatur idem, his verbis: Ibid. 74:

... Οἱ δ' ἐχάρησαν ἐὺκνήμιδες Ἀχαιοί,
Μῆνιν ἀπειπόντος μεγαθύμου Πηλείωνος.

Quod ridicule prorsus, ne dicam inepte, vertit unus e nostris:

Tout le camp s'écria dans son transport extrême:
Que ne vaincra-t-il point? il s'est vaincu lui-même.

Quid de tali versione senserit arbiter ingenii elegantissimus *Voltaire*, vid. *Quest. Encycl.* ad verb. *Esprit.*

86. *Quid lacerat Danaas impiger Hector opes?* Elegans conjectura est J. H. Hoeuftii, viri politissimi, (in

Arma cape, Æacida, sed me tamen ante recepta;
Et preme turbatos, Marte favente, viros.
Propter me mota est, propter me desinat ira;
Simque ego tristitiæ causa modusque tuæ.
Nec tibi turpe puta precibus succumbere nostris:
Conjugis Œnides versus in arma prece est.
Res audita mihi, nota est tibi. Fratribus orba
Devovit nati spemque caputque parens.
Bellum erat: ille ferox positis secessit ab armis,
Et patriæ rigida mente negavit opem.
Sola virum conjux flexit. Felicior illa!

Periculis criticis, p. 275) pro *impiger*, legentis *integer*. Potest tamen etiam vulgata ferri: est enim apposita h. l. et ad movendum Achillem veſimprimis apta mentio indefessæ Hectoris in premendo vexandoque Græcorum exercitu pertinaciæ. LENNEP.

87. *Arma cape, Æacide. Æacida* codex alter Regius, ut Siliuś de Homero ad Achillem:

Felix Æacida, cui tali contigit ore
Gentibus ostendi.

Noster Met. VII, 800:

... Juvat ô meminisse beati
Temporis, Æacida.

Quomodo optimæ membranæ: sic et lib. XI:

Æacida, dixit, votis potiere petitis. H.

— *Arma cape, Æacida, sed me tamen ante recepta.* Et recepit quidem, Il. T. Cæterum, generosum quiddam, et plusquam muliebre spirat locus hic; et sensus profert imbecillis puella, qui virum non dedeceant.

89. *Desinat.* Vossianus, Leidensis, et Basileensis *finiet;* unde *finiat* scribendum: ita Metam. II, 103, ex MS. *Finierant monitus.* Sic *præcipitat* Virg. I. Æneid. et Stat. VIII. Theb. 155. Plura exempla congessit Bernartius, ad Stat. II. Theb. 43. H.

92. *Conjugis Œnides* etc. Meleager, Œnei et Altheæ filius. Historiam fusius Phœnix enarrat, apud Homer. Il. I, 525. sqq.

94. *Spemque caputque sui.* Eleganter. *Spes* enim proprie de liberis, in quibus egregia indoles prospicitur. Virg. VI. Æneid. 364, et X, 524: *Per spem surgentis Iuli.*

95. *Bello erat ille ferox.* Recte Putaneus, *Bellum erat: ille ferox.* — *Ille ferox positis secessit ab armis.* Ex Homeri loco citato, 590:

Καὶ τότε δὴ Μελέαγρον ἐΰζωνος παράκοιτις
Λίσσετ' ὀδυρομένη. — κ. τ. λ.

Et inferius paulo, 595:

Τοῦ δ' ὠρίνετο θυμὸς ἀκουόντος κακὰ ἔργα·
Βῆ δ' ἴέναι. — κ. τ. λ.

97. *Sola virum conjux flexit.* Alcyone, Hygino CLXXIV, quæ et Cleopatra Antonino Liberali, et Homero, cujus Scholiastæ hanc Idæ Apharei et Marpissæ Eveni filiæ natam faciunt, ut et Apollodorus in Bibliotheca: quo teste, post Melea-

At mea pro nullo pondere verba cadunt.
Nec tamen indignor : nec me pro conjuge gessi,
Sæpius in domini serva vocata torum.
Me quædam, memini, Dominam captiva vocabat :
Servitio, dixi, nominis addis onus.
Per tamen ossa viri, subito male tecta sepulcro,
Semper judiciis ossa verenda meis;
Perque trium fortes animas, mea numina, fratrum,
Qui bene pro patria, cum patriaque jacent;
Perque tuum nostrumque caput, quæ junximus una;
Perque tuos enses, cognita tela meis!
Nulla Mycenæum sociasse cubilia mecum

gri mortem sese ipsa interemit. H. — Cleopatra nomen erat, cui pater et mater *Alcyonen* cognomen addiderant : Ἀλκυόνην καλέεσκον ἐπώνυμον. Il. I, 558.

98. *At mea pro nullo pondere verba cadunt.* Gruterus, *proh nullo pondere!* Sed frustra, ut recte vidit perspicacissimus Gronovius, ad Livii lib. I. cap. XXI : *pro nullo pondere*, id est, tanquam sine pondere. Fast. IV :

... Pro magna teste vetustas
Creditur. HEINS.

100. *In domini serva vocata torum. Dominum torum*, Codex Lincolniensis : placet: Sic *dominos Deos* dixit Ep. IV, 12 ; *dominas manus*, Amor. lib. II. El. V, 30. HEINS.

102. *Servitio, dixi* etc. Eo ipso incumbit gravius onus *servitii*, quod me *Dominam*, quum sim *captiva*, vocas, molesta verborum cum rebus oppositione.

103. *Ossa... subito male tecta sepulcro.* Vix bene composita, tumulo propere nimium parato.

104. *Judiciis.* Janum Ulitium maluisse *suppliciis*, notavit Francius; sed nihil movendum docent loca. De Pont. III. v. 52:

Candida *judiciis* illa sit hora meis.

Et IV, 3 :

Ille ego *judiciis* unica musa tuis.

Et Eleg. X :

Judiciis igitur liceat Flaccoque tibique
Talibus Augusti tempus in omne frui. B.

106. *Qui bene pro patria, cum patriaque jacent.* Quid enim pulchrius et optabilius, quam jacere *cum patria*, ubi *pro patria* bene, *sed frustra* propugnaveris!

107. *Perque tuum caput.* Solemne apud veteres genus hoc jurisjurandi. Sic apud Euripid. Helena, in carmine tragico, quod ipsius nomine inscribitur :

Ἀλλ' ἀγνὸν ὄρκον σὸν κάρα κατώμοσα.

Et Dido Virgiliana, Æn. IV, 492 :

Testor cara Deos, et te germana, *tuumque*
Dulce caput.

108. *Cognita tela meis!* Quam modice, quam decenter ea tangit, quæ *gravem Pelidæ stomachum possent* commovere!

109. *Nulla Mycenæum* etc. Hoc idem affirmat Agamemnon, inter-

Juro : fallentem deseruisse velis.
Si tibi nunc dicam, Fortissime, tu quoque jura,
Nulla tibi sine me gaudia facta : neges.
At Danai mœrere putant. Tibi plectra moventur :
Te tenet in tepido mollis amica sinu.
Et si quis quærat, quare pugnare recuses;
Pugna nocet : citharæ, voxque, Venusque juvant.
Tutius est jacuisse toro, tenuisse puellam,
Threiciam digitis increpuisse lyram,
Quam manibus clypeos, et acutæ cuspidis hastam,
Et galeam pressa sustinuisse coma.
Sed tibi pro tutis insignia facta placebant;
Partaque bellando gloria dulcis erat.
An tantum, dum me caperes, fera bella probabas?
Cumque mea patria laus tua victa jacet?

prete Ulixe, apud Achillem. Il. I, 274:

Καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμεῖται,
Μήποτε τῆς ἑωυῆς ἐπιβήμεναι.

112. *Nulla tibi sine me gaudia facta.* Puto, *pacta.* Art. Am. III, 461:

Si dederint, et vos gaudia *pacta* date.

Sic et *pactæ noctes* apud Propertium IV. Eleg. 3. Potest et vulgata ferri. HEINS. Recte mutavit Heinsius conjecturam : nam latine dici *gaudia facere*, jam, ut vindicaret antiquum interpretem, ostendit Drusius; Plin. VII, 42. « Cætera exempla fortunæ variantis innumera sunt. Etenim quæ *fecit magna gaudia*, nisi ex malis? »

114. *Te tenet in tepido* etc. Nec vanus miseræ terror; nam, Homero teste, Briseidis locum jam exceperat Diomede quædam, Phorbantis filia, quam e Lesbo Achilles adduxerat. Il. I, 666.

116. *Voxque Venusque juvant.* Cum Burmanno recipere non dubitavi, quoniam Achillem, ad naves sedentem, non modo citharam pulsasse, verum et fortia virorum facta voce, sive cantu celebrasse, apud Homerum legimus. Il I, 186, sqq :

Τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ,
Καλῇ, δαιδαλέῃ, ἐπὶ δ' ἀργύρεον ζυγὸν ἦεν·
Τῇ ὄγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.

121. *Sed tibi pro tutis insignia facta placebant.* Scripserat Ovidius, ni fallor, *præ tutis.* HEINS. Potest vero et alterum ferri. LENNEP.

123. *Probabas.* Quatuor codices *parabas;* nescio an male. Epist. V, 89 : *Nulla parantur bella.* BURM.

124. *Laus tua victa jacet. Tibi victa,* alter Scriverianus; et Helmstadt. paulo venustius. Vid. Ep. VIII, 100. HEINS.

Di melius! validoque, precor, vibrata lacerto
  Transeat Hectoreum Pelias hasta latus.
Mittite me, Danai; dominum legata rogabo:
  Multaque mandatis oscula mixta feram.
Plus ego quam Phœnix, plus quam facundus Ulixes,
  Plus ego quam Teucri, credite, frater, agam.
Est aliquid, collum solitis tetigisse lacertis,
  Præsentisque oculos admonuisse sui.
Sis licet immitis, matrisque ferocior undis;
  Ut taceam, lacrimis comminuere meis.
Nunc quoque, sic omnes Peleus pater impleat annos,
  Sic eat auspiciis Pyrrhus in arma tuis!

125. *Valido vibrata. Librata*, codex Illustris Archiepiscopi Lincolniensis; sic Metam. II, 311.

Dextra *libratum* fulmen ab aure.

Sed utram lectionem prætuleris, parvi admodum refert.

126. *Pelias hasta.* A Pelio Thessaliæ monte; vel ut alii volunt, a Peleo Achillis patre, qui ea potissimum valuit. Illius erat magnitudinis, ut qui cætera arma induerit Patroclus, unam hastam non sumserit:

Ἔγχος δ' οὐχ ἕλετ', οἷον ἀμύμονος Αἰακίδαο. Il. II, 140.

127. *Mittite me, Danai* etc. Ita sibi, amorique præfidit, ut nihil dubitet, quin, si *legatam* Danai miserint, plus apud Achillem possit et agat, quam *Phœnix*, quam *facundus Ulixes*: sed plus in *osculis* ponderis, quam in verbis ponit. Muliebris quidem; ignoscenda vero in Briseide jactantia.

130. *Plus ego quam Teucri frater.* Ajax Telamonius, qui Teucri frater, et unus fuit e legatis ad Achillem, ut supra vidimus, 27.

131. *Est aliquid* etc. Imo certe magnum aliquid amantis collum premere, *solitis* præsertim lacertis.

132. *Præsentisque oculos admonuisse sui.* Debita laus Heinsio persolvatur, qui primus omnium lucem hic e caligine variantium lectionum elicuit; et vulgatam,

Præsentesque oculos admonuisse sinu,

velut inurbanam respuit, et ineptam. Legebat igitur:

Præsentisque *oculis* admonuisse sui.

Quod melius ad sensum, et propius insistit Puteani codicis vestigiis, qui lepidissimum hunc versum exhibet, qualem omnes postea recipiendum merito judicarunt.

133. *Matrisque ferocior undis.* Alludit forsan ad hunc Homeri locum. Il. II, 203:

Σχέτλιε, Πηλέος υἱέ, χόλῳ ἆρα σ' ἔτρεφε μήτηρ.

136. *Eat auspiciis Pyrrhus in arma tuis.* Sic codices plerique: et sane id elegantius. Sic *ire in hostem, in pugnam; concitare in arma, ruere, ferri, mittere, venire, trahi in arma*, et similia. Statius, Theb. VIII:

Imus *in arma* palam.

Respice sollicitam Briseida, fortis Achille;
Nec miseram lenta ferreus ure mora.
Aut, si versus amor tuus est in tædia nostri:
Quam sine te cogis vivere, coge mori:
Utque facis, coges: abiit corpusque colorque:
Sustinet hoc animæ spes tamen una tui.
Qua si destituor, repetam fratresque virumque:
Nec tibi magnificum femina jussa mori.
Cur autem jubeas? stricto pete corpora ferro:
Est mihi, qui fosso pectore sanguis eat.
Me petat ille tuus, qui, si Dea passa fuisset,
Ensis in Atridæ pectus iturus erat.
At potius serves nostram, tua munera, vitam:
Quod dederas hosti victor, amica rogo.
Perdere quos melius possis, Neptunia præbent
Pergama: materiam cædis ab hoste pete.

Noster Ovid., Amor. 1. El. IX, 35:

Hector ab Andromaches complexibus ibat *in arma.*

Tò *in* enim infesti animi significationem interdum præ se fert. Noster infra:

Ensis in Atridæ pectus iturus erat. HEINS.

139. *At si versus amor tuus est in tædia nostri.* Optime Gruterus legebat: *Aut si versus amor tuus est in tædia nostri.* DAN. HEINS. *Aut*, Puteanus, nec pauci alii ex melioribus: placet. HEINS.

141. *Utque facis, coges.* Talem te erga me geris, qui mori citius ocius Briseida coges. — *Abiit corpus colorque.* Jam sum ego, præ macie, pallidior.

142. *Sustinet.* In Aldinis legitur: *sustinet hoc animæ spes tamen una tui;* ut sit dictum *hoc animæ*, pro hanc animam: hoc sensu, una tamen spes tui, sive quam de te habeo, sustinet hanc animam, hoc est vitam meam; cæteris, ut corpore et colore, delabentibus. MICYL.

146. *Est mihi sanguis* etc. — Intelligas: est animus, qui mortem non reformidet, nec ensem tuum.

147. *Si Dea passa fuisset.* Pallas, quæ, irruentem jam ense stricto, in Agamemnona, Achillem continuit, dextram comis implicans. Il. A, 197.

149. *At potius serves. Ah* Puteaneus cum duobus aliis vid. Ep. XIX, 105. HEINS. Mihi prisca lectio præstabilior visa. Post illam concessionem, *stricto pete corpora ferro*, paulatim ad se rediens Briseis mitiori hic cogitationi indulget, et quasi dicit: cur vero id facias? Quin *potius serves* iterum, quam olim mihi concessisti, vitam? LENNEP. —

Me modo, sive paras impellere remige classem,
Sive manes, domini jure venire jube.

Tua munera, vitam. Quam mihi dedisti, vitam serves rogo. *Hosti* pepercisti; cur non *amicæ?*

153. *Me modo, sive paras* etc. Quamcumque partem fueris secutus, seu reditum pares, seu maneas, revoces Briseida precor; non amans, non conjux, sed *dominus*, qui servam *jure* suo *jubet venire*.

154. *Domini jure venire jube*. In Epistola Acontii:

Jamdudum dominæ *more* venire jube.

Et sic Edd. omnes primariæ. Non damno hanc lectionem: Puteaneus tamen cum tribus aliis, *domini jure*. Heins.

P. OVIDII NASONIS
EPISTOLA QUARTA.

PHÆDRA HIPPOLYTO.

EPISTOLÆ QUARTÆ

ARGUMENTUM.

Interemto Minotauro, Theseus Ariadnen, Minois et Pasiphaes filiam, quam ob latam sibi ab ea opem ducturum se uxorem promiserat, cum Phædra sorore navi impositam abduxit. Sed, monente Baccho, in insula Naxo dereliquit, et Phædram sororem duxit; quæ, absente Theseo, in Hippolyti privigni amorem exarsit, quem hac illi Epistola profitetur. — Vid. Plutarch. in Thes. — Pausan. I, 22; II, 32. — Hygin. Fab. 47, 243. — Euripid. — Senec. in Hippol.

EPISTOLA IV.

PHÆDRA HIPPOLYTO.

Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
Mittit Amazonio Cressa puella viro.
Perlege quodcunque est : quid epistola lecta nocebit?
Te quoque, in hac aliquid, quod juvet, esse potest.
His arcana notis terra pelagoque feruntur :

1. *Qua, nisi tu dederis.* Regius, et duo alii codices :

Quam nisi tu dederis, non est habitura, salutem.

Quod mihi mollius fluere videtur. Huic Epistolæ egregie respondit Sidronius Hosschius, nulli poetarum recentiorum inferior. Burm.

2. *Amazonio viro.* Hippolyto scilicet, Thesei filio, ut constat inter omnes, qui de eo fabulati sunt, et Amazonis, cujus nomen non satis certum. Alii enim Hippolytam ; Antiopen alii vocant, quæ soror Hippolytæ, juxta Pausaniam; filia vero, si fides Isocrati. Quæcumque autem fuerit, dono cessit Theseo, ab Hercule concessa, quem comes impiger et strenuus sequutus fuerat Theseus in bello Amazonico. Testes Hygin. xxx : Diod. Sicul. iv, et Ttzetzes ad Lycophr. — *Cressa puella:* Phædra, quæ Minois filia et Pasiphaes; de qua plura apud Apollod. Bibl. iii, 1. — *Puella.* Duplex hic notanda poetæ solertia, qui nomen invisum novercæ dum fugit, *puellam* fingit Phædram, ut adulterii crimen minuat, et intactæ virginis specie juvenem simul capiat facilius, si capiendus.

3. *Perlege.* Hominis quippe mores noverat, qui non ad legendam modo, sed ad *perlegendam* allicienduś erat Epistolam, quam mitteret Phædra, cujus amor certis adeo signis innotuerat Hippolyto, ut ipsam fugere decreverit. Quod quidem impulit, ut quæ nec posset dicere, nec auderet, scriptum transmitteret.

4. *Quod juvet, esse potest.* Quo velit adducere, non sine arte insinuat. « Insinuatio surrepat animis, maxime ubi frons causæ non satis honesta est, vel quia res sit improba, vel quia ab hominibus parum probatur. » Quinct. iv, 1.

5. *His arcana notis.* Sequenti versu repetitur *notas*, sine ulla spe-

Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.
Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit
Lingua; ter in primo destitit ore sonus.
Qua licet et sequitur, pudor est miscendus amori:
Dicere quæ puduit, scribere jussit Amor.
Quidquid Amor jussit, non est contemnere tutum:

cie elegantiæ. Forte hic scripserit, *His arcana modis;* ita *notæ* et *modi* confunduntur, II. Met. 452. BURM. — *His..... notis.* Literis; characteribus. Diu multumque inter doctos disputatum est, an illis, quæ vocantur *heroica*, temporibus aliquis esset in scribendo *literarum* usus; an tabulis tantum ligneis, et cera, vel alia quacumque materia inunctis, signa quædam insculperent, more hieroglyphico. Quam sententiam qui tuentur, Homeri locum afferunt Il. Z, ubi de epistola agitur, quam misit Prætus ad Iacobaten, ut tolleret Bellerophonta. Non enim hic γράμματα, quod et *literas;* at σήματα, *signa*, legimus. Similiter et Euripides δέλτον vocat, id est *tabellam*, epistolam quam Theseus in manibus Phædræ post mortem illius deprehendit; et ne quid superesset dubii in verbi δέλτον significatione, addit paulo post πτύχην, sic indicans qua ligni specie *tabella* esset confecta. — *Terra pelagoque feruntur.* Non possum quin huc adducam αἴνιγμα lepidissimum Antiphanis poetæ, servatum ab Eusthatio, in Commentariis ad Homerum, l. sup. c. Proponit, solvitque Sapho:

Ἔςι φύσις θήλεια, βρέφη σώζουσ' ὑπὸ κόλποις
Αὐτῆς· τἄυτα δ' ἄφωνα βοὴν ἴςησι γεγωνόν,
Καὶ διὰ πόντιου οἴδμα, καὶ ἠπείρου διὰ πάσης,
Οἷς ἐθέλει θνητῶν.

Solutio autem hæc:

Θήλεια μὲν γοῦν ἐςὶ φύσις ἐπιςολή,
Βρέφη δ' ἐν αὐτῇ περιφέρει τὰ γράμματα,
Ἄφωνα δ' ὄντα τοῖς πολῥρωτάτω λαλεῖ
Οἷς βούλιθ'· ἕτερος δ' ἀν. — κ. τ. λ.

7—8. *Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit Lingua* etc. Ovidium hic ob oculos habuisse crediderim Apollon. III, 654, qui sic de Medea:

Τρὶς μὲν ἐπειρήθη, τρὶς δ' ἔσχετο.

Neque ita multo post, 685:

Πόλλακι δ' ἐμερόεν μὲν ἀνὰ ςόμα θῦεν ἐνισπεῖν·
Φθογγὴ δ' οὐ προῦβακινε παροιτέρω.

— *Ter in primo destitit ore sonus.* Sunt qui *restitit* legendum contendunt, et in uno Lovaniensi exstat. Tres alii, *constitit.* Sed nil mutandum; etsi succurrunt illa Laodamiæ:

Semper in his apte narrantia verba *resistunt.*

Virgilianum quoque istud:

Incipit effari, mediaque in voce *resistit.*

Pro vulgata enim lectione stat locus ille Fast. II, v. 823:

Ter conata loqui, ter *destitit:* ausaque quarto
Non oculos ab humo sustulit illa suos. B.

9. *Et sequitur.* Exponunt, conveniens, utile est: sed melius *facile est* redditur, ut Gronov. diatribes Statianæ cap. XLV. Quinct. VIII, 6: « Refert autem in quantum dictus tropus oratorem *sequatur.* » Et ita sæpius. B.

11. *Quidquid amor jussit, non est contemnere tutum.* Et causam mox addit; quia scilicet *in dominos jus*

Regnat, et in dominos jus habet ille Deos.
Ille mihi primo dubitanti scribere, dixit :
Scribe; dabit victas ferreus ille manus.
Adsit, et, ut nostras avido fovet igne medullas,
Figat sic animos in mea vota tuos.
Non ego nequitia socialia fœdera rumpam:
Fama (velim quæras) crimine nostra vacat.
Venit Amor gravius, quo serius : urimur intus,

habet ille deos. Sic Euripides, apud Clement. Alexandr. Stromat. VI :

Ἔρως γὰρ ἀνδρας οὐ μόνως ἔπειρχεται,
Οὐδ' αὖ γυναῖκας· ἀλλὰ καὶ θεῶν ἄνω
Ψυχὰς ταράσσει, κἀπὶ κύντον ἔρχεται.

Et Anacreon, od. LVIII, 4 :

Ὅδε καὶ θεῶν ἀνάκτας,
Ὅδε καὶ βροτοὺς δαμάζει.

— Chorus, apud Senec. Hippolyt. 283, sqq :

Nulla pax isti puero ... juvenum feroces
Concitat flammas : senibusque fessis
Rursus extinctos revocat calores.

14. *Scribe : dabit victas ferreus ille manus.* Translatum a victis in acie, qui *manus* suppliciter protendunt, seu vitam orantes a victoribus, seu præbentes catenis onerandas. — *Ille.* Hippolytum designat, nec tamen audet nominare. Quæ *puellæ* modestia ! Sic apud RACINE, Phed. I, 3 :

Même au pied des autels que je fesais fumer,
J'offrais tout à ce Dieu que je n'osais nommer.

16. *Figat sic animos in mea vota tuos.* Ego certe cum Burm. *frangat* mallem, præsertim quod *frangat animos* phrasis sith. l. valde apposita. Sed quum illa lectio nulla codd. auctoritate nitatur, sit vero in quibusdam, ipso Burm. teste, *fingat*, hanc duntaxat probabilem scriptorum librorum lectionem, quamvis eleganti conjecturæ, præferendam duxi. LENNEP. — *Figat.* Francio non videbatur hoc verbum respondere τῷ *fovet;* quale ille refingebat :

Adsit, et ut nostras avido *vorat* igne medullas,
Urat sic animos in mea vota tuos.

Codices vero nihil mutant, nisi quod in quibusdam sit *fingat;* quare quum librarii sæpe hæc verba supposuere pro *frangat*, et *figere animos* sit insolentius dictum, hic mallem *frangat*, quod τῷ *fovere* non est contrarium ; ut enim meas medullas *fovet* et mollit igne suo : ita tuum animum durum *frangat* in mea vota : quo velim sensim adducat.

17. *Nequitia.* Hic pro lascivia ponitur, qua in cujuscumque amplexus ferimur, et opponitur amori : amore ergo Hippolyti, non libidine se moveri scribit. Non intellexit hæc Crispinus, qui explicat inepte : *non libidinosa levitate fœdera, quæ tu mecum iniveris, rumpam. Socialia* illa *fœdera* respiciunt nuptias cum Theseo initas ; hoc sequentia indicant. BURM. — *Socialia.* Ita lege apud Stat. II. Achil. 354. ex MSS :

... Quis enim illicitis *socialia* rumpi
Pacta dolis, etc. perferat ?

ubi vulgo *genialia* legitur. HEINS.

19. *Venit amor gravius.* Quidam libri *urit amor,* ut III. Amor. I. 20. sed nihil opus. I. Am. VI, 20 :

Nec mora ; venit amor.

Urimur; et cæcum pectora vulnus habent.
Scilicet ut teneros lædunt juga prima juvencos,
Frenaque vix patitur de grege captus equus:
Sic male vixque subit primos rude pectus amores;
Sarcinaque hæc animo non sedet apta meo.
Ars fit, ubi a teneris crimen condiscitur annis:
Quæ venit exacto tempore, pejus amat.
Tu nova servatæ capies libamina famæ;
Et pariter nostrum fiet uterque nocens.

Et vide mox ad vers. 26. HEINS. Douzæ tamen placebat, *urit*.

20. *Cæcum pectora vulnus habent.* Minime damno hanc lectionem. Non minus eleganter tamen unus ex meis, *tacitum vulnus*. Apposite apud Maronem, Æn. IV, 65:

... Est mollis flamma medullas
Interea, et *tacitum* vivit sub pectore vulnus. H.

Sed et idem Maro. Ibid. 2:

... Gravi saucia cura
Vulnus alit venis, et *cæco* carpitur igne.

21. *Lædunt.* Codex Ambrosianus *urunt*, quod elegantissimum; et nisi præcessisset *urimur*, sine ulla hæsitatione amplecterer. BURM.

23. *Primos rude pectus amores.* Broukhusium maluisse *primo amori* notavit Francius; sed quamvis uterque casus huic verbo jungi possit, hic aptius puto *amores*, quia continuat Poeta Metaphoram a jugo inceptam; et ita *rude pectus* male *subit* amores, qui sunt grave jugum; quo sensu puto aptius esse casum quartum; sic Tibul. I. Eleg. IV, 41:

Nec te pœniteat duros *subiisse* labores. BURM.

25. *Ubi. Ut a teneris* novem libri: *ut* pro *ubi*, sæpe Noster. Vid. Epist. XV, 1; II, Art. Am. 590; IV. Fast. 255, et passim. HEINS. *Ut a teneris crimen quum discitur annis*, antiqua editio et codex Palatinus.

26. *Quæ venit exacto tempore, pejus amat.* Sententia est Propertii, qui, I, Eleg. VII, 26:

Sæpe venit magno fœnore tardus amor!

ubi *magno fœnore* pro *pejus*; et *tardus*, pro *exacto tempore*, recte interpreteris. — *Quæ venit. Cui venit* legebat Faber ad Lucretii, lib. III, pag. 480: et ita jam olim ad marginem codicis sui Heinsius notaverat, et hæc adjecerat: forte *cui venit*; scilicet amor, et refer ad, *venit amor gravius*. Locutio autem est mere Ovidiana. Sic Ep. V, 8. ex MSS:

Cui venit indignæ, pœna dolenda venit.

Art. Am. II, 11. ex MSS:

Nec satis est venisse *tibi*, me vate, puellam.

Et passim. BURM.

27. *Libamina famæ.* Vetus editio, qua usus Gruterus, *flammæ*; sed *famæ* præstat: ita *perdere famam*, Ep. V, 6. Multi codices hic quoque, solemni permutatione, *formæ* habent: sed *famam* illibatam pudicitiæ se huc usque servasse, et in unius Hippol. gratiam se peccaturam ostendit. B.

28. *Et pariter nostrum fiet uterque nocens.* Vehementer, et jure quidem, Ovidium hic insectatur Jul. Cæs. Scaliger, ut qui omnium pessimo utatur argumento, quo in amorem sui Hippolytum Phædra inducat. Quis enim hominem, vel

Est aliquid, plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere ungue rosam.
Si tamen ille prior, quo me sine crimine gessi,
Candor ab insolita labe notandus erat;
At bene successit, digno quod adurimur igni :
Pejus adulterio turpis adulter abest.
Si mihi concedat Juno fratremque virumque;
Hippolytum videor præpositura Jovi.
Jam quoque, vix credas! ignotas mittor in artes :

nequam, ad peccandum illexerit, demtis peccandi illecebris? Nemo sane hic agnoscat, quod *Boil.* Ep. VII :

... La douleur vertueuse
De Phèdre, malgré soi, perfide, incestueuse.

29. *Est aliquid, plenis pomaria carpere ramis.* Non is sum qui putem cum Catullo decere castum ipsum poetam esse, *versiculos nihil :* duriores tamen mihi videntur, qui nonnullis in locis vituperandum poetam, incusant hic libidinosius genio indulsisse, et rei turpitudinem verbis nequicquam honestasse. Crediderim potius Ovidium *puellæ*, ut vocat, ingenio obtemperavisse, et suavissimum Catulli locum, *Carm. Nupt.* 39, sqq. respexisse :

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber;
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ :
Idem, quum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.
Sic virgo, dum intacta manet, tum cara suis; sed
Quum castum amisit, polluto corpore, florem, etc.

Multum quidem interest Phædram inter et virginem Catullianam : sed ne turpe per turpius.

30. *Deligere.* Pro *deligere, dissicere* in antiqua ed. invenit Heins. Scripti plurimi *diligere.* Leidensis, et alii nonnulli *colligere :* omnes frustra. B.

31. *Si tamen ille prior. Sic tamen,* Puteani liber cum plerisque aliis. Sed verum est, quod ex suis profert Naugerius, quodque ego in uno alteroque offendi, *Si tamen.* Vulgati, *Sed tamen.* Sequenti versu idem Puteaneus *igni* pro *igne* ἀρχαικῶς, ut sæpe alias. Junianus et Gronovianus, *æstu :* etiam non male. HEINS.

32. *Labe.* Proprie macula, quæ candorem fœdat. Vide Somnium, Amor. III, Eleg. V, 44.

34. *Turpis adulter abest.* Quæri possit, utrum bene per appositionem dicatur *turpis adulter pejus adulterio,* pro, res ipso *adulterio pejor.* Vetus autem lectio *obest,* nullam omnino difficultatem habet, planissimo sensu : turpis adulter (*turpis* tam ad animum quam ad corpus refer) magis quam ipsum nocet adulterium. LENNEP.

36. *Videor.* Vatican. Farnesian. Ex antiqua ed. *Videar :* Rectius.

37. *Mittor in artes. Mutor.* Puteaneus codex et Argentinensis : venuste, nisi malis *nitor.* Vide notas Art. Am. III, 667. *Miror* alter Mentelianus. *Credas* pro *credes,* quinque libri; sic Epist. XVIII, 99 :

Quam multos credas juvenes optare, quod optas.

— Conjecturam Heinsii *nitor* firmant Mentelianus et Francofur-

Est mihi per sævas impetus ire feras.
Jam mihi prima Dea est, arcu præsignis adunco
Delia : judicium subsequor ipsa tuum.
In nemus ire libet, pressisque in retia cervis,
Hortari celeres per juga summa canes :

tensis. Sic Flor. IV. 11. *Niti in decus.* Lucan. Phars. V, 197 :

Tanta patet rerum series, atque omne futurum
Nititur in lucem. BURM.

— Rectius multo, quam magna ex parte sequimur, Edit. princ. circa M. CCCC. LXX. impressa, *Mittor.* Tuetur quoque Lennep. Elegans est, inquit, *nitor in ignotas artes, ut nitimur in vetitum* : sed nec veterem damno lectionem *mittor*, quod est, quasi *invita*, contra naturam mei sexus, *agor, abripior, ire jubeor.* Nutrix ad Phædr. apud Euripidem : ἐκὶ θήρας πόθον ἐξέλλου.

38. *Est mihi per sævas impetus ire feras.* Hæc, et quæ sequuntur, ex Euripid. Hippol. 215 :

Πέμπετέ μ' ἐις ὄρος· εἶμι πρὸς ὕλαν,
Καὶ παρὰ πεύκας, ἵνα θηροφόνοι
Στίβουσι κύνες,
Βαλίαις ἐλάφοις ἐγχριπτόμεναι.
Πρὸς Θεῶν, ἔραμαι κυσὶ θωΰξαι,
Καὶ παρὰ χαίταν ξανθὰν ῥίψαι
Θεσσαλὸν ὄρπακα,
Ἐπίλογχον ἔχουσ' ἐν χειρὶ βέλος.

Quam vivide, quam concinne totum hunc locum noster contraxit RACINE, in hanc erumpens exclamationem ! *Phedre*, I, 3 :

Dieux! que ne suis-je assise à l'ombre des forêts!

— *Per sævas impetus ire feras. In feras ire*, recte et eleganter dici vidimus modo, Epist. III, 36 ; sed per *feras ire*, non placet, nisi transfixas velit intelligi ; ut nec *sævas feras* probo. Quare forte scripserit, *per silvas impetus ire feras : silvæ feræ* eleganter dicuntur. Vid. Heins. ad Claud. Cons. Olybr. 186. Sic *fera Ætna*, Propert. *fera arva*, Manil. I, 86. Ut vero hic *ire per silvas*, ita Epistol. V, 64 : *Per fluctus impetus ire fuit.* BURM. Doctiss. viro libentius adsentiar, ni cito occurreret :

In nemus ire libet.

39. *Arcu præsignis adunco Delia. Cornu adunco*, Scriverianus liber. Sic κέρας pro arcu, etiam apud Græcos poetas est invenire ; ut apud Anacreontem, sub finem Odæ III, Cupido de arcu suo : Κέρας ἀδάκεις μέν ἐστι. Claudianus de Raptu Proserpinæ II, 205 : *Intento festinat Deliæ cornu.* HEINS.

40. *Judicium subsequor ipsa tuum.* Quas tu partes sequendas *judicasti*, Dianæ scilicet et ipsa *subsequor* : venatrix, venatorem.

41. *Pressisque. Prensis*, Puteanea excerpta, et quinque libri ex nostris ; sed *pressis* probum est. Virgil. III, Georg. 413 :

Ingentem clamore *premes* in retia cervum H.

42. *Hortari.* Quidam codices, *citari*, alii *sectari* ; quod placet. Prop. III, Eleg. XII, 14 :

Sectari patrios per juga longa canes.

Senec. Hippol. 110 : *Juvat excitatas consequi cursu feras.* HEINS. Nihil muto : *Hortari* enim, ut et *monere*, verbum est venatorum. Noster Metam. X, 537 : *Hortaturque canes.* Præterea Broukhusius, ad Tibul. I, Eleg. IV, 18, mallet hic :

Hortari celeres per juga longa canes.

Sed constanter *summa* retinent Codices, et imposuit fallax memoria

Aut tremulum excusso jaculum vibrare lacerto;
Aut in graminea ponere corpus humo.
Sæpe juvat versare leves in pulvere currus,
Torquentem frenis ora sequacis equi.
Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleides actæ,
Quæque sub Idæo tympana colle movent:
Aut quas semideæ Dryades, Faunique bicornes,
Numine contactas attonuere suo:
Namque mihi referunt, quum se furor ille remisit,
Omnia: me tacitam conscius urit Amor.

Heinsio, cujus monitu Broukhusius ita corrigebat. Præterea majus meritum, et laboris insoliti impetum indicat vulgata lectio, ut etiam enitatur in *summa juga*. BURM.

45. *Sæpe juvat versare leves in pulvere currus.* Euripides, Dram. citat. 228:

Δέσποινα δίας Ἄρτεμι λίμνας,
Καὶ γυμνασίων τῶν ἱπποκρότων,
Ἔτθι γενείμαν ἐν σοῖς δακέθυις,
Πώλους ἐνίτας δαμαζομένας.

Sed Ovidio noster propior; *Phed.* ib.

Quand pourrai-je, au travers d'une noble poussière,
Suivre de l'œil un char fuyant dans la carrière!

46. *Ora sequacis equi. Quidam fugacis, sequacis:* Puteaneum exemplar et Scriverianum cum quatuor aliis, tam hic, quam Epistola Herus initio:

Flectitis aut freno colla *sequacis* equi.

ubi etiam *fugacis* vulg. Virg. x, 365:

Ut vidit Pallas Latio dare terga *sequaci*.

Remed. Amor. 246:

Nunc leporem pronum catulo sectare *sequaci*.

— Obvius apud scriptores vocis hujus *sequax* usus; sed nulli cessit felicior, quam Lucret. III, 316:

Naturas hominum varias, *morosque sequaces*.

Ut *flexiles* dicat, et ceræ instar *tractatu faciles*.

47. *Ut Bacchi furiis* etc. Unum e Bacchi nominibus *Eleleus;* quod Ovidii auctoritas Metamorphoseos IV, 15, probat:

Nycteleusque, Eleleusque parens.

Quod nomen Apollinis etiam esse Macrobius prodidit, dictumque illud, Ἀπὸ τοῦ ἑλίττεσθαι περὶ τὴν γῆν: quod alterno scilicet meatu circa terram volvi videatur. Sive igitur a volutione hujusmodi, sive ab *Elele* Bacchantium voce (nam etiam a sonis Bacchum dixere et *Bromium* et *Iacchum*) sive et ipse, qui et Apollo sit, a rotatione illa perpetua dictus *Eleleus* est; unde *Eleleides*, non *Eleides*, ut omnes ad Egnatium usque Edd. — *Nunc feror ut Bacchi* etc. Chorus ad Phædram, apud Eurip. 141:

Συ γὰρ ἔνθεος, ὦ κούρα,
Ἔστ' ἐκ Πανὸς, ἢ σ' Ἑκάτας,
Ἢ σεμνῶν Κορυβάντων,
Ἢ μητρὸς ὀρείας φοιταλέου.

48. *Quæque. Quique* rescribi Mycillus velit, ut de Gallis intelligatur. At argute Ovidius Gallos tanquam feminas hic describit; pro qua lectione libri stant veteres uno consensu. *Gallas* simili modo Catullus in Galliambo vocavit, ubi passim ludit, Attyn tanquam feminam des-

Forsitan hunc generis fato reddamus amorem;
Et Venus e tota gente tributa petat.
Jupiter Europam (prima est ea gentis origo)
Dilexit, tauro dissimulante Deum.
Pasiphae mater, decepto subdita tauro,
Enixa est utero crimen onusque suo.
Perfidus Ægides, ducentia fila secutus,
Curva meæ fugit tecta sororis ope.
En ego nunc, ne forte parum Minoia credar,

cribens, quem et Anacreon, Od. XIII, vocat ἡμίθηλυν, *semimarem*.

53. *Generis fato reddamus amorem.* Phædra enim e Solis gente; Sol vero quum Martis et Veneris adulterium Vulcano denunciasset, indicii injuriam Venus ægre tulit, et in omnem Solis progeniem amoris impatientiam immisit; sed in nullam vehementius, quam in ipsam Phædram. Recte igitur poeta noster dicentem inducit :

Puisque Vénus le veut, de ce sang déplorable
Je péris la dernière, et la plus misérable.

Quod e Sophocle fideliter expressum est, Antig. 907. Ipsa loquitur : Δοισθία 'γὼ καὶ κάκιστα δὴ μακρῷ Κάτειμι.

Reddamus tributa. Solvamus quæ *petit* a genere nostro ira memor Veneris. *Reddamus et petat*, pro *reddimus et petit*. Eleganter *forsitan* subjunctivo jungit in sensu optativi græci.

55. *Europam. Europen*, Sarravii liber, ut noster etiam alibi. HEINS. vid. 1. Art. Am. 322.

56. *Dissimulante Deum.* Non sine consilio hic Phædra nominat Deum tauro dissimulatum, et Europen ab eo dilectam, ut ipse Jupiter, impuris lusibus, quasi viam alteri Pasiphaës tauro sternat, et amoris portentosi horrorem minuat.

58. *Enixa*, τετυχυία, pariendi dolore et actu perfuncta. Æn. III, 391 :

... Fœtus enixa jacebit.

Crimen onusque. Vere mirabilis hic versus, tum brevitate, tum præsertim egregia translatione qua poeta mentem criminis consciam eo dolore affectam fingit, quo corpus parientis; *onus* enim ipsum *crimen* erat. — *Utero crimen onusque suum.* Ita nos ex veteri lectione correximus; sed et recta prior lectio. *Enixa est utero crimen onusque suo.* Ut inferius in Canace, 64 :

Et positum est uteri crimen onusque mei.

59. *Ducentia fila secutus.* Quæ præbuerat Ariadne, Phædræ soror :

Errabunda regens tenui vestigia filo.

CATUL. Carm. LXIV, 115.

60. *Fugit tecta.* In Vaticano, Ambrosiano, et Hafniensi erat, *subiit tecta;* etiam non male; et vox hæc *subiit* melius securum et interritum Thesei animum arguit, qui infamia illa cæde tecta *subire* auderet, Ariadnes filo confisus. Nec permutatio horum verborum, *subire* et *fugere*, insolens librariis : sic apud Virgil. X, Æn. 344, in codicibus est, *protinus hasta subit*, ubi vulgo *fugit*. Apud Lucanum quoque IX, 540, pro *te segnis Cynosura subit*, in quibusdam libris est *fugit*. BURM.

In socias leges ultima gentis eo.
Hoc quoque fatale est : placuit domus una duabus ;
Me tua forma capit; capta parente soror.
Thesides Theseusque duas rapuere sorores :
Ponite de nostra bina tropæa domo.
Tempore, quo vobis inita est Cerealis Eleusin,
Gnosia me vellem detinuisset humus.
Tunc mihi præcipue, nec non tamen ante, placebas :
Acer in extremis ossibus hæsit amor.
Candida vestis erat; præcincti flore capilli;
Flava verecundus tinxerat ora rubor :
Quemque vocant aliæ vultum rigidumque trucemque,
Pro rigido, Phædra judice, fortis erat.

61. *Minoia credar.* Quidam *dicas*, alii *credas*. Duo etiam *Minoida ;* unde posset legi, *ne forte parum Minoida credas*. Sed nihil muto : inf. VIII:

... Ne non Pelopeïa *credar*. BURM.

62. *In socias. In solitas*, unus Heinsii : non male.

63. *Duabus*. Septemdecim codices *duobus ;* manifesto errore. Æmulatus est Seneca, Hippol. 665 :

Domus sorores una corrupit duas,
Te, genitor ; at me natus. BURM.

67. *Eleusin*. Nominativus græca forma ut *Delphin, Attyn*. Eleusis urbs Atticæ fuit, sic dicta ab ἐλεύσεις quod est *adventus*. Huc enim post quæsitam per totum terrarum orbem filiam advenerat Ceres. Ibi mysteria in hujus Divæ honore celebrabantur, quibus omnes fere Athenarum juvenes initiari solebant.

68. *Gnosia me vellem* etc. *Gnossia humus*, Creta ; dicta sic e Gnosso oppido. Solemne hoc amantibus, ut quod fuerit, non fuisse exoptent. Sic infelix Dido, Æn. IV, 657 :

Felix, o nimium felix ; si litora tantum
Numquam Dardanidæ tetigissent nostra carinæ !

Sic et apud nostrum RAC. exclamat *Œnone*, postquam furentem Hippolyti amore Phædram audivit :

Voyage infortuné ! rivage malheureux !
Fallait-il approcher de tes bords dangereux !

71. *Præcincti flore capilli*. Hujus argumenti opinor fuisse Tragœdiam Euripidis, quæ Ἱππόλυτος στεφανήφορος, inscribebatur. Meminerunt ejus non uno in loco Stobæus et Hesychius. HEINS. Certe nihil hic Ovidii locus ad titulum earum facere mihi videtur ; nam coronam Dianæ offert Hippolytus apud Euripid. vers. 73 ; ubi vid. Barnes. In Eleusiniis Ceres colebatur, cujus mysteriis initiandus vel operaturus hic Hippolytus, conveniente sacris habitu describi videtur. BURM.

72. *Tinxerat*. Senec. Hippol. 376 : *Non ora tingens nitida purpureus rubor*. Nisi mavis *pinxerat ;* hoc enim distichon expressit Senec. Hipp. 650 :

... Presserant vittæ comam,
Et ora flavus tenera pingebat pudor. HEINS.

73. *Vocant*. Malim *vocent*. H.

Sint procul a nobis juvenes, ut femina, comti:
  Fine coli modico forma virilis amat.
Te tuus iste rigor, positique sine arte capilli,
  Et levis egregio pulvis in ore decet.
Sive ferocis equi luctantia colla recurvas;
  Exiguo flexos miror in orbe pedes.
Seu lentum valido torques hastile lacerto;
  Ora ferox in se versa lacertus habet.
Sive tenes lato venabula cornea ferro;
  Denique, nostra juvat lumina, quidquid agas.
Tu modo duritiem silvis depone jugosis:

76. *Fine coli modico forma virilis amat.* Minori apparatu ornandus vir quam mulier. Ut enim ait Euripides personatus apud Comicum, Thesmoph. 147:

Τίς δαὶ κατόπτρου καὶ ξίφους κοινωνία;

Suam ipse *Electram* παρωθῶν, quæ exoptabat,

... εἴη πόσις
Μὴ παρθενωπὸς, ἀλλὰ τἀνδρείου τρόπου.

79. *Sive ferocis equi.* Tale quidpiam admiratur Scylla in Minoe, Metamorph. VII, 25:

Seu caput abdiderat cristata casside pennis,
In galea formosus erat; seu sumserat ære
Fulgentem clypeum, clypeum sumsisse decebat.
Torserat adductis hastilia lenta lacertis:
Laudabat virgo junctam cum viribus artem.
Imposito calamo patulos sinuaverat arcus;
Sic Phœbum sumtis jurabat stare sagittis.

— *Luctantia colla recurvas.* Sic priscæ editiones et scripti codices: placet; nam *torques* mox sequitur. Præterea duo exemplaria *fugacis equi* exhibere jam supra monui; idque prætulerim, quod *ferocem lacertum* mox subjungat. Heins. Mihi *ferocis* placet, propter τὸ *luctantia*.

80. *Exiguo flexos miror in orbe pedes.* Miratur hic Phædra et laudat artem qua tractaret equum Hippolytus; flecteret in orbes, et quidem *exiguos*, quod laudis summum et artis. Ea jam, sed ornate magis Virgil. G. III, 117 — 191:

... Insultare solo et gressus glomerare...
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina crurum.

81. *Seu lentum valido. Vastum* libri veteres sat multi; ut scripserit forsan Ovidius:

Sive *actum* valido torques hastile lacerto.

Aut quod malim, *seu quassum;* sic Metam. VIII, 404: *Valida quatiens venabula dextra;* nisi quis malit *jactum.* Heinsius. Ambrosianus habet *rigido;* sed vulgata sana est. II. Fast. II: *Si mihi non valido torquentur pila lacerto.* Vide et Epist. III, 125: præterea *vastum hastile* placet, quod feroci et valido lacerto convenientius. De qua voce vid. ad VIII Metam. 359. *Lentum* Crispinus interpretatur ponderosum, et ideo incurvatum: an ergo et *lentæ salices*, et *lenta virgulta* et similia *ponderosa* sunt? Sed videbat parum valido lacerto convenire *lentum* has-

Non sum materia digna perire tua.
Quid juvat incinctæ studia exercere Dianæ;
Et Veneri numeros eripuisse suos?
Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaque membra novat.
Arcus, et arma tuæ tibi sint imitanda Dianæ:
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.
Clarus erat silvis Cephalus, multæque per herbam
Conciderant, illo percutiente, feræ.
Nec tamen Auroræ male se præbebat amandum:

tile; quare *vastum* rectius. BURM. — *Lentum*, Edd. primar.

86. *Non sum materia digna perire tua.* Non sum digna, quæ peream, te præbente ac suppeditante causam et materiam mortis. Eleganter et latine dictum; nec credidissem interpretationis indigere hunc locum, nisi invitus deprehenderem Tanaquillo Fabro, homini erudito, in Lucretium animadversionibus, pag. 480, perperam visum esse castigari oportere: *non sum duritia digna perire tua;* idque obnitentibus membranis, quotquot a me sunt inspectæ. Præterea, quum præcesserit jam versu proximo *durities*, odiosa omnino ejusdem vocis sit repetitio et ingrata. HEINS.

88. *Numeros.* Vices, partes. Cic. de Divin. I, 23: « Veritatis omnes numeros in se habere; » de Fin, III, 24: « continere omnes numeros virtutis; » et de Nat. Deorum, II, 34: « Perfectum expletumque omnibus suis numeris et partibus ».

90. *Fessaque membra novat.* Recte potiores scripti, pro *renovat.* Sic in Fastis, I, 622:

Ingratos nulla prole *novare* viros;

quod in liberis patres renasci videantur. Sic *novare gregem* dixit Statius, Theb. X, 223; et *novare pignora*, eodem libro, 791. Denique *membra novare*, Valerius Flaccus lib. III, 423; apposite, ad hunc Nas. locum:

Hic sale purpureo vivaque nitentia lympha
Membra *novat*, seque horrificis accommodat actis. HEINS.

91. *Arcus, et arma tuæ tibi sint imitanda Dianæ. Sunt* scripti nonnulli. Scribo et distinguo, ut melius cohæreant:

Arcus, ut arma tuæ tibi sint imitanda Dianæ,
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

— Non sine invidia *tuæ;* quæ totum sibi *te* vindicat, nec ullum patitur Veneri, amori locum superesse.

93. *Clarus erat sylvis* etc., et 99: *Arsit et Œnides* etc. Cephali adducit exempla et Meleagri, qui, quum eam, quam Hippolytus, vitam viverent, amori tamen inservierunt.

94. *Conciderant.* Alter Moreti *inciderant;* unus Heinsii *ceciderant:* proxime ad veram lectionem, quæ est in Lovaniensi codice, *decideranl:* eleganter. Ita Statius VIII, Theb. 124:

Ut leo Massyli, quum lux stetit obvia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat; si decidit hostis,
Ire super satis est, vitamque relinquere victo. B.

Ibat ad hunc sapiens a sene Diva viro.
Sæpe sub ilicibus Venerem, Cinyraque creatum,
Sustinuit positos quælibet herba duos.
Arsit et Œnides in Mænalia Atalanta:
Illa feræ spolium, pignus amoris, habet.
Nos quoque jam primum turba numeremur in ista:
Si Venerem tollas, rustica silva tua est.
Ipsa comes veniam; nec me latebrosa movebunt
Saxa, nec obliquo dente timendus aper.
Æquora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
Et tenuis tellus audit utrumque mare.

96. *Sapiens.* Quæ providerat sibi amatorem pulchrum et juvenem. Fœde admodum dicta; quod enim *sapientiam* vocat, senem nempe maritum pro juvene proco derelinquere, probrum istud et infamiam vocare debebat castus Hippolytus. — *A sene.* A Tithono marito suo sene. Fuit autem Tithonus Laomedontis filius, et Priami frater, qui ex Aurora filium suscepit Memnonem. Quidam, *de sene.* — *Diva.* Aurora.

98. *Sustinuit positos quælibet herba duos. Quælibet*, est obvia quæque, licet vilissima et non delicata; etiam gramen, ut solebant ævo simplici et aureo. Propert I. Eleg. VIII, 4:

Et sine me vento *quolibet* ire paras.

Petron. 127: *In hoc gramine pariter compositi.* vid. Epist. V, 14. BURM.

101. *Jam primum.* Francius malebat, *quam primum.*

103. *Nec me latebrosa movebunt Saxa.* Legitur et *salebrosa*; quæ lectio fortasse verior. NAUGER. Optime in uno Palatino scriptum erat: *Nec me salebrosa movebunt Saxa.* DAN. HEINSIUS. *Salebrosa* priscæ editiones cum uno Mediceo; quod et in suis Naugerius invenerat. Propert. lib. III, Eleg. XIV, 15:

Luna ministrat iter, demonstrant astra *salebras.*

Ita *salebrosus pastillus* Auctori Moreti, et *salebrosa semita*, Apulejo. Metam. lib. VIII. HEINS. *Latebrosa* est in Editione Veneta, 1492.

105. *Æquora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon.* Trœzena in Isthmo quodam seu Chersoneso sitam fuisse, quod Burmann. credebat, nemo, ut puto, veterum tradidit. Isthmon intellige Corinthiacum, a quo non remotissimam fuisse Trœzena docet Plinius H. N. IV, 5. LENNEP.

106. *Audit.* Slichtenh. ex lib. VI. Metam. 419:

Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab Isthmo,

legebat *claudit;* sed nihil mutandum. Senec. Thyest. 113:

Vicina gracili dividens terra vada,
Longe remotos latus *exaudit* sonos.

Stat. I. Theb. 335, in descriptione Isthmi:

... In mediis *audit* duo litora campis.

Sil. V, 399:

... Fractasque in rupibus undas
Audit Tartessos latis distermina terris. H.

Intelligit fauces Chersonesi, in qui-

Hic tecum Trœzena colam, Pittheia regna :
Jam nunc est patria gratior illa mea.
Tempore abest, aberitque diu, Neptunius heros :
Illum Pirithoi detinet ora sui.
Præposuit Theseus, nisi si manifesta negamus,
Pirithoum Phædræ, Pirithoumque tibi.
Nec sola hæc nobis injuria venit ab illo :
In magnis læsi rebus uterque sumus.

bus Trœzene utraque parte fluctibus maris feriebatur. *Ambit utrumque* erat in duobus : *utrimque* vero et *utrumque* facile confudisse librarios ex Propertio, lib. III. Eleg. XX, 22, constat; et postea vidi Gronovium ad Senec. Thyest. 112, hunc versum ita adducere, licet nihil moneat. BURM.

109. *Tempore abest, aberitque diu.* In tempore, et opportune abest; quæ duo Plautus etiam in Asinaria conjunxit. Sic Cicero in Offic. *Ad cœnam tempore venit.* Quo modo et alibi idem. HEINS. — *Tempore abest, aberitque diu*, etc. Solvit quæ proposito obesse potuissent. Theseus *abest;* res igitur facilis : *aberitque diu,* nunquam forte rediturus. Demto sic periculo, invidiose transit ad ea quæ patrem in odium filii poterant adducere. — *Neptunius heros.* Ironice dictum crediderim ; minime enim *heroïca*, quæ mox referet.

111. *Præposuit Theseus*, etc. Maligne recenset Phædra Thesei conjugis facinora. *Præposuit* Hippolyto Pirithoum : Phædræ fratrem Minotaurum clava prostravit ; ipsamque Antiopen Hippolyti matrem *ense peregit*, et ne *nuptam* quidem, ne regna paterna quondam occuparet filius. Quinetiam *fratres addidit* (Demophoonta scilicet et Antilochum, vel, ut alii volunt, Acamanta) qui aditum omnem ad solium præcluderent. Sicque mulier artificiosa Hippolytum undique circuit, torquet et oppugnat, ut innata ingenuo adolescenti in parentem pietas, ex animo sensim elabatur. — *Nisi nos manifesta negemus. Negamus*, potiores scripti. Puteaneus et Farnesianus, *nisi si manifeste negamus.* Scribe, *nisi si manifesta negamus.* Eleganter. Epistola Helenæ :

At tu dissimula, nisi si desistere mavis.

Remedio Amoris :

Posse pati facile est, nisi si patientia desit.

Ita enim censeo rescribendum.

113. *Nec sola hæc ad nos injuria venit.* Ab iis quæ sunt levioris momenti, in ea excurrit quæ insigniorem perfidiæ conjugis in uxorem, et patris in filium notam præ se ferunt, ut veniat Hippolytus in societatem injuriæ. Quapropter sequenti versu :

In magnis læsi rebus *uterque sumus.*

— *Sola nec hæc*, scripti, præter Barberinum codicem et alterum Lovaniensem Societatis Jesu, in quibus : *Sola nec hæc nobis injuria venit.* Eleganter. *Venire* enim cum tertio casu jungit frequenter Ovidius, ut in Fastis lib. V, 648, fide optimorum codicum :

Et tandem Caco debita pœna venit.

Ossa mei fratris clava perfracta trinodi
  Sparsit humi : soror est præda relicta feris.
Prima securigeras inter virtute puellas
  Te peperit, nati digna vigore parens.
Si quæras ubi sit, Theseus latus ense peregit :
  Nec tanto mater pignore tuta fuit.
At ne nupta quidem, tædaque accepta jugali.
  Cur? nisi ne caperes regna paterna nothus.
Addidit et fratres ex me tibi : quos tamen omnes
  Non ego tollendi causa, sed ille fuit.
O utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum,
  In medio nisu viscera rupta forent!
I nunc, et meriti lectum reverere parentis;

Sic et Græci ἔρχεσθαι, pro *esse*. Propertius multus quoque est in hac locutione. HEINS. Mollius fore, si legatur, *sola neque hæc*, censebat Francius.

118. *Nati digna favore parens. Digna vigore*, uno consensu, præter Helmstadiensem, scripti; et vere. Silius, III, 112 :

... Gelidosne scandere tecum
Deficiam montes conjux tua? crede *vigori*
Femineo.

Posset et *rigore* legi cum excerptis Vossianis, ut supra : *Te tuus iste rigor.* HEINS. Si vero vulgatam *favore* tueri alicui libeat, referat ad illa quæ sequuntur :

Nec mater tanto pignore tuta fuit.

121. *At nec nupta.* Mollius est, *at ne nupta quidem*, ut est in Francofurtensi et plurimis aliis, nec non in vetustis editionibus aliquot. BURM.

122. *Ne caperes regna paterna nothus.* Lege cautum erat a Solone apud Athenienses, ne quis *nothus* in paternam hereditatem unquam succederet. Quod et Comicus refert, in Avibus, 1660 :

Νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχι-
στείαν, παίδων ὄντων γνη-
σίων· ἐὰν δὲ παῖδες
Μὴ ὦσι γνήσιοι, τοῖς
Ἐγγυτάτω τοῦ γένους
Μετεῖναι τῶν χρημάτων.

124. *Sed ille fuit. Non ego tollendi causa, sed ille, fui*, malebat Franc., ut Epist. VIII, 41 : *Tu mihi, quod matri pater, es;* sed parum refert.

127. *I nunc, et meriti.* Scripti nonnulli *immeriti*, vel, *emeriti*. In quibusdam vetus lectio est erasa. Excerpta Jureti et Helmstad. *sic meriti.* Puteaneus, *ii meriti*, a manu prima. Lego :

I nunc, i, meriti lectum reverere parentis.

— Repererat Burmann. in Francofurt. excerptis, et in textum censuerat inducendum : *I nunc, sic meriti* etc. Nihil tamen mutandum; sed observatione dignam judicavimus insignem mulieris impudentiam. — *Lectum reverere parentis, Quem fugit* etc. Quam dissimilis meretrix

Quem fugit, et factis abdicat ille suis.
Nec, quia privigno videar coitura noverca,
Terruerint animos nomina vana tuos.
Ista vetus pietas, ævo moritura futuro,
Rustica Saturno regna tenente, fuit.
Jupiter esse pium statuit, quodcunque juvaret;
Et fas omne facit fratre marita soror.

hæc putida, nec ipso, quo rapitur, animi tumultu excusanda, ab illa Phædra quam in scenam Euripides primum, et Seneca deinde protulerunt! Vix enim, apud priorem, 350, sqq. et diu multumque a fida nutrice sollicitata, fatalem erga Hippolytum amorem fatetur. Audet quidem, et ipsi privigno, apud Senecam, fateri; sed quanta verecundia; quanto, ut ita dicam, sui ipsius pudore, Hippolytum adit, alloquiturque! Locus, ex parte saltem, afferendus; 602, sqq. Conspecto vix quem furebat:

... Ora cœptis transitum verbis negant.
Vis magna vocem mittit, at major tenet.
Vos testor, omnes Cælites, hoc, quod volo,
Me nolle.

Hipp. Animusne cupiens aliquid, effari nequit?
Phæd. Curæ leves loquuntur: ingentes stupent.
Hipp. Committe curas auribus, mater, meis.
Phæd. Matris superbum est nomen, et nimium potens;
Nostros humilius nomen affectus decet.
Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca;
Famulamque potius.

Et quæ sequuntur, mirabili adeo arte in drama gallicum translata!

Hipp. Amore nempe Thesei casto furis.
Phæd. Hippolyte, sic est: Thesei vultus amo
Illos priores, quos tulit quondam puer:
Quum prima puras barba signaret genas,
Monstrique cæcam Gnossii vidit domum,
Et longa curva fila collegit via.
Quis tum ille fulsit! etc.

128. *Ille.* Mallem *ipse.* HEINS.

129. *Nec, quia privigno* etc. Miranda sane conclusio, et digna quæ tale exordium consequeretur! Nec ego longius, quæ sequuntur, interpretandis immorabor: hoc unum observare satis erit, Phædram eo usque insanire, ut non animadvertat, nullum esse ex his quæ affert argumentis, quod non castum, piumque adolescentem asperare, terrere, alienare debeat.

130. *Terruerint animos* etc. *Animum tuum*, Junianus codex. — *Nomina vana.* Privigni scil. et novercæ. Sic apud Lucan. 1, 313, sed alio sensu:

... Nomina vana, Catones.

131. *Ista vetus pietas, ævo moritura futuro.* Id est, argentea ætate, quæ aurearn brevi subsequuta est. Et ea quoque Juvenalis opinio; Sat. IV, 1, 15.

Credo pudicitiam, Saturno rege, moratam
In terris.

Cujus vestigia *forsan* exstitisse credit tamen,

... Et sub Jove, sed Jove nondum Barbato.

132. *Rustica Saturno regna tenente.* Refer *rustica* ad *regna* quæ tunc Saturnus *tenebat*; non ad *pietatem*, ut sine sensu quidam.

134. *Fratre marita soror.* Sligtenhorstio videbatur legendum, *fratris amica soror.* HEINS. Insolentior scilicet ipsi videbatur constructio: ut

Illa coit firma generis junctura catena,
  Imposuit nodos cui Venus ipsa suos.
Nec labor est; celare licet. Pete munus ab illa:
  Cognato poterit nomine culpa tegi.
Viderit amplexos aliquis; laudabimur ambo.
  Dicar privigno fida noverca meo.
Non tibi per tenebras duri reseranda mariti
  Janua: non custos decipiendus erit.
Ut tenuit domus una duos, domus una tenebit.
  Oscula aperta dabas; oscula aperta dabis.
Tutus eris mecum, laudemque merebere culpa;
  Tu licet in lecto conspiciare meo.
Tolle moras tantum, properataque fœdera junge.
  Qui mihi nunc sævit, sic tibi parcat Amor!
Non ego dedignor supplex humilisque precari.
  Heu! ubi nunc fastus, altaque verba? jacent.

et Douzæ, qui capiebat *fratre* pro *fratri*: sed ita et Horat. III. Od. 5:

Milesne Crassi *conjuge barbara*
Turpis maritus vixit. BURM.

137. *Nec labor est; celare licet.* Scribe, *Non labor, et celare licet*, ut *τὸ est* subintelligatur. HEINS.

139. *Viderit amplexus aliquis. Amplexos*, Puteaneus. Val. Flaccus lib. IV, 701; qui locus non est sollicitandus:

... Pallentia jungunt
Oscula, vix primis *amplexi* luminis oris.

Silius, XII, 741:

Inque vicem *amplexi*, permista voce triumphum
Tarpeji clamant Jovis. HEINS.

Priscianus, lib. VIII, multis exemplis adstruit veteres *amplecto* et *amplexo* dixisse, et profert illud ex Petronio fragmentum: *animam nostro amplexam in corpore*; περιελιχθεῖσαν. BURM.

142. *Non custos.* Eleganter talem amorem *incustoditum* vocat Tacitus, Ann. XII, 4.

147. *Properataque fœdera.* In membrana Scriverii et mea erat, *sociataque fœdera*, pro varia lectione, quod non est contemnendum; sic *sociare cubilia*, Ep. III; et similia. In Barberiniano et Basileensi codice erat, *properataque gaudia*; forte bene. Art. Am. II, 481:

Cum quo sua *gaudia* jungat,
Invenit in media. HEINS.

Non placet *sociata*, quod librarius repetisse ex vers. 17 videtur. *Properata* enim vult vel *fœdera* vel *gaudia* jungi, quia metuebat Thesei reditum, qui tunc temporis absens: si quid mutandum, mallem *sperataque gaudia junge*. In Scriveriano erat etiam, *Tolle moras, oro.* BURM.

150. *Heu! ubi nunc fastus, altaque verba? jacent.* Distinguendum sic putabat Drakenborch, probante Bur-

Et pugnare diu, nec me submittere culpæ
Certa fui; certi si quid haberet Amor!
Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
Brachia. Quid deceat, non videt ullus amans.
Depuduit, profugusque pudor sua signa relinquit:
Da veniam fassæ, duraque corda doma.
Quo mihi, quod genitor, qui possidet æquora, Minos?
Quod veniant proavi fulmina torta manu?
Quod sit avus, radiis frontem vallatus acutis,

mann. secund. ad Propertium II, Eleg. II, 2. LENNEP.

151. *Et pugnare diu.* Mallem, si per libros veteres liceret:

Pugnavique diu, nec me submittere culpæ
Certa fui.

Pugnavique diu violenta Cupidinis arma
Effugere infelix. Metam. IX, 542.

155. *Depuduit, profugusque pudor sua signa reliquit.* Scribe, vel invitis libris, *profugusque rubor:* quod omnino concinnius. *Relinquit,* præterea Puteaneus et alii ex melioribus. *Depudere* etiam in Amoribus dixit, lib. III. El. XI, 4:

Et quæ *depuduit* ferre, tulisse pudet.

ut quidem illic optime Jureti excerpta. Suetonius, *depudere didicerat.* HEINS. *Depudescere* Apulej. dixit, lib. X. Metam. Forte:

Depuduit, profugusque pudor vix signa relinquit. BURM.

Sic Medea apud Apollon. Rhod. Argonaut. III, 785:

Ἐρρέτω αἰδὼς,
Ἐρρέτω ἀγλαίη.

157. *Quo mihi. Quod mihi sit genitor* vulgo quidem legitur. Ego vero legendum censeo, *Quid mihi, quod genitor* etc. aut certe, *Quo mihi, quod genitor;* perinde ut Horatius dixit:

Quo mihi fortunæ, si non conceditur uti?

ut sit oratio ἀλλεπτική, pro, *quid* vel *quo* mihi prodest, quod genitor mihi est Minos? MICYL.

158. *Quod veniant proavi* etc. Vulgo Minos filius Jovis creditur Ζεὺς Μίνως τέκε. Il. N, 450. Ergo Jupiter avus Phædræ erit; sed quum duo Minoes fuerint, et secundus Lycastæ filius, prioris nepos, poterit Jupiter longius a Phædra quidem removeri, nec tamen *proavus* dici, sed *abavus:* quamvis Poëtæ hos gradus non ita diligenter servant, imo nec ipsi sæpe Historici; testis Vell. Pater. I, 2; confundi vero duos Minoas docuit egregie Broukhusius ad Propert. III. Eleg. XVII, 27. Sed *proavus* proprie quoque Phædræ dici potest Jupiter per matrem: Pasiphaes enim pater Sol, et hujus Jupiter; et sequens distichon indicat Nasonem hoc potius stemma elegisse, quia in altero Minoes confundi solebant. Ceterum in Francofurtensi codice erat a manu prima, *Proava fulmina missa manu;* elegantissime; et ita *Proava tropæa,* Propertio lib. IV, XI, 29, asserere volebat Barthius, non probante Broukhusio. BURM.

159. *Vallatus.* Eleganter, quasi corona cinctus, ita ut radii acuti illi telorum speciem præbeant. Et ita Lucianus de Saltatione, p. 505,

Purpureo tepidum qui movet axe diem?
Nobilitas sub amore jacet. Miserere priorum:
Et, mihi si non vis parcere, parce meis.
Est mihi dotalis tellus, Iovis insula, Crete:
Serviat Hippolyto regia tota meo.
Flecte feros animos. Potuit corrumpere taurum
Mater: eris tauro sævior ipse truci?
Per Venerem, parcas, oro, quæ plurima mecum est:
Sic nunquam, quæ te spernere possit, ames.
Sic tibi secretis agilis Dea saltibus adsit,
Silvaque perdendas præbeat alta feras.
Sic faveant Satyri, montanaque numina Panes;
Et cadat adversa cuspide fossus aper.
Sic tibi dent Nymphæ, quamvis odisse puellas
Diceris, arentem quæ levet unda sitim.

edit. Bourdel. dicit Æthiopes radiorum instar tela capiti circumdare: et hoc illis vicem pharetræ præstare Claudian. Idyll. IV, 23, in Nilum:

Et gens compositis crinem *vallata* sagittis.

ut recte Heinsius restituit pro *velata;* quod verbum hic quatuor codicibus insederat. BURM.

160. *Qui movet.* Mentelianus pro diversa lectione, *vehit;* ut in Amor. I. XIII, 2:

Flava prainosum quæ *vehit* axe diem.

Fast. III, 518:

Purpureum rapido qui *vehit* axe diem. B.

— *Qui movet axe diem.* Pro *movet*, legendum arbitrabatur Wakefield *rotat*, quod Statio, quam Nasone, dignius censebat Lennep.

163. *Est mihi dotalis tellus* etc. Tenendum, quod ad hunc locum inter alia recte observat Burmann. poetam, parum de historia sollicitum, omnia Phædræ lenocinia tribuisse, quibus Hippolytum corrumpere posset; et ideo splendidæ etiam *dotis* mentionem fecisse. Quin immo fieri poterat, ut, mortuis fratribus, in Minois regnum Phædra aliquando succederet, illudque, quasi in dotem, viro adferret. LENNEP.

165. *Flecte feros. Ferox*, Sarravian. sed male. Catalect. Pith. p. 46. *Flecte truces animos*, ut Heins. ad Ovid. II. Met. 482, correxit; sed nihilominus distichon hoc nescio quo modo non satisfacit, nec Ovidianæ venæ esse videtur, ut fortasse æque ac præcedens sit intrusum. Aptius enim oratio procederet, si illa connecterentur;

Et mihi si non vis parcere, parce meis.
Per Venerem parcas, oro etc. BURM.

— *Potuit corrumpere taurum Mater...* Quam pie, quam decenter portentosum hoc matris facinus in memoriam revocat! quam venuste im-

Addimus his precibus lacrimas quoque : verba precantis
Perlegis ; et lacrimas finge videre meas.

primis et eleganter Hippolytus cum tauro comparatur!

175. *Addimus his lacrimas precibus quoque.* Ad preces redit et lacrimas; sed frustra. Quid enim preces, quid lacrimæ apud Hippolytum, qui sane epistolam hanc, si vere scripta fuisset, ad finem usque (data viri indole) non perlegisset? — *Addimus his precibus lacrimas : quoque* etc. Acute in libro suo Gruterus distinxerat :

Addimus his precibus lacrimas quoque : verba precantis
Perlegis, et lacrimas finge videre meas.

176. *Perlegis, et lacrimas finge videre meas. Perlege et,* tres libri. Lincolniensis, *Perlege, sed ;* bene, nisi fallor. Certe illud *Perlegis* subnatum videtur ex primo verbo sequentis epistolæ. At vero opinor unam literam elisam esse, et scribendum *Perlegito.* Volui aliquando *dum legis*, vel *ut legis :* optimo sensu, nisi quod longius absit a vulgata scriptura. HEINS. Ego vero legerem :

... Verba precantis
Perlegis ; at lacrimas finge videre meas.

Addimus nos quidem precibus nostris lacrimas, sed quas tibi non possimus præsenti fundere : tu tantum *legis* verba, aut, ut spero, et initio Epistolæ rogavi, *perleges ;* sed quæso, finge lacrimas te simul videre, quas ego *addo* quidem verbis dum scribo, sed ad te perferendas, ut verba, dare non possum. BURM.

HIPPOLYTI AD PHÆDRAM

RESPONSIO,

SIDRONIO HOSSCHIO AUCTORE.*

* P. Burmanni gravissima auctoritate inducti (vid. not. init. præced. Epist.) legimus et nos quoque *egregiam* hanc Hippolyti ad Phædram responsionem; diuque satis hæsimus dubii, utrum Ovidianæ Epistolæ Hosschianam appenderemus; an indignam omnino judicaremus, quæ Nasoni comes adderetur. Hoc ut faceremus, impellebat, nec ita parum, viri fama, quem nulli ætatis suæ (quæ tamen ingeniorum ferax, et poeseos latinæ cultrix studiosissima) poetæ secundum Burmannus prædicabat. Deterrebat vero ipsius Epistolæ mediocritas, quæ stylo Senecæ magis, quam Ovidii, conscripta videbatur; et per verborum ambages, vel nimiam sententiarum frequentiam, ultra modum promissa; non ea tandem, quæ primum inter auctoris Poematia locum obtineat. Quum sint tamen nonnulla, quæ tollere velis et possis, non eam lectori invidebimus, integramque illius judicio permittimus.

Natus erat Sidron. Hosschius, gallice *Hossch*, in regione Iprensi, A. D. 1596; Tungris obiit, 4 septemb. 1653, carminum laude clarus; virtutum fama, clarior. Illius opera Antuerpiæ primum collecta, 1656, denuo edidit *Barbou*, Parisiis, 1723.

HIPPOLYTI AD PHÆDRAM

RESPONSIO.

Mirabar, quid crebra sibi suspiria vellent,
Fixaque luminibus lumina sæpe meis;
Et blandæ nimium voces, quæque ora silentis
Mutato toties signa colore dabant.
Nec poteram veræ similem mihi fingere causam,
Cur gemitus nullo læsa dolore dares.
Jam scio, tendebas casses mihi: detegit illos
Impia sacrilega litera scripta manu.
Non tibi lædendi studium, dignumque noverca
Ingenium, quamvis magnus ademit amor.
Privignis aliæ miscent aconita novercæ:
Tu me, quam possis lædere, pejus amas.
Perlegis? an primis te frangit epistola verbis,
Tollere cum voto spem quoque visa tuo?
Perlege; sed timeo, ne scribam mollius æquo,
Et desint animo ne mea verba suo.
Nec rescripsissem: sed, ut es sine mente, veremur,
Ne tibi tu dicas: Vicimus! ille tacet.
Ut tibi sim facilis, nec, quæ petis, ipse recusem,
Turpiter, et nullo victa pudore, rogas.
Quod simul ut legi, de Divis questus, et ipso,
Si tuus est proavus, quem pudet esse, Jove.
Jupiter, hoc probrum, dixi, stirpisque, tuumque
Dissimulas, et adhuc crederis esse Deus!

Plecte, pater, crimen : quid in alta Ceraunia sævis?
Aut quid in immeritum fulmina perdis Athon?
Hæc spectas, et adhuc spectaris, Phœbe? Neque illa
Visa Thyestea res tibi digna via est?
Non trepidos avertis equos? Non conscia saltem,
Ne videant neptem, lumina nube tegis?
Sic ubi te justæ Superum devovimus iræ,
Visa minor merito nostra querela tuo est.
Scilicet idcirco populos vitamus, et urbes,
Illecebrasque aulæ, femineosque choros;
Idcirco silvas colimus; castæque Dianæ,
Laude pudicitiæ, proxima cura sumus,
Ut spolium nostri referas infame pudoris?
Hoc meruit virtus, hoc meus ille rigor?
Talia conanti meritæ tibi dicere lingua
Hæsit, et in primo destitit ore sonus.
Non calamum excussit digitis scribentibus horror?
Non opere in medio diriguere manus?
Non subiit saltem mandantem talia ceris
Te pudor? At ceras erubuisse reor.
Quid queror extinctum tibi non venisse pudorem?
Pessima facundam te quoque causa facit :
Exemploque Jovis tam detestabile crimen
Contendis fieri posse, nec esse nefas.
Hoc proprium sceleri est : larvam sibi semper honesti
Quærit, et hoc velo cœpta pudenda tegit.
Invitam sed, ais, qui Divis imperat ipsis,
Et Divum Deus est, scribere jussit Amor.
Ficta canis; nocuisse tibi sua tela, suisque
Uri te flammis ipse Cupido negat.
Stipite te Stygio, sanieque tumentibus hydris
Perculit, et stimulat de tribus una soror.

Nec regnat lascivus amor; quid inania fingis
Regna? nec in superos jus habet ille Deos.
Casta Diis mens est, casti sine crimine mores,
Et cælo digni, dissimilesque tuis.
Sed finxit Superos peccandi exempla libido,
Ut nil turpe sibi duceret esse nefas.
Pirithoum Theseus, inquis, nobisque tibique
Prætulit: hoc quæ te credere causa jubet?
Nemo igitur fidum colat, aut invisat amicum:
Si facit, externum prætulit ille suis.
Quod carpis furiosa, tuoque in conjuge damnas,
Laudares, sana si modo mente fores.
Nomen inextinctum longo laudabilis ævo
Est habitura patris Pirithoique fides.
Quid sit amor, sentis? furor est; post omnia mentem
Eripit: exemplo res manifesta tuo est.
Quid quereris fratrem clava cecidisse trinodi?
Opprobrium vestræ sustulit illa domus.
Quod nisi fecisset, cæsus pater esset ab illo:
Quis non, quod Theseus fecit, in hoste facit?
Curæ cuique sua est medio in discrimine vita:
Natura, ut perimas, ne perimare, docet.
Quamquam hæc culpa tuæ est, si qua est modo culpa, sororis:
Illa viam docuit, consiliumque dedit:
Judicium tibi pervertit mentemque libido:
Quæ bona sunt damnas, impia facta probas.
In vitiis recti speciem reperire laboras,
Ipsaque te virtus judice crimen habet.
Crimen amicitia est; crimen tibi, nolle perire:
Res pia, quem ratio damnat et horret, amor.
At repetit pœnas maternæ injuria cædis:
Saucia Theseo concidit ense parens.

Esto : me genitor, quo matrem, læserit ense :
In te quod fecit, præter amare, scelus ?
Quam bene Theseo caderes quoque victima ferro !
Et, si digna Dii dent tibi fata, cades.
Occidit infelix sine causa et crimine mater :
Non satis in pœnas mors foret una tuas.
Quam mihi tu suades, vindicta est tetrior illo
Crimine, quo genitrix a patre cæsa fuit.
Scilicet incesti castam placavimus umbram,
Pessima tu pellex, pejor adulter ego ?
Si quid adhuc manes, matremque a funere posset
Lædere, quid gravius, quod pateretur, erat ?
Tene ut amem, quæ, quum revocas delicta parentis,
Me laceras ? Nam sunt dedecus illa meum.
Ad genus, et natos majorum infamia transit.
Huic pater est, illi causa ruboris avus.
Tantalus est Pelopis, Menelai dedecus Atreus ;
Natarum Danaus, Pasiphaeque tuum.
Multa patri licet objicias, tamen omnibus illis,
Quod tibi nunc votum est, turpius esse puta.
Nec refero cæsæ solatia nulla parentis :
Femina jam non est ulla verenda mihi.
Nunc omnes odisse licet : nunc odimus omnes ;
Te quoque, quam soleo matris habere loco.
Atria vestibulum sunt aulæ vasta paternæ :
Pendet in his veterum barbara præda ducum.
Hic spectare licet pictas ex ordine pugnas,
Cæsaque Thesea plurima monstra manu ;
Immanemque suem ; populumque e nubibus ortum ;
Et bovis, et fratris cornua fracta tui ;
Cercyonemque, Scininque, et cum Scirone Procrusten,
Et pulsata nigri tertia regna Dei.

Hæc mihi spectanti, quamvis in imagine tantum
Visa, tamen causæ sæpe fuere metus:
Te tamen hæc inter pictam si monstra viderem,
Tu mihi, tu terror maximus una fores:
Et merito: quid namque tuis furiosius ausis?
Nullum odium est isto majus amore scelus.
Quo magis admiror, quid sit tibi scribere famam,
Nunc quoque quum violas, labe carere tuam.
Quam, si labe vacat, cur non stultissima servas?
Cur, quod habes, summum prodigis ipsa decus?
Pulchrius hæc magnos ornat, quam purpura, reges.
Hanc sceptrum, hanc titulos, hanc diadema puta.
Hac sine, dedecorant honor et sua nomina magnos:
Hac sine, majestas regibus ipsa probro est.
Nec tamen, ut jactas, fama est tibi criminis expers.
Perdidit hanc, quisquis non retinere cupit.
Quod tibi præ nostris sordet tua regia silvis;
Judice me, silvæ te quoque, Phædra, decent;
Sed quales, meritoque, tuam tenuere sororem,
Quum sine se Thesei vidit abire rates.
In quibus humani nusquam vestigia cultus,
Sed videas solis cognita lustra feris.
Illic venandi studio teneare licebit;
Illic horteris per juga summa canes.
Ut pedibus nostras tangas impura nefandis?
Si ferat hoc, silvis non bene virgo præest.
Nec tibi mens damis, nec mens est retia cervis
Tendere, nec cursu præmia nostra sequi;
Præda tuis ego, quam captares, retibus essem:
Præda ego, per silvas quam sequerere, forem.
Ante, precor, novus Actæon in montibus errem,
Et lacer a canibus devorer ipse meis.

Quod Venerem tollam, quod agam sine conjuge vitam,
Est mea judicio rustica silva tuo.
Rustica sit sane, vitiis aulæque tuisque
Dum caret, et casta est, quodque sequamur, habet.
At studiis est clara meis; infamis, et ipsis
Detestanda feris, te veniente, foret.
Cur, ne deficiam, metuis mihi? nempe labores
Alterna requie, vitaque nostra carent.
Falleris: alta quies sibi mens est conscia recti:
Hac fruor; hæc semper pectora nostra fovet.
Hæc mihi per montes, præruptaque saxa vaganti,
Qua recreor, comes est, ægraque corda levat.
Quam juvat hic aulæ strepitu fumoque carentem,
Et procul invidia vivere, teque procul!
Ad requiem satis est patulæ sub tegmine fagi,
Et temere in viridi procubuisse solo.
Illic e silvis veniens, aut vallibus, aura,
Frondeaque ardores sat levat umbra meos.
Interea gemit in patriis avis Attica silvis,
Et violare toros admonet esse nefas.
Quid requiem ingeminas? Requies in crimine nulla est:
Ex illo, si qua est, nata Megæra fuit.
Hoc unum tædis animos ardentibus urit,
Hoc unum Stygias condit in ossa faces.
Ipsa tuas furias, et cæcos consule motus:
Non secus ac thyrso concita Baccha, furis.
Mentis inops raperis; nec adhuc, nisi mente, scelesta es:
Si re peccasses, quo raperere modo?
At mihi, sic dives promissis litera spondet,
Conjugii dos est Creta futura tui.
Nil agis: ut violem tam sanctæ fœdera legis,
Non mihi tu tanti, totaque Creta tua est.

Regna mihi spondes? ut te, sic odimus illa.
Quæ mihi sunt odio, finge placere tamen.
Qui potiar, nisi per fratrum patrisque cruorem?
Hoc quoque tu suades? hoc tuus ausit amor?
Ah! te, Demophoon, miseror, teque, inclyte Theseu;
Te, quia Phædra uxor; te, quia Phædra parens.
Forsitan hostiles iras, aut bella timetis:
At Phædræ vobis est metuendus amor.
Este tamen de me securi: tendere solis
Insidias labor est noster, eritque feris.
Unicaque ambitio est, ne figat missa lacertis
Alterius plures, quam mea cuspis, apros.
Quid mihi cum regnis, si rex qui sustinet, angi,
Et semper trepida sceptra tenere manu?
Omnes si Superi dicant mihi: Regna capesse:
Hostibus hæc, dicam, Dii date, quæso, meis.
Hei mihi, curarum quot millia, quotque timorum,
Quot luctus circum regia tecta volant!
Nec regno careo: regnum mihi libera mens est,
Et proba, quam captam nulla cupido tenet.
Imperat hæc odiis, et amoribus; imperat iræ,
Et domat imperio spemque metumque suo.
Exulat hinc procerum livor, scelerumque repertrix
Ambitio, et quidquid sceptra timenda facit.
Et regnum mihi sunt silvæ: dominamur in illis,
Deque feris, tanquam gente, tributa peto.
O valeant populi, regum tormenta suorum:
Ingenium sensi mitius esse feris.
Has inter Pietas habitat, Rectumque, Pudorque,
Cælestesque ipsi: non habet aula Deos.
Historias quid stulta mones peccare docentes?
Te petis, et telis conficis ipsa tuis.

Ex his, quos memoras, cujus placet exitus? aut quod
Flagitium lente pœna secuta fuit?
Arserit Œnides in Mænalia Atalanta;
Prima sepulcralis fax fuit illa rogi;
Infelix juvenis pariter cum torre flagrabat:
Tam miseri mater funeris auctor erat.
Mater erat: quid si, quod tu mihi, Phædra, fuisset?
Ah! ego sic potius sim tibi flamma, precor.
Vulcani temerasse torum quam nollet Adonis,
Tunc quum fulminei dente cadebat apri!
Auroram Cephalus; Cephalum vindicta secuta est,
Dum procul uxorem credidit esse feram.
Credidit, et misso rupit præcordia telo:
Exitio unius vulnus utrique fuit.
At tu, si pudor est, exemplis talibus uti
Parce: fugam sceleris, non scelus illa docent.
Pœna comes culpæ est: specta modo singula: nunquam
Impuros claudo deserit illa pede.
Nemo nocens impune fuit: si cætera desint,
Mens sibi delicti conscia pœna sua est.
Sic mihi pro stimulis addis, stultissima, frenos:
Et me, ne faciam quod petis, ipsa mones.
Esse putas aliquid, si fratrem Juno virumque
Det tibi, quod me sis præpositura Jovi.
At mihi si vel te, vel Erinnya nubere cogat
Jupiter, huic dicam: Me, Dea tristis, habe.
Fata quid accusas? Si vis ea vincere, vinces.
Prætendis vitio nomina vana tuo.
Cur metuis, vesana, parum Minoia credi?
Cur-ve times, ut sis dedecus ipsa tuis?
Pone metum tamen; ut possis Minoia credi,
Quod petis a nobis, hoc voluisse sat est.

Peccavit, quicumque cupit peccare : voluntas
Sola, nec admisso crimine, crimen habet.
Jam jam Cecropias hæc ibit fama per urbes,
Et qua spargit avus lumina, rumor eris.
Ipsa tui fies index manifesta doloris :
Conceptum haud poteris dissimulare nefas.
Cur ita vaticiner, quæris? quia victa furore es.
Talis amor furor est, indiciumque sui.
Si tamen hoc urget fatum Minoidas, at nos,
Sanguis Amazonidum, turba pudica sumus.
Si legem legi vis cedere; cedat honestæ
Turpis; Amazoniæ Gnossia vestra meæ.
Sed bene conveniunt contraria, judice Phædra :
Nam nitor, et nostro pulvis in ore decet;
Et rigor, et cultus, et vincti flore capilli,
Neglectæque decent et sine lege comæ.
Horrida nunc placet, hirsutisque accommoda silvis;
Quæ primum placuit, candida vestis erat.
Et cur non mores potius mirare pudicos?
Hac tibi non formæ laude probandus eram.
Quum faciem tantum laudas, cultusque, comasque,
Ponentis laqueos uteris arte lupæ.
Sic blandum tenui dum fundit arundine carmen,
Decipit incautas carminis auctor aves.
Credula sic tenero dum Siren pectora cantu
Mulcet, in exitium cæcaque saxa trahit.
Scimus, quæ lateant illo sub gurgite Syrtes!
Nostra per has numquam cymba feretur aquas.
Nec precibus, nec me lacrymis, nec laude movebis;
Hic pergam silvis durior esse meis.
Hoc scopulos vincam, montanaque saxa rigore :
Quem melius celebres, me decet iste rigor.

Ut pelago rupes, tibi sic rigor ille resistet.
Sentiar hoc uno vir tibi, Phædra, modo.
Interea caput hoc, incensa dolore repulsæ,
Mille per insidias, docta noverca, pete.
Ex quibus ut partem vitemus, non tamen omnes,
Quamlibet admissis effugiemus equis.
Sive tamen ferro me perdes, sive veneno,
Multo, quam nunc es, lenior hostis eris.
Non ego, ne peccem, discerpi in frusta recuso.
Sæpe, quod est durum ferre, tulisse juvat.
Et juvat, et pulchrum est vitæ præferre pudorem:
Sic occumbentes mors vetat ipsa mori.
Eventura cano: sic nobis somnia dictant.
Non mea sunt nulla somnia digna fide.
Nunc deturbari videor mihi rupibus altis;
In mare nunc mergi, vorticibusque premi.
Nunc mihi nocturnis fodiuntur viscera telis,
Perque cor, et venas ensis inanis abit.
Excutiunt pavidos simulacra minacia somnos,
Et vigili quæro vulnera vana manu.
Nunc loris velut implicitus, raptorque, trahorque;
Quaque trahor, longas sanguine signo vias.
Astitit ipse nigris Morpheus mihi nuper in alis,
Et querulo tales edidit ore sonos:
Infelix juvenis, tua, si potes, effuge fata.
Non tibi nox vanos objicit atra metus.
Mox inhibens cursum fugientis: Siste quadrigas,
Inquit, in ancipiti ne lacerere fuga.
Sic ait, et somnus me deseruere Deusque:
At non deseruit pectora nostra pavor.
Inde vigil mecum repetens mea somnia, dixi:
Nox aperit nobis, quod feret una dies.

Namque per hos semper volitas manifesta tumultus :
Igne micant oculi : dissipat aura comas.
Et modo ceu tædas fugienti tendis in ora ;
Et modo ceu stimulas in mea fata patrem.
Hæc me non modice, fateor, spectacula terrent :
Parte aliqua voto sunt tamen apta tuo.
Ad nos dant aditum, et patimur : sic denique, Phædra,
Non aliter nobis aspicienda veni.
Qua me cumque petes rabie, quocumque furore,
Nil audere tuo pejus amore potes.

EPISTOLÆ QUINTÆ

ARGUMENTUM.

Quum Hecuba, Cissei filia et Priami uxor, gravida esset, ardentem se parere facem, qua Troja omnis incenderetur, somniavit. Territus itaque Priamus ad oraculum confugit; et responso accepto filium Hecubam esse parituram, qui patriæ exitium afferret, partum, statim ut ederetur, interfici jussit. Mota vero materna pietate Hecuba, puerum, qui Paris postea dictus, pastoribus regiis clam alendum credidit. Qui, quum jam adolevisset, Œnonen adamavit, eamque, si nonnullis fides, uxorem duxit. Orta vero contentione, Junonem inter, Pallada, et Venerem, de pulchritudine, arbiter a Jove Paris delectus est, qui tantam litem componeret. Regnum Juno, Pallas sapientiam obtulit; Venus autem, mulierum pulcherrimam; quæ res totum ipsi judicem conciliavit. Agnitus deinde Paris a patre Priamo, Spartam navigavit, raptamque Helenen, Menelai uxorem, Trojam abduxit. Quo audito, Œnone conqueritur, hac Epistola, de perfidia conjugis; Helenenque Græcis reddat, suadet. Vid. Dictys Cret. — Quint. Calab. x, 260, sqq.

EPISTOLA V.

ŒNONE PARIDI.

PERLEGIS? an conjux prohibet nova? perlege: non est
Ista Mycenæa litera facta manu.
Pegasis Œnone, Phrygiis celeberrima silvis,
Læsa queror de te, si sinis esse, meo.
Quis Deus opposuit nostris sua numina votis?
Ne tua permaneam, quod mihi crimen obest?
Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est:

* Excerpta Puteani et nonnulli ex nostris sequens distichon Œnones Epistolæ præfigunt, quod ab aliis rectius abest:

Nympha suo Paridi, quamvis meus esse recuses,
Mittit ab Idæis verba legenda jugis. HEINS.

1. *An conjux prohibet nova?* Helenen attingit, quam Lacædemone raptam Paris Trojam nuper secum advexerat, non sine ingenti Œnones invidia. — *Non est Mycenæa facta manu.* Non est hostilis hæc littera; non a Menelao scripta. — *Facta.* Æque dicas, et recte semper, *scribere*, aut *facere* literam; vel apud eos, qui soluta oratione scripserunt, invenias: « Inde ad Antiochum *facit* literas. » Just. XXVII, 2. Obvium apud Poetas.

3. *Pegasis Œnone.* Ἀπὸ τῆς πηγῆς. Cebrenis quippe, vel Xanthi fluvii Œnone filia fuit; unde dicta *Pegasis*, id est, nympha Nais; sic et Musæ, *Pegasides* vocari solent, ab Hippocreneo fonte.

4. *Queror de te.... meo. Meus*, quia tibi me jugali vinculo consociasti: eo major injuria (*læsa queror*), quo sanctius jus violatum.

7. *Ex merito. Emerito* Barberini codex; sed nihil mutem. Sup. Ep. II, 62:

Quæcumque *ex merito* spes venit, æqua venit.

ubi pariter turbant libri; et Ep. XI, 96:

Et jubet *ex merito* scire, quid iste velit.

Vell. II, 118: « Ita se res habet ut, quod accidit, etiam *ex merito* accidisse videatur ». Ita lego, et paulo post, *ex merito æstimare*. BURM.

Quæ venit indignæ pœna, dolenda venit.
Nondum tantus eras, quum te contenta marito,
Edita de magno flumine Nympha, fui.
Qui nunc Priamides, absit reverentia vero,
Servus eras : servo nubere Nympha tuli.
Sæpe greges inter requievimus arbore tecti;
Mixtaque cum foliis præbuit herba torum.
Sæpe super stramen fœnoque jacentibus alto,
Defensa est humili cana pruina casa.
Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos;
Et tegeret catulos qua fera rupe suos?
Retia sæpe comes maculis distincta tetendi;
Sæpe citos egi per juga summa canes.

8. *Quæ venit indignæ.* Immeritæ: opponitur *ex merito.* — *Dolenda;* cum *dolore* subeunda.

11. *Absit reverentia vero.* Alii *adsit*, atque ita quinque ex nostris; quomodo apud Horatium, *liceat concedere veris.* Helmaestad. *assit.* III. Art. Am. 617 : *adsit modo certa voluntas.* HEINS. — *Adsit reverentia vero.* Grata minus Paridi revocatura Œnone, poscit ut verum sibi dicere liceat. — *Absit;* pellatur *reverentia*, ut *veram* solum audias.

12. *Servo nubere Nympha tuli. Nympha*, per emphasim; quasi dicat, quamvis tu *servus*, et ego *Nympha*, et *edita de magno flumine*, non sum dedignata tibi *nubere.* — *Tuli;* solemnis hæc loquendi forma apud Nostrum, Met. XIII, 460:

Scilicet aut ulli servire Polyxena *ferrem.*

Ibid. XI, 447 :

Nec *tulit* Halcyonem in partes adhibere pericli.

13. *Sæpe greges* etc. Jucunda admodum amanti, vel miserrimæ, præteritarum, quæ effluxerunt, voluptatum recordatio; et legentis animum potenter afficit sortis utriusque oppositio pathetica.

16. *Defensa est* etc. Libri veteres multi, *deprensa;* alii, *depressa:* unde *defensa* scribendum censuit Parrhasius; et vere quidem. Tot undique, ad confirmandam lectionem, concurrunt exempla!

17. *Quis tibi* etc. Locorum scilicet imperito, *saltus monstrabat?* Verba sunt beneficia exprobrantis.

20. *Per juga summa. Juga longa*, Puteaneus et Jureti excerpta, cum aliis multis. Quomodo Propert. III, Eleg. XII, 14:

Sectatur patrios per juga *longa* canes.

Et Virgil. XI, 544 :

... Juga *longa* petebat
Solorum nemorum.

— *Per juga longa.* Sic dicta montium *juga*, quia continuatione *junguntur.* Hæc grammatici : poetæ vero, continuos montes graphice *juga longa* descripserunt; et Noster imprimis. Epist. XVI; Parid. ad Helenam, v. 108, *longa dat Ida trabes;* ubi vid. quæ notavimus.

Incisæ servant a te mea nomina fagi;
Et legor Œnone, falce notata tua:
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt.
Crescite, et in titulos surgite recta meos.
Populus est, memini, fluviali consita ripa,
Est in qua nostri litera scripta memor.
Populus, vive precor, quæ consita margine ripæ,
Hoc in rugoso cortice carmen habes:
Quum Paris Œnone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.
Xanthe, retro propera; versæque recurrite lymphæ:
Sustinet Œnonen deseruisse Paris.
Illa dies fatum miseræ mihi dixit: ab illa
Pessima mutati cœpit amoris hiems;

24. *Crescite* etc. Pathetice sermonem ad ipsas arbores vertit. Sic Gallus, apud Virgil. Ecl. x, 54: *crescent illæ; crescetis, amores.* — *In titulos surgite meos.* Id est, dies quæque *titulos* corroboret, quibus vel infidum Paridem Œnone possit conjugem sibi repetere.

27. *Quæ consita margine ripæ* etc. Mallem *quæ margine consita rivi;* et multi codices, sequens distichon præponunt huic. Burm.

28. *Rugoso.* Rugis aspero; vetustatem arboris indicat. Codices multi, *nomen habet*, pro *carmen*: perperam; nam *carmen* certe, quod subsequitur distichon.

29. *Quum Paris* etc. Ipsa sunt quæ Paris in cortice populi carmina inscripserat, perpetuum amoris perpetui indicium.

30. *Ad fontem Xanthi.* Xanthus haud dubie ex monte decurrebat, unde ἀδύνατον, ut retro posset flecti. Claud. I, in Eutr. 353:

Prona petunt retro fluvii juga.

Ita enim cum melioribus MSS. legendum. Heins.

31. *Xanthe, retro propera* etc. Iterum se ad loca ipsa convertit, quæ totidem testes pejeratæ nunc fidei Paris advocaverat: sed quam vivide, quam vehementer!

Xanthe, retro propera; versæque recurrite lymphæ!

Ubi inepte, et nullo poeseos sensu, qui *Nymphæ*, pro *lymphæ* scripserunt.

33. *Illa dies fatum miseræ mihi duxit. Dixit*, Puteaneus, Argentinensis, et quatuor alii; bene, apto ad hanc rem verbo. Hor. l. III, Od. 3:

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege *dico*.

Virgil. Ecl. I, 16:

Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cælo tactas memini prædicere quercus.
Sæpe sinistra cava *dicebat* ab ilice cornix. H.

Ita enim codices complures; non *prædixit.* Vid. Heyn. loco citato. Ecl. I.

34. *Cæpit amoris hiems.* Egregie

Qua Venus et Juno, sumtisque decentior armis,
  Venit in arbitrium nuda Minerva tuum.
Attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit,
  Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor.
Consului, neque enim modice terrebar, anusque,
  Longævosque senes : constitit esse nefas.
Cæsa abies, sectæque trabes, et, classe parata,
  Cærula ceratas accipit unda rates.
Flesti discedens : hoc saltem parce negare.
  Præterito magis est iste pudendus amor.
Et flesti, et nostros vidisti flentis ocellos :

translatum a navigantibus : suas enim tempestates, suam et tranquillitatem novit amor. Frigide nimium, si referas ad illam anni tempestatem quæ autumnum excipit; quod tamen nonnulli.

35-36. *Qua Venus, et Juno, sumtisque decentior armis* etc. Attingit etiam Paridis judicium, cujus ante meminerunt Lycophron, Euripides, Virgilius; deinde Coluthus et Lucianus. — *Venit in arbitrium.* In judicium de pomo, quod Veneri Paris concesserat, quæ mulierum pulcherrimam ipsi promiserat.

37. *Attoniti micuere sinus.* Subitam animi perturbationem indicat, quæ proditur exterius frequenter iterata nervorum trepidatione, et tremulo totius habitus motu.

38. *Tremor. Timor,* Lovaniensis et Junianus; male.

40. *Constitit esse nefas.* Ex eorum scil. responsis, quos consului, *constitit,* nullus superfuit dubitandi locus, quin *nefas*, nescio quid mali inde mihi immineret.

41. *Parata.* Gronovii et tres alii *peracta*, quod verum puto, quia vulgo minus frequens. Sueton. Calig. 21 : *Quorum operum a successore ejus Claudio alterum peractum.* Oth. 6: *Peragere domum auream.* Has voces sæpe confuderunt librarii. Vid. VI, Fast. 587 et 629. BURM.

44. *Præterito magis est iste pudendus amor.* Amor *iste*, qui te ad rapiendam Helenam impulit; magis est *pudendus*, tibi turpior; *præterito*, quam ille qui me tibi conjunxerat. Sunt qui legant *pigendus*; nec ita male, sed alio prorsus sensu. Malim, quem, Burmanno duce et aliis, præponendum censui. Sic Horatius I, Od. 27, 15 : *Erubescendos ignes.*

45. *Nostros vidisti flentis* etc. Naugerius *madidos* malit, quod est in nonnullis scriptis; sed frustra. Am. lib. I, Eleg. VIII, 108 :

Ut mea defunctæ molliter ossa cubent.

Ubi tamen MS. *ut mihi;* et lib. III, Eleg. II, 39 :

An magis hic animi mens est, non æris æstus?

Trist. IV, El. III, 19 :

Vultibus illa tuis, tanquam præsentis inhæret.

Ut legunt veteres libri, et lib. V, VIII, 5 :

Nec mala te reddunt mitem placidumque jacenti
  Nostra.

Miscuimus lacrimas mœstus uterque suas.
Non sic appositis vincitur vitibus ulmus,
Ut tua sunt collo brachia nexa meo.
Ah! quoties, quum te vento quererere teneri,
Riserunt comites! ille secundus erat.
Oscula dimissæ quoties repetita dedisti!
Quam vix sustinuit dicere lingua, Vale!

Ut ibi legit Slichtenhorstius. Epistola Canaces, 77:

Sic mea vibrari pallentis membra videres.

Ita nempe reponendum censeo. Epistola Acontii, 48:

Inque meo cupidi rapta ferere sinu.

Quomodo et illum versum ex vestigiis optimi codicis emendandum opinor. Trist. II, 89:

At, memini, vitamque meam moresque probabas,
Illo, quem dederas, prætereuntis equo.

Quod male mutant libri veteres. Seneca, Hippolyto, 119:

... Quis meas miseræ Deus,
Aut quis juvare Dædalus flammas queat?

Ausonius, Epist. XXIV, 20:

... Nec culpa duorum
Ista, sed unius tantum tua.

Virgilius, Ciri; 273:

Quod te per Divûm crebros obtestor amores,
Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnæ.

Qui locus nullo modo sollicitandus. Horatius, lib. I, Sat. IV, 22:

... Quum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis. HEINS.

— Nimius multum Heinsius, in congerendis tot exemplis, quæ nihil, aut fere nihil ad rem faciunt; nec ullo modo difficultatem infringunt, quæ tota hic in locutione versatur insolita, *nostros .... flentis;* pluralis scil. cum singulari numero, in una eademque persona commissione. Quæ tamen vera lectio est, quum in Edd. constanter occurrat quæ jus habent et auctoritatem MSS. Miror hic tacuisse interpretes, et Lennep. præsertim, qui certe non emunctæ minus, quam cæteri, naris. Ego pro viribus conabor explicare. Ambo flevimus; *et flesti*, et *vidisti* flentem me; ergo utriusque flentis *ocellos*, id est, *nostros*, vidisti. Quod quidem e sequentibus patet manifestum:

Miscuimus lacrimas mœstus *uterque* suas.

48. *Brachia nexa meo. Nexa* veteres libri omnes, Basileensi excepto; quod probum est. Statius, Sylv. V, Carm. IV, 15:

At nunc, heu, aliquis longa sub nocte, puellæ
Brachia *nexa* tenens, ultro te, Somne, repellit.

Theb. IV, 26:

... Certant *innectere* collo
Brachia.

Silius Italicus, III, 412, ex optimis membranis:

... Fluit omnis ab antris
Nereidum chorus, et sueto certamine nandi
Candida perspicuo *connectunt* brachia ponto.

Licet alii legant, *convertunt*. HEINS.

50. *Ille* (ventus) *secundus erat*. Amore suo in Œnonen distractus Paris, varias immorandi causas nectebat, quas inter, *ventos adversos*, ridebant comites. Ventus quippe et navigaturis *secundus*, et ipsi Œnonæ, quæ Paridem in dies tentabat distinere. Argute nimis; sed pro ingenio poetæ, qui istius modi nugis plus æquo delectatur: in hoc certe minime laudandus.

Aura levis rigido pendentia lintea malo
Suscitat, et remis eruta canet aqua.
Prosequor infelix oculis abeuntia vela,
Qua licet; et lacrimis humet arena meis.
Utque celer venias, virides Nereidas oro;
Scilicet ut venias in mea damna celer!
Votis ergo meis alii redituræ redisti!
Hei mihi, pro dira pellice blanda fui!
Adspicit immensum moles nativa profundum;
Mons fuit: æquoreis illa resistit aquis.
Hinc ego vela tuæ cognovi prima carinæ,
Et mihi per fluctus impetus ire fuit.

53. *Rigido.* Junianus, *Phrygio,* et ita conjeceram. Sic III. Fast. 529, pro *rigidis columnis*, rescribendum *Phrygiis* monui. HEINS. *Gelido,* Bersmanni editio.

54. *Canet aqua.* Albescit spumosa.

56. *Et lacrimis.* Quidam codices *in lacrimis;* forte recte, nam amat Noster similes locutiones. Ep. I, 14:

Nomine *in* Hectoreo pallida semper eram.

Et mox infra, 138:

... *In* immensis qua tumet Ida jugis. BURM.

58. *Venias in mea damna.* Ut qui Helenam secum reduceret; quo *damnosius* nihil quum posset Œnone pertimescere, nihilominus reditum abeuntis, et illum *celerem,* optabat ex animo.

59. *Ergo.* Corripit hic ultimam Ovidius, quod Heins. ad I. Trist. I, 87, umquam fieri ab Ovidio negat.

60. *Hei mihi pro dira pellice blanda fui!* Puteaneus et alii nonnulli ex melioribus, *Et mihi.* Gronovianus, *Et tibi.* Puto Ovidium scripsisse:

Et Dis pro dira pellice blanda fui.

Ut Noster alibi:

Et pro delictis hostia blanda fuit. H.

— *Blanda fui.* Blandus, pro *supplex*, sæpius a poetis usurpatur. Sic *blandum thus,* apud Propert. IV, Eleg. VI, 5. *Pro dira pellice:* Helena scilicet, quæ tot ipsi Paridi et Trojanis, mala secum esset allatura. *Pellex* autem dicitur respectu tantum mulieris, non viri.

61. *Adspicit immensum* etc. Poetice locum describit, unde revertentem e Græcia Paridem *prima* prospexit. — *Resistit aquis.* Undarum impetus immota sustinet.

62. *Illa resistit.* Scribendum, opinor, *icta.* Ita proprie aquis *ici* et *feriri* dicuntur litora, et scopuli, et naves. Vid. XI, Metam. 556, et ad Valer. Flac. IV, 48. Pro *nativa* vero, erat in Vossiano codice *ignata,* quod est *innata;* ut Epist. VII, 37:

... Innataque rupibus altis
Robora. BURM.

63. *Cognovi prima carinæ. Cognovi,* libri omnes scripti: sed *prospexi,* quod Ciof. et Heins. magis arridebat, confirmat Lucan. VIII, 46.

64. *Impetus ire fuit.* Quo citius in amplexus tuos irruerem.

Dum moror, in summa fulsit mihi purpura prora.
  Pertimui : cultus non erat ille tuus.
Fit propior, terrasque cita ratis attigit aura :
  Femineas vidi, corde tremente, genas.
Non satis id fuerat : quid enim furiosa morabar ?
  Hærebat gremio turpis amica tuo.
Tunc vero rupique sinus, et pectora planxi,
  Et secui madidas ungue rigente genas :
Implevique sacram querulis ululatibus Idam.
  Illinc has lacrimas in mea saxa tuli.
Sic Helene doleat, desertaque conjuge ploret;
  Quæque prior nobis intulit, ipsa ferat.
Nunc tibi conveniunt, quæ te per aperta sequantur

66. *Cultus non erat ille tuus.* Purpurea vestis, quam non solebat gestare Paris, et quæ feminam proderet.

69. *Non satis id fuerat.* Feminam scilicet adspexisse ; sed et ipsam hærentem turpiter in gremio Paridis ; quod non dubium proditæ et desertæ amicæ prioris signum. — *Turpis amica.* Refertur ad v. 44 : *pudendus amor.* — *Morabar.* Sensus est, non satis fuerat hoc vidisse ; quid enim esset quod me moraretur ? Furor certe egit, ut propius cognoscerem ; non sufficiebat mihi ad dolorem movendum, feminas præter spem procul in nave vidisse ; quare nihil erat quod me in furorem actam retineret, quin propius inspicerem omnem tuum comitatum, in quo vidi mox gremio tuo turpem amicam hærere. Simili formula, Ep. XII, 117: Nec tamen extimui ; quid enim post illa timerem ? Et Ep. XVI, 221 :

... Quid enim tamen omnia narrem ? B.

71. *Tunc vero.* Micylli et Venetæ editiones, *tunc flevi*, quod et in Mediceo, et uno Heinsii codice exstat.

72. *Secui ungue rigente genas. Comas*, Junii et Scriverii codices : sed merito *genas* Burmannus restituit ; quia, inquit, verius possunt dici lacrimis madere, quam comæ.

73. *Querulis ululatibus Idam. Iden* meliores, quomodo sæpe alibi Noster.

74. *In mea saxa.* In saxa, quæ mei in te amoris conscia fuerant, et notas passim adhuc servabant.

75. *Sic Helene doleat.* Quam experitur infelicitatem, in Helenam imprecatur. — *Ferat.* Vicissim patiatur, quæ patienda mihi intulit. — *Desertaque.* Posset legi non ineleganter, *dejectaque ;* ut Ep. XVII, 230 ; sed et vulgata recte se habet.

77. *Nunc tibi conveniunt, quæ* etc. Invidiæ, et quidem amarissimæ, plena sunt hæc verba. — *Quæ.* Istius modi mulieres, quæ *per aperta æquora*, quemcumque fors tulerit casum, obvium quemlibet sequuntur ; et illos *destituunt*, qui sibi cesserunt *legitimi.* — *Nunc tecum veniunt. Nunc tibi conveniunt*, Puteani et Ju-

Æquora, legitimos destituantque toros.
At quum pauper eras, armentaque pastor agebas,
Nulla, nisi Œnone, pauperis uxor erat.
Non ego miror opes, nec me tua regia tangit,
Nec de tot Priami dicar ut una nurus.
Non tamen ut Priamus Nymphæ socer esse recuset;
Aut Hecubæ fuerim dissimulanda nurus.
Dignaque sum, et cupio fieri matrona potentis:
Sunt mihi, quas possint sceptra decere, manus.
Nec me, faginea quod tecum fronde jacebam,

reti, et Mentelianus codex, et Francof. aliique nonnulli ex præcipuis: recte; qui loquendi modus Nostro familiaris. Amor. III, Eleg. VIII, 15:

Læva manus, cui nunc serum male *convenit* aurum.

Epistola Sapphus, 183:

Grata lyram posuit tibi, Phœbe, poetria Sappho.
Convenit illa mihi, *convenit* illa tibi.

Ceterum *sequantur* etiam et *destituant*, libri potiores agnoscunt, non *sequuntur* et *destituunt*, cum vulgatis. HEINS.

78. *Toros.* Primus Ambrosianus, alter Mentelii et Moreti, *viros*; sed alii omnes *toros*; quod verum puto. BURM.

80. *Nulla, nisi Œnone* etc. Quasi dicat: Priami filium aliæ sequuntur, ambitione magis, quam amore ductæ: at ego Paridem, quum pastor et pauper, sequi non sum dedignata.

81. *Nec me tua regia tangit.* Iisdem jam verbis Phyllis ad Demophoontem, 89: *Nec te mea regia tanget.* Vitiosum forsan; sed vix effugiendum in tam frequenti rerum earumdem recursione.

83. *Non tamen ut Priamus.* Perperam quidam rescribunt, *aut Priamus.* Propert. II, Eleg. XV, 21:

Non tamen ut vastos ausim tentare leones.

Virgilius, Æn. XII, 813:

Juturnam, fateor, misero succurrere fratri
Suasi, et pro vita majora audere probavi;
Non ut tela *tamen*, non ut contenderet arcu.

Sic et Ovid. III, Art. Amat. 209.

85. *Dignaque sum et cupio.* Tὸ *et* abest a libris plerisque. Codex Patavinus præterea, *potenti.* Tanaquillus Faber, notis ad Lucretii lib. III, p. 480, corrigebat:

Dignaque sum regis fieri matrona potentis.

Quæ conjectura longissime abit a vestigio editæ ac scriptæ lectionis. Sequenti versu, *quas possint*, non *possunt*, meliores. Sic Briseis, 70:

Est mihi, quæ lanas molliat, apta manus. H.

86. *Sunt mihi, quas* etc. Puellari nimium studio hæc de *manibus*, quas sceptra decerent, prædicat Œnone; et lascivientis est poetæ potius, quam feminæ vere amantis. Nec inculpatus abiit noster ipse RACINE, Gallicarum scilicet arbiter elegantiarum, qui quemdam induxerit, de Berenice Tito dicentem

On *sait qu'elle est charmante, et* de si belles mains
Semblent vous demander *l'empire des humains.*

87. *Jacebam. Cubabam*, Lovanien-

Despice : purpureo sum magis apta toro.
Denique, tutus amor meus est tibi : nulla parantur
Bella, nec ultrices advehit undā rates.
Tyndaris infestis fugitiva reposcitur armis :
Hac venit in thalamos dote superba tuos.
Quæ si sit Danais reddenda, vel Hectora fratrem,
Vel cum Deiphobo Polydamanta roga.
Quid gravis Antenor, Priamus quid censeat ipse,
Consule; quis ætas longa magistra fuit.
Turpe rudimentum, patriæ præponere raptam.
Causa pudenda tua est; justa vir arma movet.
Nec tibi, si sapias, fidam promitte Lacænam,

sis. Heins. *Sæpe jacebam*, alios legere notabat Douza.

89. *Tutus amor meus est tibi.* Sic, et recte quidem, distinxit Puteanus et alii quidam. Male Heinsius scribendum putabat :

Denique tutus amor meus est. Mihi nulla parantur etc.

Nec solitam hic tanti viri, et optime de Nasone nostro tot in locis meriti, solertiam agnosco.

91. *Infestis reposcitur armis.* Nereus ad Parid., apud Hor. I, Od. 15 :

... Mala ducis avi domum,
Quam *multo repetet* Græcia *milite.*

— *Infestis armis ;* plusquam *inimicis ;* quæ mala secum *inferent.*

92. *Hac dote.* Bellum tibi pro dote affert. Sic, at multo vehementius furiis accensa Juno, de Lavinia Æneæ desponsata : Æn. VII, 318 :

Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo;
Et Bellona manet te pronuba !

93. *Vel Hectora fratrem, vel* etc. Confer celeberrimum Homeri locum, Iliad. H, 348; ubi

Antenor censet belli præcidere causam; Hor.

reddendo scilicet Helenam, et quas secum opes advexerat. Cui quidem consilio fortiter repugnat Paris, et,

... Ut salvus regnet, vivatque beatus,
Cogi posse negat. Hor. I. Ep. II, 10.

95. *Quid gravis Antenor, Priamus quid suadeat ipse. Censeat*, Lovaniensis. Sic in Epistola Helenæ, 211, vetus codex :

Quid Priamus de me, Priami quid *censeat* uxor?

Recepimus hanc emendationem, quam poscit verbum *consule. Consulebant* enim, qui sententias rogabant ; *censebant*, qui dicebant. H.

98. *Causa pudenda tua est.* Non ita tamen *pudenda*, quum ex ipso Homer. loco, Il. H, 362, constet, Helenam quidem Paridem retinuisse ; sed opes illius, domesticis cumulatas opibus, se Argos ultro remissurum promisisse :

... Γυναῖκα μὲν οὐκ ἀποδώσω.
Κτήματα δ' ὅσσ' ἀγόμην ἐξ Ἄργεος ἡμέτερον δῶ,
Πάντ' ἐθέλω δόμεναι, καὶ ἔτ' ὄτκοθεν ἄλλ' ἐπιθεῖναι.

99. *Nec tibi, si sapias* etc. *Si cupias*, quidam ; sed *si sapias*, libri præstantiores ; quæ lectio plus et melius ad sensum facit. — *Fidam promitte Lacænam, Quæ* etc. A præ-

Quæ sit in amplexus tam cito versa tuos.
Ut minor Atrides temerati fœdera lecti
Clamat, et externo læsus amore dolet;
Tu quoque clamabis. Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est : deperit illa semel.
Ardet amore tui : sic et Menelaon amavit;
Nunc jacet in viduo credulus ille toro.
Felix Andromache, certo bene nupta marito!
Uxor ad exemplum fratris habenda fui.
Tu levior foliis, tunc quum sine pondere succi,
Mobilibus ventis arida facta, cadunt;
Et minus est in te, quam summa pondus arista,
Quæ levis assiduis solibus usta riget.
Hoc tua, nam recolo, quondam germana canebat,

teritis in suspicionem inducit futuri, et invidiæ stimulis tentat exagitare Paridem.

101. *Ut minor Atrides.* Menelaus, qui natu minor Agamemnone fratre : quot vero annis, incertum; nec tanti refert inquirere. — *Temerati fœdera lecti Clamat* etc. Jus conjugii vindicaturus, ab hospite adultero tam turpiter violatum! — *Clamat :* prædicat, per totam Græciam celebrat, quo gravius irarum pondus in raptorem Trojanum suscitet.

103. *Tu quoque clamabis.* Perperam sequentia distinguuntur in vulgatis libris, ac si clamantis Menelai verba sint; quod Poeta minime voluit : forte tamen *damnabis,* et versu superiore *damnat* legendum. Heins. Nihil muto : *clamare* enim est hic Deos inclamare ob *temerati fœdera lecti.* Vid. ipsum Heinsium ad Petron. lviii. Burm.

105. *Ardet amore tui* etc. Exemplo perfidiam Helenæ portendit; ut quæ Menelaum, quamvis amatum, deceperit, te quoque decipiet, licet *amore tui* nunc *ardere* videatur.

106. *Nunc jacet in viduo credulus ille toro.* Nunc in toro quem deseruit Helena, jacet viduus, conjuge orbatus, mentitæ cujus pudicitiæ credulam nimium fidem præbuerat.

107. *Certo marito. Certo.* Uni scilicet, fido et constanti.

109. *Tu levior foliis* etc. Ad excusandum potius, quam ad augendum crimen amantis; et mente leviorem, quam ex animo perfidum, Paridem sibi conatur effingere.

111. *Et minus est in te, quam summa pondus arista. Quam in summa,* antiquæ editiones, et Gryphii et Bersmanni. Sic apud Phædr. iv, 4 : *Plus esse in uno sæpe, quam in turba boni;* ubi Schefferus ejicere *in* volebat. *Levius est in te,* etiam Lovaniensis codex. Burm.

113. *Hoc tua, nam recolo. Refero,* libri nonnulli, eodem sensu : sic Remedio Amoris, 299 :

Sæpe *refer* tecum scelerataæ facta puellæ.

Sic mihi diffusis vaticinata comis?
Quid facis, Œnone? quid arenæ semina mandas?
Non profecturis litora bubus aras.
Graia juvenca venit, quæ te, patriamque, domumque
Perdet: io prohibe; Graia juvenca venit.
Dum licet, obscœnam ponto, Dii, mergite puppim.
Heu! quantum Phrygii sanguinis illa vehit!
Dixerat. In cursu famulæ rapuere furentem:

— *Canebat*, propria vox, de vaticinantibus; et inde ad Poetas translata, qui *vates* ideo dicuntur, quia non nihil habent commune cum ipsis vatibus.

114. *Diffusis comis.* Per humeros sparsis, more vaticinantium; quibus nunquam *comptæ mansere comæ.* Virg. Æneid. VI, 48.

115. *Quid facis, Œnone* etc. Verba sunt Cassandræ excidium Trojæ vaticinantis. — *Quid arenæ semina mandas?* Metaphorice ductum ab agricolis, qui *semina* amittunt, si forte in arena sparserint. Proprio sensu; amas frustra Paridem.

116. *Non profecturis litora bobus aras. Bubus*, recte quidam libri, atque ita ubique ex auctoritate optimorum codicum castigandum. Auson. Ep. V. *Abactis bubus.* Vid. Metam. XIV, initio; et I, Fast. 244. ex MSS. Proverbii vero speciem obtinuit hæc locutio. Noster in Tristibus, lib. V, 4:

Non sinet ille tuos litus arare boves.

Juvenal. Satyr. VII, 48:

In pulvere sulcos
Ducimus, et sterili litus versamus aratro. H.

117. *Graia juvenca venit.* Per contumeliam dicit. Nec aliam ob causam Io et Prætides, in vaccas immutatæ, nisi quia mulieres impudicæ. Πόρτις Helena, apud Lycophr.

118. *Perdet. Perdat*, septem codices bonæ notæ, et Bersmanni Edit. — *Io!* Dictio hoc loco commiserationis et doloris plena; alibi lætitiæ.

119. *Obscœnam ponto demergite puppim. Obscœnam*, infaustam, mali ominis. *Obscœnique canes.* Virgil. G. I, 470. Duplicem verbi etymologiam ponit Varro, de Ling. Lat. VI; vel a *scena*, ut *obscenum* dicatur quidquid *in scena* palam proferri non potest: vel a *scæva*, quod est *sinistra*, ut proprie *obscœnum* dicas, quod mali auspicii est, bonæque *scævæ* adversans. Quo quidem sensu usurpatum passim apud auctores reperias.

120. *Heu! quantum Phrygii sanguinis illa vehit!* In partes iterum vocandus Horatius, cladem et prælia quum Nereus vaticinatur, quæ Phrygiis Danai, ob raptam Helenam erant illaturi:

Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanæ
Genti! . . . . . Carm. lib. I, Od. 15.

Sic et Sibylla Virgiliana, Æn. VI, 88:

... Bella, horrida bella,
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.

121. *In cursu famulæ rapuere furentem.* Plura dicturam medio in sermone famulæ corripuerunt; vel quia, *lassato jacuit defecta furore.* (Lucan.) *Furentem*, divinantem; nam solemne *furere*, de divinatione. —

At mihi flaventes diriguere comæ.
Ah! nimium vates miseræ mihi vera fuisti!
Possidet en saltus illa juvenca meos.
Sit facie quamvis insignis, adultera certe est.
Deseruit socios, hospite capta, Deos.
Illam de patria Theseus, nisi nomine fallor,
Nescio quis Theseus, abstulit ante sua.
A juvene et cupido credatur reddita virgo?
Unde hoc compererim tam bene, quæris? amo.
Vim licet appelles, et culpam nomine veles;

Rapuere. Priamus enim imperaverat, ut quoties Cassandra solveret os in oracula, toties eam famulæ coercerent marmorei thalami claustris, ut insanam. Meminit Lycophron et ejus interpres.

123. *Nimium vera.* Val. Flacc. v, 5:

At memor Æsonides *nimium* jam *vera* locuti
Phineos.

Ita *verus Calchas*, Stat. II, Achil. 7. Ipsa Cassandra apud Æschyl. Agamemn. 1249:

Καὶ σὺ μὴν τάχει παρὼν,
Ἀγάν γ' ἀληθόμαντιν, οἰκτείρας, ἐμοῖς.

124. *Possidet en saltus* etc. Usurpatam a Cassandra Metaph. sequitur. Per *saltus meos*, intelligenda eorum possessio, quæ prius Œnones, nunc sunt Helenæ.

125. *Sit facie quamvis insignis* etc. Invidiosa concessio, unde multo, quæ sequuntur, acerbiora in Helenam consurgent. — *Præsignis*, codex Ambrosianus: rectè. Noster Met. XII, 216:

Cinctaque adest virgo matrum, nurumque caterva
Præsignis facie. HEINS.

126. *Deseruit patrios, hospice capta, Deos.* Codices exarati omnes, *Socios Deos*: vere; nam *patria* mox sequitur. Deos enim conjugales intelligit. HEINS.

127. *Theseus* (*nisi nomine fallor.*) Puellaris quidem, sed ingenuose mendax simplicitas, quæ fingit ignorare se, quæ scire tanti Œnonen referebat, quum doctorem omnium peritissimum habeat amorem. Fatebitur et ipsa, non ita multo post:

Unde hoc compererim tam bene, quæris? *amo.*

129. *A juvene et cupido* etc. Juvenis erat Theseus, et cupidus: quis credat igitur *virginem*, id est, intactam, Helenam remisisse? Sic reddit stupri suspectam. — *Credatur reddita virgo?* Illibatam tamen domum fratres reduxisse narrant Mythograph. et ab Œnophoro, Hippothoontis filio violatam.

131. *Vim licet appelles.* Contendas licet, ad excusandam Helenam, *vim* illi a Theseo illatam fuisse. — *Et culpam nomine veles.* Virg. Æn. IV, 172:

Conjugium vocat; hoc *prætexit nomine culpam.*

Et Noster, de Medea, Met. VII, 69:

Conjugiumne putas, speciosaque *nomina culpæ*
Imponis, Medea, tuæ!

Multi codices, *celes*. Sic et Græci quoque,

, Φάντασμα προτείχων.

Quæ toties rapta est, præbuit ipsa rapi.
At manet Œnone fallenti casta marito :
Et poteras falli legibus ipse tuis.
Me Satyri celeres, silvis ego tecta latebam,
Quæsierunt rapido, turba proterva, pede :
Cornigerumque caput pinu præcinctus acuta
Faunus, in immensis qua tumet Ida jugis.
Me fide conspicuus Trojæ munitor amavit :
Ille meæ spolium virginitatis habet :
Id quoque luctando : rupi tamen ungue capillos,

132. *Quæ toties rapta est.* A Theseo primum, deinde ab ipso Paride. — *Præbuit ipsa rapi.* Vix quidquam excogitari possit injuriosius. Qua autem facilitate *rapiendam* se *præbuerit*, videnl. apud Coluth. *de Raptu Helenæ ;* 300, sqq.

133. *At manet Œnone* etc. Adducta satis superque in suspectionem et contemptum pellice, ad se redit Œnone; et contrariis contraria rependens, fidam castamque Œnonen *fallenti marito*, opponit Helenæ, quæ credulum conjugem non dubitavit decipere. — *Casta.* Mallem *fida.* Heins.

134. *Poteras falli legibus ipse tuis.* Exemplo scilicet, quod ipse mihi tu præbueras; nec defuit occasio; nam *me satyri celeres* etc. Sic eleganter apud Val. Flac. lib. IV, de Amyco cæstibus a Polluce interfecto, quod genus pugnæ ipse præscripserat Grajis, Lycus ait :

Bellove magis lætarer; et armis
Procubuisse meis, quam lege quod occidit ultus
Ipse suus.

Ubi notandum *ultus* sumi passive ; nec audiendus Carrio, qui lectionem *usus*, quam vitiosi codices habent, defendit; in plerisque etiam *accidit.* H.

136. *Quæsierant. Quæsierunt,* liber chartaceus Lovaniensis, et placet : sic *steterunt, dederunt, tulerunt,* et similia, penultima syllaba correpta. H.

138. *Qua tumet Ida.* Ubi magis densa est arboribus, vel magis alta. Ceterum plurimi scripti habent, *et immensis qua tumet Ida jugis ;* quare forte legendum :

Me Satyri celeres, silvis ego tecta latebam;
Quæsierunt, rapido turba proterva pede ;
Cornigerumque caput pinu præcinctus acuta
Faunus, et immensis qua tumet Ida jugis.

Quæsierunt me Satyri et Faunus in silvis, et montis Idæ jugis. Burm.

139. *Me fide conspicuus* etc. Apollinem designat, qui *fide*, id est, cythara, arte musica *conspicuus*, præ cæteris insignis, et Trojæ, cum Neptuno, *munitor*, ipsam vehementer amavit ; et *spolium* quidem *virginitatis*, victoriæ signum, retulit ; sed non sine pugna ; sed ruptis capillis, et ora turpiter laceratus. Sicque vel ipsam cladem commendat a persona victoris ; et victæ, ad obsistendum, contumacia.

141. *Rupi tamen ungue capillos.* Non suos, ut puto, sed Phœbi capillos rupit ; et sic etiam cepit Ruhnken. Epist. Crit. I, p. 72. Lennep.

Oraque sunt digitis aspera facta meis.
Nec pretium stupri gemmas aurumve poposci;
Turpiter ingenuum munera corpus emunt.
Ipse, ratus dignam, medicas mihi tradidit artes;
Admisitque meas ad sua dona manus.
Quæcunque herba potens ad opem, radixque medenti
Utilis in toto nascitur orbe, mea est.
Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis!
Destituor prudens artis ab arte mea.
Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheræas

143. *Nec pretium stupri* etc. Non ea erat Œnone, quam gemmis, aurove captam, vel Phœbus ipse irretiret; sed quam duceret laudis studium, et spes artes ingenuas ediscendi: *medicas mihi tradidit artes.*

145. *Medicas.* Vide Lycophron. Alexandr. v, 61, et ibi Scholiasten et Commentarios.

147. *Radixque medendi Utilis. Medenti* malim: *medens* pro *medicus.* Ep. Cydippes, 14:

Adjuvor et nulla fessa *medentis* ope.

149. *Me miseram! quod amor non est medicabilis herbis.* Nec quavis alia arte sanabilis. Rura nequicquam Gallus petit, et versatur inter pastores, unum fieri optans ex illis: quam vana sint hæc remedia brevi expertus, exclamat, Ecl. x, 60:

... Tamquam hæc sint nostri medicina furoris!

Nequicquam infelix Dido,

Instauratque diem donis, pecudumque recusis
Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.
. . . . . Quid vota furentem,
Quid delubra juvant? Æn. IV, 65.

Et Phædra nostra, postquam ea recensuit, quæ tentaverat, ut, si posset, infandum ex animo amorem exterminaret, quam vere exclamat quoque:

D'un incurable amour remèdes impuissans!

150. *Destituor prudens artis ab arte mea. Deficior,* scripti potiores; optime. Sic Trist. II, 407: *Tempore deficior;* ubi male *deficiam.* Cæsar libro III, Belli Civilis, 64: *Quum gravi vulnere adfectus et viribus deficeretur. — Defici stercore*, Columella, II, cap. 15, 16. *Si deficiatur omnibus rebus agricola*, libro VII, 9. Statius Saturnalibus:

Jam jam *deficior*; tuoque Baccho
In serum trahor ebrius soporem.

Quomodo probe vetusta editio Parmensis. Apud Virgil. Æneid. XI, 43:

... Cur indecores in limine primo
Deficiuntur?

Ita vetustus codex: cæteri omnes, *deficimus.* HEINS.

151. *Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheræas Fertur.* Sensus est: Neque tamen mirum videri debet, me non posse mederi morbo, id est, amori meo: quum nec ipse Apollo, inventor ac deus medicinæ, idem hoc potuerit: ut qui amore impulsus, Admeti armenta paverit. Sumptum autem exemplum hoc est ex hymno Callimachi in Apollin. 47, ubi ille: Φοῖβον καὶ νόμιον καλήσκομεν, ἐξ ἔτι καινεύου
Ἔξοτ' ἐπ' Ἀμφρυσῷ ζευγήτιδας ἵππους,
Ἠθέου ὑπ' ἐρώτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.

Fertur, et e nostro saucius igne fuit.
Quod neque graminibus tellus fecunda creandis,
Nec Deus, auxilium tu mihi ferre potes;
Et potes, et merui : dignæ miserere puellæ;
Non ego cum Danais arma cruenta fero.
Sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis :
Et tua, quod superest temporis, esse precor.

Nisi quod Callimachus ἵππους vocat, quas hic Ovidius *vaccas* dicit. Sed in hoc non multum momenti. Mic. — Bene *Repertor opis :* ipse enim apud Nostrum, et fugientem alloquens Penei filiam :

Inventum medicina meum est ; *opiferque* per orbem
Dicor, etc. Metam. I, 521.

152. *Et e nostro saucius igne fuit.* Pauci codices, et, post Gryphium, recentiores quædam editiones : *dicitur, et nostro ;* sed antiquiores et Aldinæ cum Lovaniensi codice : *fertur et a nostro ;* quod prætulimus : *a* hic ponitur pro *post.* Sensus est : Phœbus, postquam me amavit, etiam Alcestida (de *Alcestide* quam Phœbus amarit, legere me non memini : veriora dabit Broukhus. ad Tibull. II, 3, 2.) deinde amavit. Quid miri ergo, si *repertor* medicinæ, et qui mihi medicas artes tradidit, ipse adhuc, postquam me amaverat, non potuerit ab amore se continere, si nec ego, accepta medendi arte, nondum resanuerim. Passim autem præpositio hæc ita a Nostro ponitur. — *E nostro igne,* mihi simpliciter est ab eodem *igne,* quo etiam nos flagramus. Lennep. Recte.

153, 154. *Quod neque graminibus* etc. *Nec Deus, auxilium tu mihi ferre potes.* Egregie, et amantum more, qui nunc minis, nunc precibus agunt, jam furiosi, mox dejecti, nusquam sui similes. Sic Dido Virgiliana, postquam dirissima quæque in Æneam imprecata est :

Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, et supplex animos submittere amori.

156. *Non ego cum Danais arma cruenta fero.* Non ego causa tibi belli et quidem luctuosissimi, quod raptam Helenam insequetur. Dido quoque : Æneid. IV, 425 :

Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem
Aulide juravi.

158. *Et tua, quod superest temporis, esse precor.* Et fuit etenim. Vulneratus quippe graviter a Philoctete Paris quum ad Œnonen confugisset, artis opem imploraturus, quam illa denegavit, inter redeundum in Ida monte expiravit. Ubi quum, e more, a pastoribus cremaretur, quæ longe sequuta fuerat Œnone, in eumdem se rogum immisit præcipitem. Sic Quint. Calab. X, 247 et sqq. Paulo aliter Dictys Cret.; sed in eo consentit, quod Œnonen Paridi superstitem non vixisse æque narrat.

PARIDIS AD ŒNONEN

RESPONSIO,

AUCTORE AULO SABINO.

PARIDIS AD ŒNONEN

RESPONSIO.

Quæ satis apta tibi tam juste, Nympha, querenti
Rescribam, fateor quærere verba manum :
Quærit, nec subeunt; sentit sua crimina tantum :
Solvere, quæ sentit, non sinit alter amor.
Si levat hic iras, ipso me judice, damnor.
Quid refert? causa tu meliore cares;
Damnatumque tibi me sub sua jura Cupido
Retrahit : alterius sic quoque præda sumus.
Prima meis tu pacta toris : fassusque juventam
Te primum accepta est conjuge noster amor.

1–2. *Tam juste, Nympha.* Rectius foret, *Nymphæ tam justa querenti.* Vid. I. Am. III, 1. — *Rescribam.* Malim, *rescribat.* Heins.

5. *Si levat hic iras. Si levat hoc*, doctissimus Gronovius, nec dubium quin recte. Idem. — Dubium nullum, quin agatur hic de *altero amore*, Helen. scil., qui *non sinit* etc. et Œnones *iras* non *levat* immerito.

6. *Quid refert? causa tu meliore cares.* Sensus requirit, ut *cales* pro *cares* substituatur; id est, irasceris, indignaris : nisi prætuleris *cades*, vel *cadis*. — *Cades* jam Bersmannus conjecerat. Non satis congruere videtur cum sequentibus, *damnatumque tibi*; is enim, cui *damnatur alter*, certe *causa cadere* dici non potest. L.

7. *Damnatumque tibi me sub sua jura Cupido. Non sub sua jura* primæ editiones. Legendum videlicet, *non sub tua jura.* Heins. Nihil move : nam est aptissima inter hæc oppositio, *damnatum* Œnonæ, *retrahi* a Cupidine sub sua jura. Mallem tamen :

Damnatumque tibi me sub nova jura Cupido
Retrahit.

Novus et *suus* ubique fere confuderunt librarii. Vid. II. Am. V, 37. III. Fast. 34, et alibi. *Damnatum tibi*, eleganter : ita Cicero II. Verr. 8 : *Hunc hominem Veneri absolvit, sibi condemnat.* Senec. IV. de Benef. 4 : *Sic debitori suo creditor sæpe damnatur, ubi plus ex alia causa abstulit, quam ex credito petit.* Burm.

Nondum tantus eram : quo me genitore superbum
Arguis, hoc dominus tunc retinendus eram :
Non ego Deiphobum sperabam, aut Hectora fratrem,
Quum pastos agerem, te comitante, greges ;
Reginæque Hecuben, non matris, nomine noram :
Et fueras illi digna manere nurus.
Sed non est rationis amor : te consule, Nympha :
Læsa es; sed læsam scribis amare tamen.
Quumque petant Satyri connubia, quum tua Panes ;
Rejectæ memor es tu tamen usque facis.
Adde, quod hic fatis amor est adjutus, et illum
Præscia venturi viderat ante soror.
Nondum Tyndaridos nomen mihi sederat aure,
Nec cecinit Grajos illa vocare toros.
Omnia vera vides : superant mea vulnera tantum;
Utque tuam supplex poscere cogar opem.

12. *Hoc dominus tunc retinendus eram. Hoc domino,* Gronovius. Putavi quondam, *huic domino tunc renuendus eram :* habeo et alias conjecturas in promptu, sed in quibus mihi non satisfaciam : τὸ *eram* in fine versus repeti non placet ; pro quo *erum* fortassis, aut *era* scriptum fuerit, omissa, ut solet, aspiratione. Sensus erit non incongruus, si legas :

... Quo me genitore superbum
Arguis, hoc domino, te retinendus hera.

vel quid simile. Heins.

15. *Reginæque Hecuben, non matris, nomine noram.* Sic ex ingeniosissima Heinsii conjectura legendum : olim enim,

Reginamque Hecuben, nisi matris nomine etc.

Quod ita absurdum, ita omni sensu inops videtur, ut incastigatum a Burmanno juste miretur Lennep.

16. *Digna manere.* Mallem *venire.*

18. *Læsa es, et læsam.* Ut versui consulatur, si hunc ita admiseris, scribe :

Læderis, et læsam scribis amare tamen.

Ita Vossius in Arte Grammatica conjectabat. Possis etiam :

Læsa licet, læsam scribis amare tamen.

21. *Hic fatis. His fatis* editiones Bersm. Plant.

24. *Nec cecinit* etc. Putidam, nec immerito, vulgatam censet et probat Cl. Lennep. « Illud enim, inquit, ex antecedentibus dubium non est, quin facta fuerit in hoc versu mentio Paridis cum Helena conjugii, jam prædicti a Cassandra, ante cognitum Paridi ipsum nomen Helenæ. Itaque probabilis certe, et amplectenda Heinsii emendatio :

Et cecinit Graios illa vocare toros.

Supplendum autem *me*, ex antecedenti *mihi;* nisi malis, *me cecinit.*

25. *Vera vides. Fides,* Bersm. edit.

26. *Utque tuam supplex poscere cogor opem. Cogar* lege. Reliqua,

Te penes arbitrium nostræ vitæque necisque :
Victuri jam nunc pectora sume tibi.
Flevisti, memini, tamen hac in voce canentis :
Et, mala, dixisti, sint precor ista procul !
Nec si fata ferant, tulerint sic cetera quamvis,
Ut possim Œnone perdere læsa Parin !
Tot superare metus, qui me, nec credere cogit,
Ignoscas, idem te quoque fallit Amor.
Imperat ille Deis : quum vult, in cornua tauri,
Quum vult, in pennas destruit ille Jovem.
Non foret in terris tanto miranda decore
Tyndaris, heu flammis nata puella meis !
Si sua non cycno mutasset Jupiter ora.
Fluxerat in Danaes aureus ante sinus :
Piniferamque Iden falsus lustraverat ales :
Inter Agenoreas constiteratque boves.
Victorem Alciden dominæ quis pensa tenere
Crederet? at lanas nere coegit Amor.
Dicitur et Coa sedisse in veste puellæ :

inquit, quæ soror prædixerat, jam apparuerunt vera : unum superest, de vulneribus meis, ut cogar tuam opem exposcere. Heins. — Forte :

Jamque tuam supplex poscere cogor opem.

28. *Victuri jam nunc pectora sume tibi.* Adsere, vindica tibi illius animum et amorem, qui tuo beneficio sit victurus. — *Victuri jam nunc pectora sume tibi.* Hæc quoque fœde corrupta sunt, nec libet conjecturis minime certis indulgere, ne abutamur otio. Prima editio, *Victuræ jam nunc pectore.* Heins., qui et volebat, *victa viri.* Forte,

Fixa viri jam nunc pectora sume tui.

36. *In pennas destruit. Instruit*, Bersm. Delr. ad Senec. Octav. 766, *distrahit*, vel *detrahit*, emendabat.

41. *Piniferamque Iden. Piniferamque*, quo epitheto de Ida etiam usus Statius, lib. III. Silv. IV, 12 :

Pinifera multum felicior Ida.

Virgilius, Æn. V, 449 :

Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.

Sic et *Pinifer Simois* Statio dictus Theb. XII; est enim Phrygia pineis sylvis instructissima, unde et Idææ Matri hæc arbor sacra. Heins.

45. *Dicitur et Coæ sedisse in veste puellæ.* Lege *Coa in veste.* Omphale enim Lyda, non Coa. Propertius lib. I. Eleg. II, 1 :

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues *Coa veste* movere sinus?

In hac insula Pamphilen Latoi filiam

Illa Cleonæo tecta leone fuit.
Te memini Phœbum, Œnone, mea crimina dico,
Fugisse, et nostros præposuisse toros.
Non ego præstabam Phœbo : sed tela Cupido
His in te voluit legibus ire sua.
Consolare tamen digna tua pellice damna :
Quam tibi prætulimus, nata puella Jove est.
Sed quod nata Jove est, minimum me tangit in illa :
Quod non est facies pulchrior ulla, nocet.
Atque utinam formæ judex incallidus essem
Creditus Idæis, Pegasi Nympha, jugis !
Non mihi Junonis, nec obesset Pallados ira,
Laudata est oculis quod Cytherea meis.
Dividit hæc aliis flammas celeresque paresque :
Ut libitum est, nati temperat ipsa faces.
Non tamen evaluit vitare domestica tela :
Quos aliis arcus, et sibi dura tulit.
Deprensam conjux illam in Mavorte dolebat.
Testibus hic Divis, cum Jove questus erat.
Jam dolet et Mavors, terras ultroque reliquit :
Prætulit Anchisen his habitura suum.
Anchisen propter voluit formosa videri :

primum invenisse subtilioris texturæ artificium scriptores tradunt. Videatur Salmas. ad Solinum, pag. 101.

46. *Illa Cleonæo* etc. Fuit Cleone oppidum quoddam mediocre, distans ab Argo stad. CXX; a Corintho, XC. Hinc *Cleonæus leo*, qui et Nemeæus dicitur.

55. *Judex incallidus.* Præstiterit, *male callidus ;* mox etiam forte, *blandita est oculis*, pro *laudata.*

65. *Terras ultroque. Cælo terrasque relicto, Prætulit An. hinc h. suum.* Bersmann. in margine libri.

66. *Prætulit Anchisen his abitura suum.* Prima editio, *habitura.* Gryphiana, *hinc abitura.* Lego, *huic habitura.* HEINS. Forte :

Jam dolet et Mavors, terras ultorque reliquit ;
Prætulit Anchisen hæc habitura suum.

Doluit Mavors primo ob Adonin, quem ille, figura apri adsumta, obtruncasse fertur, et ita ultus injuriam suam terras reliquit. Illa vero Anchisen suum prætulit, quem deinde, quum suos amores inconsultus prædicasset, *Divum pater* Fulminis afflavit ventis, et contigit igni. VIRG.

Visaque post latam jacuit ulta deam.
Quid mirum est potuisse pari succumbere amori,
Immunis sub quo non fuit ipse Paris?
Quam læsus Menelaus amat, non læsus amavi.
Adjice, non læso quod comes ipsa fuit.
Et magnos, video, cogi mihi rapta tumultus:
Armatæque petunt Pergama mille rates.
Non vereor belli ne non sit causa probanda:
Est illi facies digna movere duces.

68. *Visaque post latam jacuit ulta Deam.* Sic vulgata. Quem inquinatissimum locum, sic constituendum opinabatur Heinsius: *Divaque post latos marcuit ulta Deos*; vel *languit*, amore scilicet, ulta in semetipsa toros Vulcani et Martis posthabitos. Vel etiam, *bisque ita* (aut *bis Dea*) *postlatos marcuit ulta Deos.* Burmannus autem vulgatam in textu retinere, quam ullam Heinsianarum emendationum admittere, maluit; ipse locum, ut videtur, pro conclamato habens. Nimirum haud satis adtenderunt viri docti ad proxime antecedentem versum,

Anchisen propter voluit formosa videri;

cujus inter extremam partem, et hujus, de quo agitur, principium, nexum aliquem intercedere necesse est, qui, semel animadversus, viam nobis haud difficilem sternit ad verba vitiosa corrigenda. Facile enim patebit ista conferentibus, in utroque versu sermonem esse de nobili illo formarum judicio, cujus mentionem hic Paris facit, ad probandum, ipsam quoque Venerem, quamvis Deam et Amoris matrem, æque tamen ac mortales, filii sui faces experiri; quæ quum Marti jam Anchisen, hominem Deo prætulisset, eumque tam perdite amaret, ut propter hunc maxime *formosa* præ ceteris Deabus *videri* voluisset, aliasque Deas in certamen secum pulchritudinis descendere ægre tulisset, eas tamen *ulta* esset, *visa* Paridis judicio formosissima:

Anchisen propter voluit formosa *videri*;
Visaque, collatas sic fuit ulta Deas.

Ita si legas, erunt, ni fallor, omnia perspicua. LENNEP.

69. *Quid mirum est potuisse pari succurrere amori, immunis sub quo non fuit ipse Paris.* Nihil etiam hic sani apparet. Erunt tamen omnia perspicua, si reponas:

Quid mirum est potuisse Parin succumbere Amori,
Immunis sub quo non fuit ipsa parens?

Præcedentia abunde confirmant hanc lectionem. HEINS. — Optime.

73. *Cogi mihi rapta tumultus. Cogit*, lege; pro *rapta* etiam, *Sparta* malim, ut versus sic constituatur:

Et magnos (video) cogit mihi Sparta tumultus.

Nolit Lennep. et malit in versus principio *At magnos*, pro *Et magnos*; ut sit, inquit, objectionem occupantis. Totus adsentior.

75. *Belli ne non sit causa probanda.* Propert. illa, II. Eleg. II, 49, respexit, ut ex veteri libro sunt emendanda:

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,
Vel Priamo belli causa probanda fuit. H.

Si mihi nulla fides, armatos respice Atridas:
Quam sibi sic repetunt, sic metuenda mihi est.
Quod si vertendæ spem mentis concipis hujus,
Cur cessant herbæ, carmina cur-ve tua?
Quum te nec Phœbi solertior artibus ulla est,
Phœbeæque Hecates somnia vera vides.
Tecum sideribus, tecum deducere Lunam
Nubibus, et memini surripuisse diem.
Pascebam tauros: interque armenta leones
Obstupui placidos vocibus ire tuis.
Quid retro Xanthum, retro Simoenta vocatum
Adjiciam cursus non tenuisse suos?
Ipse pater seu rem, natæ male tutus haberet,

78. *Sic metuenda mihi est.* Lege:
Quam sibi sic repetunt, sic retinenda mihi est.
Mihi, scilicet armato; vel lege:
... Armatos respice Atridas:
Quam sibi sic repetunt, sitne tuenda mihi.
HEINS. *Sic retinenda mihi est.* Bersm. et Plant.

81. *Quum te nec Phœbi.* Scribe, ut Latinitatis ratio habeatur, *Nam te.* IDEM.

83. *Te cum sideribus tecum deducere Lunam Nubibus* etc. *Cælo deducere Lunam* olim refingendum videbatur, quod et Scaligero placuisse animadverto, ut ad imitationem illorum hæc dicta sint:
Carmina vel *cælo* possunt deducere Lunam. V.
Et Propertii, lib. II. Eleg. XXI, 37:
Et jam Luna negat toties descendere *cælo.*
Certe Lunæ deductio in magicis notissima, qua arte Sagæ Thessalæ in primis nobiles. Ceterum quod *deducere* est optimis auctoribus, de quo verbo satis obvio in veterum commentariis nos alibi plura congessimus, id *deripere Lunam cælo* et *devocare* est Horatio in Epodis. Hunc vero Sabini ad locum quod spectat, eum quo diligentius perpendo, eo certius adducor, ut pro *tecum* non *cælo*, quomodo prius, sed *tectam* opiner reponendum: sic denique versum emendem ac distinguam:
Te cum sideribus tectam deducere Lunam
Nubibus, et memini surripuisse diem. H.
— Multo melius idem Heins. in Adversar. I, c. 12, nostro quidem judicio, legendum proposuerat:
Te cum sideribus cælo deducere Lunam,
Nubibus et memini surripuisse diem. LEN.
— *Cum sideribus*, intelligas de satellitio, quo cinctam poetæ Lunam fingunt. Senec. in Octav. 389:
Orbem Phœbes, astra quem cingunt vaga.

89. *Ipse pater seu rem natæ male tutus haberet.* Diu me exercuit hic locus, et quidem frustra; nec tamen defuit successus post longam meditationem, dum alia ex aliis, ut fit, se se offerunt. Scriptum fuerat primo a librariis, *Ipse pater ceu rem.* Unde *seu rem* postea factum, quum nil mutari debuerit: promiscue enim duæ istæ literæ *u* et *b* inter se confun-

Cantatas quoties restitit inter aquas! 90
Nunc locus Œnone est; nunc illam ostende : parabis
Sive tuos ignes pellere, sive meos. *

duntur : *ceu ren* igitur, pro *Cebren*, quomodo Œnones pater dictus. Deinde, pro *haberet*, suspicor *habore*, vel *haboret* exaratum fuisse, addita temere aspiratione. Quare omnia jam sint perspicua, si refingas versum hoc modo :

Ipse pater Cebren, natæ male tutus ab ore,
Cantatas quoties restitit inter aquas!

Parthenius in Eroticis, cap. IV : Ἀλέξανδρος ὁ Πριάμου, βουκολῶν κατὰ τὴν Ἴδην, ἠράσθη τῆς Κεβρήνος θυγατρὸς Οἰνώνης. Apollodorus lib. III, 12 : Ἀλέξανδρος δὲ Οἰνώνην τὴν Κεβρήνος τοῦ ποταμοῦ θυγατέρα γαμεῖ. HEINS.

91. *Nunc locus Œnone est : nunc illas tende, paravit*. Sic omnes ante Heins. Edd. qui locum hunc mendosissimum, ita constituendum restituit :

Nunc locus Œnone est : nunc illam ostende :
parabis
Sive tuos ignes pellere, sive meos.

Nunc tibi locus est, nunc ostende illam Œnonen, quam modo dixi. — *Illam ostende*, ut apud Auctorem Herculis Œtæi, 277 : *Conjugem ostende Herculis*. — *Illas tende*, pro *illam ostende*. Sic supra, Epistola Ulixis, *curas*, pro *curæ est*. Epistola Didus initio, *meritæ famam*, pro *merita et famam*. Sæpe per hasce editiones a librariis peccatum, quod innumeris exemplis facile confirmaverim. — Viri sagacitatem quis non hic, ut alibi centies, demiretur?

* Lectorem, crędo, satis superque instruximus, ut, perpensis diligenter utrimque causis, pronuntiet nunc, judex legitimus, utrum hæ tres Epistolæ, quæ trecentis et amplius abhinc annis, sub A. Sabini nomine circumferuntur, genuinum sint, an adulterinum hujus poetæ opus. Si quis adhuc dubitandi locus, perlectis Ulixis et Demophoontis Responsionibus, (ubi, licet rerum sint inopes, nec ullo fere sententiarum lumine illustrentur, enitent tamen nonnulla, quæ Ovidio tribuas non injuriose) solvitur hic omnino difficultatis nodus. Quid enim in hac ultima deprehendas, quod Ovidium, vel a longinquo, referat; sive res ipsas, sive, qua efferuntur, verborum vim spectes et elegantiam? Scribentem hæc non fallit, viros esse litteratos, quorum grave mihi et appetendum judicium, qui non sic existiment; et nonnullo in pretio *Sabinianas* (quas ego *Heinsianas* melius dixerim) Epistolas habeant; nec ita parvi ducant faciendas, quæ Heinsium vicissim et Burmannum, nuperrimeque Lennepium exercuerint. Sed hoc ipso, meo quidem sensu, comprobatur, quam fœdæ, quam pravæ e prelo primum exierint, quum vix tantorum Medicorum ope collata resanuerint. *Vix* dico, et jure quidem : quot enim, tot jam feliciter emendatis, supersunt emendanda, ut ad Ovidium, justo semper intervallo, aliquando accedant! Cæterum, quid ea de re sentiam, libere et ex animo protuli, concessa, ut decet, aliis aliter sentiendi facultate.

EPISTOLÆ SEXTÆ

ARGUMENTUM.

Quum in Colchidem, vellus aureum Peliæ jussu relaturus vela daret Jason, inter navigandum Lemnon adpulit, ubi ab Hypsipyle, quæ regnum ibi obtinebat, hospitio, lectoque amice exceptus, duos annos exegit, Ovidio teste, Colchidis prorsus et velleris immemor. Sed instantibus sociis, ne sibi et fatis deesset diutius, gravidam Hypsipylen reliquit, rediturum se Lemnon, et ducturum uxorem iterum atque iterum pollicitus. Sed vix Colchos advenientis amore incensa Medea, Æetæ regis filia, sopito, qui vellus custodiebat, dracone, taurisque subactis, aureum vellus Jasoni tradidit, et cum ipso avecta, in Thessaliam devenit.

Quæ quum Hypsipyle forte rescivisset, hanc Epistolam Jasoni mittit, qua et perfidiæ arguit, et quæ mala imminent ominatur. Plura de Hypsipyle apud Apoll. Rhod. I. — Stat. Theb. IV et V. — Valer. Flacc. II. — Apollod. I, 9; III, 6. — Hygin. 15, 74.

EPISTOLA VI.

HYPSIPYLE JASONI.*

LITORA Thessaliæ reduci tetigisse carina
Diceris, auratæ vellere dives ovis.
Gratulor incolumi, quantum sinis : hoc tamen ipso
Debueram scripto certior esse tuo.
Nam, ne pacta tibi præter mea regna redires,
Quum cuperes, ventos non habuisse potes.
Quamlibet adverso signetur epistola vento ;

* Etiam huic Epistolæ præfigitur distichon hoc in Excerptis Puteani :

Lemnias Hypsipyle, Bacchi genus, Æsone nato
Dicit : et in verbis pars quota mentis erat.

Ubi tamen malo *mentis inest.* H.

1. *Litora Thessaliæ* etc. Unde profectus Jason cum Argonautis, ad conquirendum aureum vellus. De quo plura suo loco dicemus, ad Ovid. Metam. VII. — *Reduci carina.* Salva scilicet : nam, teste Servio, ad Virg. Æn. I, 394, proprie dicuntur *reduces*, qui pericula evaserunt :

Namque tibi *reduces* socios, classemque relatam
Nuncio.

2. *Diceris.* Fama quidem accepi ; malim a te, et par erat. — *Vellere.* A *vellendo :* mos quippe olim lanam *vellere*, non tondere. Isidor. XIX, 27.

3. *Quantum sinis.* Quantum mihi per te licet, qui de reditu uxorem ne admonueris quidem. — *Hoc ipso;* per ellipsim, pro *de hoc ipso ;* et genuina lectio est, quamvis *ipsum* probet Douza, et habeant alii *ipse ;* alii autem *ipsa.*

5. *Præter.* Hic est *prope.* Mallem *propter :* vide VIII. Metam. 258 ; sed tamen Statius, Theb. IX :

Jamque fere medium Parnassi frondea *præter*
Colla tenebat iter.

Nisi et illic *propter* legas. HEINS. Cur autem, quum usurpet quoque soluta oratio ? Liv. XL, 41 : « Ad septem millia hominum in naves impositos, *præter* oram Etrusci maris Neapolim transmisit (Fulvius). » Posset et *propere in mea regna.* — *Pacta tibi* etc. Insulam Lemnon designat, quam in dotem Jasoni pepigerat Hypsipyle. Alii, *pacta quidem.*

6. *Quum cuperes* etc. Excusat primum, quo vehementius in ipsum insurgat, ubi de perfidia certior.

7. *Quamlibet.* Naugerius notat in quibusdam legi, *quolibet adverso ;* quam lectionem adstruere conatur, ex alio loco :

Quaslibet admissas detinuere rates.

Perperam ; nam et illic *quamlibet* legendum. Vid. sup. Epist. IV, 98, et inf. hac Epist. 140. Trist. IV, VII,

Hypsipyle missa digna salute fui.
Cur mihi fama prior, quam nuntia litera, venit,
Isse sacros Marti sub juga panda boves?
Seminibus jactis segetes adolesse virorum,
Inque necem dextra non eguisse tua?
Pervigilem spolium pecudis servasse draconem;
Rapta tamen forti vellera fulva manu?
Hæc ego si possem timide credentibus, ista
Ipse mihi scripsit, dicere: quanta forem!
Quid queror officium lenti cessasse mariti?

4; forte etiam *signatur*, non *signetur*. HEINS. — *Quamlibet adverso* etc. Hoc est: qui ventus obstabat quominus ad Lemnon adpelleres, qui vetuit ne ad me saltem scriberes? Merueram sane, ut, vel e longinquo, *salutares*.

10. *Sacros Marti boves*. Tauros scilicet, quos Soli Vulcanus dono dederat, ut gratum se præberet, quod fusum gigantium pugna, in proprio curru benignus exceperat. *Clavier*, ad Apollod. I, 9, 23. — *Sub juga panda. Incurvata*; a *pandere*; sic apud Virgil. G, II, 445: et *pandas* ratibus posuere *carinas*.

11. *Segetes virorum*. Idem Noster, Metam. III, 110:

... Crescitque *seges* clypeata *virorum*.

— *Seminibus jactis*. Sparsis dentibus draconis Cadmæi. Pugnam hanc Jasonis cum gigantibus e terra repente natis, et tauros fatales jugo submissos, Apollon. III, et Valer. Flaccus, VII, egregie descripserunt: prior quidem stylo pene Homerico; nec ita procul a Virgiliana elegantia interdum, posterior.

12. *Dextra non eguisse tua*. Ut qui invicem se se interemerint.

15. *Hæc ego si possem timide credentibus. Hoc ego* etc., meliores scripti; et sane *Hæc* ac *ista*, minus apte cohærent. Lege:

O ego, si possem timide credentibus, ista
Ipse mihi scripsit, dicere, quanta forem!

— *Hæc ego si possem* etc. Ita intelligas: o quam felicem me prædicarem, si jure vix credentibus affirmaverim: hæc ipse qui fecit, propria manu ad me tradenda curavit; et quæ renuntio, conjux prior nuntiavit. Quantum inde mihi decus accedat, quam Jaso non indignam judicaverit, cui talia scriberet; et quanta simul felicitas uxori tanti viri! Hæc omnia in verbis: *Quanta forem*.

17. *Quid queror officium* etc. Questa tantum adhuc de Jasonis incuria, quæ facilem habeat excusationem, ad graviora transit, perfidiæ scilicet suspicionem. — Quid inter se differant *officium* et *obsequium*, locus monet adnotandi. Prius enim, *devoir, obligation*, qualia sunt conjugis in uxorem; patrum in liberos etc. Posterius vero (*obsequium*), facilitas, indulgentia; quod gallice, *un acte de complaisance*. — Nec omittendum quidquid lateat exquisitum in verbis: *manco si tua!*

Obsequium, maneo si tua, grande tuli.
Barbara narratur venisse venefica tecum,
In mihi promissi parte recepta tori.
Credula res amor est : utinam temeraria dicar
Criminibus falsis insimulasse virum !
Nuper ab Hæmoniis hospes mihi Thessalus oris
Venerat; et tactum vix bene limen erat :
Æsonides, dixi, quid agit meus? Ille pudore
Hæsit, in opposita lumina fixus humo.
Protinus exsilui; tunicisque a pectore ruptis,
Vivit? an, exclamo, me quoque fata trahunt?
Vivit, ait : timidumque mihi jurare coegi.

19. *Barbara narratur venefica.* Injuriose Medeam designat, quæ, quamvis regis filia, et quidem potentissimi, qui ab ipso Apolline originem ducebat, nihil aliud hic, quam *venefica*, quæ Jasonem magicis artibus ceperit.

20. *Recepta.* Plurimi MSS. et edit. *futura;* etiam bene. Art. Am. I, 566:

Atque erit in socii fœmina parte tori.

Sed recte se habet *recepta.* Vid. sup. ad Epist. II, 55 : mox V, 95, ut quidam codices habent:

... Thalamoque *receptus* in uno. H.

21. *Utinam temeraria dicar* etc. Quantumvis ad credulitatem propensa, utpote quæ *amans* (*credula res amor est*), non sine quodam metus et pudoris sensu ad incusandum Jasonem venit Hypsipyle; et velit *criminibus falsis insimulasse !* Sed quid objiciendum, non rumori tantum, qui falsus potuit increbrescere, sed hospiti, quæ viderat enarranti?

23. *Ab Hæmoniis oris.* Thessalicis: dicta enim Thessalia *Hæmonia.*

24. *Tactum vix bene limen erat.* Vix ingredienti superatum.

25. *Æsonides..... quid agit meus!* Vere amantis exclamatio est. *Meus,* scil. maritus. — *Ille pudore hæsit.* Tacuit pudibundus; quia vetabat *pudor* ne conjugis aures pudendis nunciis offenderet.

26. *Lumina fixus humo.* Id est, fixos habens oculos : hellenismus poetis latinis usitatissimus. — Libri tres *apposita;* quod rectius fortasse Heinsio videbatur. Minime sane; melius enim quæ ob oculos, *opposita*, quam *apposita*, dicuntur.

29. *Timidumque mihi jurare coegi.* Magna hic variantium, ne dicam aberrantium lectionum farrago. Si fides enim Naugerio, legas :

Vivit, ait, timidum; *quod ait* jurare coegi.

Mycillus vero proponebat : *quod amat, jurare coegi.* At corrigendum putabat Heinsius :

Vivit ait timide; timidum jurare etc.

Sed unde tanta hæc perturbatio, quum nihil habeat vulgata lectio, quod non affectui exprimendo subserviat felicissime? Præ pudore enim *hærebat* hospes; et vel *vivere* Jasonem et *valere*, ita timide asserebat,

Vix mihi, teste Deo, credita vita tua est.
Utque animus rediit, tua facta requirere cœpi.
Narrat aenipedes Martis arasse boves;
Vipereos dentes in humum pro semine jactos,
Et subito natos arma tulisse viros;
Terrigenas populos, civili Marte peremtos,
Implesse ætatis fata diurna suæ.
Devicto serpente, iterum, si vivat Iason,

ut *timidum jurare* Hypsipyle coegerit.

30. *Vix mihi, teste Deo, credita vita tua est.* Ita me terruerant pericula, quæ adeunda tibi fuerant: ita de tua salute eram anxia, ut vix *vivere* te *crediderim*, quamvis id affirmaret, vel *Deo teste*, quem interrogabam hospes, et *jurare* coegeram.

31. *Utque animus rediit.* Turbant hic denuo libri. Sed excerpta Jureti cum uno Patavino, *Ut rediit animus*. Recte: producitur enim Nasoni aliisque Poetis passim ultima ejus verbi syllaba, quemadmodum et in *adiit, abiit, iniit, præiit, subiit, præteriit*, et similibus, de quibus suo loco.

32. *Narrat aenipedes.* Correctores interpolarunt. *Rettulit ænipedes:* nam vetusta exemplaria, *Narrat et æripedes;* vel, *Narrat aeripedes.* Codex Helmaest. *Narrat aripedes.* Lege, minima mutatione:

Narrat aenipedes Martis arasse boves.

Epistola Medeæ, 93:

Jungis aenipedes inadusto corpore tauros.

Quomodo et illic scribendum: *aeneus* et *aenus*, pro æneo, passim Poetæ. Martialis, Spectaculorum Epigr. XXVII, 7, *ignipedes* vocat hos tauros:

Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros.

Sed vide ne et illic *ænipedes* sit corrigendum; quamquam *ignipedes Solis equi* Nasoni et Statio dicantur. *Æripedem cervam* habes apud Virgil. Æneid. VI, 803. In loco Martialis *jungere tauros* pro *vincere*, castigandum recte vidit Gronovius. Hyginus, XXII: « Itaque Æeta Jasoni hanc simultatem constituit, si vellet pellem auratam auferre, tauros æripedes, qui flammas naribus spirabant, jungeret. » HEINS.

33. *Vipereos dentes.* Serpentis scilicet quem Cadmus interfecerat, et cujus dentes, Palladis jussu, in agros Thebanos sparserat: Metam. III, 105. Sed dimidiam partem servaverat, quam Æetæ postea Phryxus tradidit. Plura in Metam. VII, 120 et sqq. Apollon. III, 1339. Val. Flacc. VII, 32. sqq.

35. *Civili Marte.* Bello inter se conserto. — *Fata diurna*, quæ diei unius spatium vix expleverant.

37. *Devicto serpente.* Ita quidem in Aldinis legitur, ut sit sensus; postquam autem audissem tandem etiam devinctum draconem, sive serpentem, a quo custodiebatur vellus etc.; iterum, præ timore ac sollicitudine scilicet, quæro, num vivat Jason etc. Alii autem *devictum serpentem* legunt, ut cum præcedentibus cohæreat, et sit ordo: ille retulit aeripedes boves, vipereos

Quærimus : alternant spesque timorque fidem.
Singula dum narrat, studio cursuque loquendi,
Detegit ingenio vulnera facta tuo.
Heu! ubi pacta fides? ubi connubialia jura?
Faxque sub arsuros dignior ire rogos?
Non ego sum furto tibi cognita. Pronuba Juno
Adfuit, et sertis tempora vinctus Hymen.
At mihi nec Juno, nec Hymen, sed tristis Erinnys
Prætulit infaustas sanguinolenta faces.
Quid mihi cum Minyis? quid cum Tritonide pinu?
Quid tibi cum patria, navita Tiphy, mea?

dentes, et ex iis armatos viros e terra natos, mox a se mutuo interemtos; postremo et serpentem, sive draconem devictum. Atque ibi tamen ego iterum quæsivi etc.; sed hæc non ita magni momenti. Mihi tamen Aldina lectio magis probatur. MICYL.

39. *Studio cursuque loquendi.* Id est, narranti studiose quæ feceras, excidit ut ea detegeret quæ tantum mihi dolorem erant allatura. — *Vulnera;* injuriam ex Medeæ raptu illatam significat.

41. *Heu ubi pacta fides. Heus,* quidam codices. Aprosianus : *Dic ubi;* sed nihil muta. Vid. ad Ep. IV, 150.

42. *Faxque sub arsuros dignior ire rogos.* Dignior, quæ funeribus, quam nuptiis præfuerit, utpote quæ tam infaustum hymenæum consecrarit.

43. *Furtim.* Scriverii, Francofurtensis, et quatuor alii *furto*, quod recipere non dubitavimus, quia id elegantius, et bonis auctoribus usitatum novimus; sed sæpe vox hæc a librariis loco mota. Ita apud Virgil. IV, 337, ex optimis membranis :

... Nec ego hanc abscondere *furta*
Speravi, ne finge, fugam.

Et Statio reddidit Bernart. I. Theb. 312, qui pluribus de ea voce agit. Idem Statius V, 494 : *Vaga litora furto Incomitata sequor;* ubi itidem alii codices *furtim.* BURM.

47. *Quid mihi cum Minyis?* Cur *Minyæ* a poetis Argonautæ vulgo nominentur, non satis constat inter veteres. Apollon. enim, I, 229, nomen ducit a Mynia quodam, cujus Alcymede filia Æsoni nupserat, et Jasonis mater fuit. Alii vero, a populis qui regionem Iolco vicinam incolebant; alii denique, ab ipso urbis, vel fluvii cujusdam nomine; sed probanda magis Apoll. opinio. Vid. Scoliast. ad locum citatum.

48. *Quid tibi cum patria, navita Tiphy, mea?* Argo navi gubernator præpositus Tiphys, Agnii filius juxta Apollod.; Phorbantis vero, si Hygino fides. Non Dii concesserunt, ut quo tenderent, Argonautas Tiphys deduceret; sed quum apud Mariandynos adpulissent, ibi morbo confectus, in regenda navi successorem habuit Ancæum, ut quidam volunt; Erginum vero, plurimi. Orph. Apollod. II, 860. Hyg. 14, 18. Valer. Flacc. V, 13, sqq.

Non erat hic aries villo spectabilis aureo;
Non senis Æetæ regia: Lemnos erat.
Certa fui primo, sed me mala fata trahebant,
Hospita feminea pellere castra manu;
Lemniadesque viros, nimium quoque, vincere norunt.
Milite tam forti vita tuenda fuit.
Urbe virum vidi, tectoque animoque recepi:
Hic tibi bisque æstas, bisque cucurrit hiems.

49. *Villo spectabilis aureo.* Multi codices, *fulvo spectabilis auro*, ut *vellera fulva* supra dixit; sed nihil mutandum temere. Val. Flac. VIII, 122:

... Villisque comantem
Sidereis totos pellem nunc fundit in artus.

50. *Non senis Æetæ* etc. Is Medeæ pater, Solis et Persæ filius, apud quem aureum vellus asservabatur. — Totius loci sensus est: Quid mihi commune cum Argonautis; cur-ve, quum Colchos peterent, vellus relaturi, Lemnon adpulerunt? Quam magnifice autem et amice simul Jasonem et socios exceperit Hypsipyle, narrat Valer. Flacc. II, 310, sqq.

51. *Certa fui primo* etc. Id est: mens prima fuerat Jasonem et comites litore Lemniaco propellere; sed quæ nunc me tangunt, fata invitam trahebant; ideoque venientes *recepi*, et Jasonem inprimis *tectoque*, *animoque*! Et reipsa Argonautas primum Lemniades armis tentaverant hospitio prohibere, et pugnam describit Statius, Theb. V, 350, sqq. — *Mala fata trahebant.* Plautus in Bacchidibus: *Pro libidine fata agunt homines.* CIOF. Pro *mea fata*, *mala fata* Puteaneus, et duo alii: sic *malus error* et similia. Noster in Amorib. III, Eleg. IX, 35:

Quum rapiant *mala fata* bonos.

Eadem varietas inf. Epist. XII, 35. H.

52. *Pellere castra manu. Domo*, Vossii excerpta et codex Junii; sed nihil mutandum suadent sequentia. *Castra* vero hic recte Hubertinus classem interpretatur. Virg. IV, 604:

... Faces in *castra* tulissem.

Ubi vid. Serv. BURM.

54. *Milite tam forti vita tuenda fuit.* Alii *ripa*, quod Heinsio non ita displicebat, eo quod *ripam* pro *litore* sumi, non insolitum, vel apud scriptores optimæ notæ; et non de *vita*, sed de *hospitio arenæ*, tunc certamen.

55. *Urbe virum vidi.* Τὸ *vidi* vehementer friget; nec juvant tamen membranæ nostræ. Scribo:

Urbe virum vidua, tectoque, animoque recepi.

— *Viduam urbem* eleganter dixit, quod viri in ea omnes ab uxoribus essent obtruncati: nihil notius hac fabula; eamdem conjecturam Capoferreo etiam in mentem venisse serus nunc intelligo. HEINS. — Ingeniose quidem et pereleganter, ut solet; sed ita parum video unde tantopere *vidi* hoc loci frigeat, ut contra mihi videatur pathetice admodum exprimere quid senserit Hypsipyle, conspecto primum in urbe sua Jasone. *Ut vidi, ut perii* etc. Virg. Ecl. VIII, 41.

56. *Bisque æstas.* Quatuor tantum menses huic moræ tribuit Val. Flacc. lib. II, 367; multo elegantius et verisimilius. Fortasse Nasoni lon-

Tertia messis erat, quum tu, dare vela coactus,
Implesti lacrimis talia verba tuis:
Abstrahor, Hypsipyle: sed, dent modo fata recursus,
Vir tuus hinc abeo: vir tibi semper ero.
Quod tamen e nobis gravida celatur in alvo,
Vivat; et ejusdem simus uterque parens.
Hactenus: et, lacrimis in falsa cadentibus ora,
Cætera te memini non potuisse loqui.
Ultimus e sociis sacram conscendis in Argo:

gius tempus placuit, quia duos ex hoc coitu filios natos sciebat, *Euneum* et *Deiphilum*. Hygin. Fab. XV et CCLXXIII. *Thoanta* et *Euneum* vocat Lutat. ad Stat. VI. Theb. 340; sed geminos peperit. Stat. V, Theb. 464, et Noster ipse mox, 121. BURM.

57. *Dare vela coactus*. Instante in primis Hercule, qui conficiendi itineris impatiens, in nave remanserat, quo majori exempli auctoritate Lemniadum illecebris captos posset socios increpare. Cæterum, unus inter poetas Ovidius, qui de Argonautis narraverunt, tres annos in Lemno immoratos commemorat. Vid. Apollon. Val. Flacc.

58. *Implesti lacrimis talia verba tuis*. Malo *lacrimis suis*, vel contra membranarum auctoritatem. HEINS. Sed cur non *tuas lacrimas*, perfidas, tibi usitatas, interpretari liceat, et ita codicum omnium fidem sequi? BURM. — *Implesti lacrimis verba*. Poetica sane et feliciter audax locutio hæc, *implere verba lacrimis*; quod quidem soluta oratio expressisset: *Non potuisti quin fleres, talia dicendo*. Qui limes sermonem metricum a pedestri discriminat.

59. *Sed dent modo fata recursus*. Sic libri meliores. Alii: *Si dent modo fata recursum*. HEINS.

60. *Vir tuus*. Apollonius lib. I, 892 et sqq. fingit Jasonem non promisisse reditum, neque ergo connubium; sed petiisse, ut puerum natum sibi in Thessaliam mitteret. Minus certe amatorie. BURM.

61. *Quod tamen* etc. Quamvis invitus a te abstrahar, *vivat;* id est, ne dolori nimio indulgeas, ut servetur, et *vivat*, quod gestas in alvo amoris nostri pignus.

63. *Cadentibus*. Gottorphianus, *fluentibus;* quod minime spernendum, quum majorem hoc loco vim habere mihi videatur; quasi sponte et ubertim provenerint, nec coactæ aut simulatæ visæ sint Hypsipylæ; atque ita facilius per illas decepta fuerit. Hinc *flumina* lacrimarum et *imbres* passim occurrunt. BURM. — *Lacrimis in falsa cadentibus ora*. Præfingit sibi perfidiam; non enim *falsus* Jason, qui Medeam nondum noverat. Verus vere discedens rediturum se Hypsipiles *virum* (*vir tibi semper ero*) promiserat.

65. *Ultimus*. Atqui Apollonius, Argon. I, 910, primum navem conscendisse canit, cui accinit Statius V. Theb. 480:

... Primoque ferit dux verbere pontum.

Sed illi magis solliciti videntur fuisse, ut bonum nobis ducem Jasona, quam

Illa volat : ventus concava vela tenet.
Cærula propulsæ subducitur unda carinæ :
Terra tibi, nobis adspiciuntur aquæ.
In latus omne patens turris circumspicit undas :
Huc feror; et lacrimis osque sinusque madent.
Per lacrimas specto ; cupidæque faventia menti
Longius adsueto lumina nostra vident.
Addo preces castas, immixtaque vota timori,
Nunc quoque te salvo persoluenda mihi.
Vota ego persolvam? votis Medea fruatur?
Cor dolet; atque ira mixtus abundat amor.
Dona feram templis, vivum quod Iasona perdam?
Hostia pro damnis concidat icta meis?

doctum amatorem exhiberent. At Ovidius aptius fingit, et decorum magis fraudi Hypsipylæ ab Jasone factæ, eum *coactum* ab Hercule et aliis, *ultimum* tandem in navem compulsum. Valerius, licet non expressis verbis dicat Jasonem ultimum conscendisse, hæsisse tamen cum Castore et Polluce, diutius reliquis Argonautis, in amplexibus Lemniadum, innuit, lib. II, 425. B.

66. *Illa volat.* Alludit ad Etymon Ἀργοῦς, quæ idcirco *cita* navis a veteribus dicta est. Ciof. — *Ventus concava vela tenet.* Implet vela, in orbis modum tumefacta.

67. *Subducitur unda carinæ.* Sic et apud Virg. Æneid. III, 564 :

Tollimur in cælum, curvato gurgite ; et iidem
Subducta ad manes imos descendimus *unda.*

71. *Cupidæque faventia menti Longius* etc. Ipsi oculi, quanquam lacrimis obducti, solito longius prospicere videbantur, quasi *faverent* Hypsipilæ, quam longissime Jasonem subsequi exoptanti.

72. *Addo preces castas* etc. Recte *castas;* uxor enim conjugi adprecabatur. — *Immixtaque vota timori;* timide suscepta, ob ipsum quod reformidabat periculum.

75. *Vota ego persolvam?* Jure quidem indignantis hæc, et quæ sequentur. Quid enim indignum magis, quam vota solvere Hypsipilen pro salute Jasonis, dum salvo fruetur Medea?

76. *Iræ mixtus. Ira,* libri fere omnes. Heins.

77. *Dona feram. Tura,* Gronovius, quæ est glossa τοῦ *dona;* quæ vox, et tura, et omnia quæ Diis offeruntur, notat. Burm.

78. *Hostia pro damnis concidat icta meis !* Melius *concidat,* pro *concidet;* sic et in præced. vers. *perdam* pro *perdo,* et paulo ante, *fruatur.* Senserat, et restituendum curavit Heinsius, cujus quidem ingenii acumen, et in emendando sagacitatem spectatissimam satis nunquam laudaveris, vel quum quidquid proposuerit, non ideo admittendum censueris.

Non equidem secura fui; semperque verebar,
Ne pater Argolica sumeret urbe nurum.
Argolidas timui: nocuit mihi barbara pellex.
Non expectata vulnus ab hoste tuli.
Nec facie meritisve placet; sed carmine movit:
Diraque cantata pabula falce metit.
Illa reluctantem curru deducere Lunam
Nititur, et tenebris abdere Solis equos.
Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit:

79. *Non equidem secura fui.* Res enim *solliciti plena timoris amor* (Ovid.); et *omnia tuta timet* (Virg.). Sed unde minus suspicabatur Hypsipyle, repente exorta tempestas quæ totam subrueret. Timendum quippe ne Jasonis pater, qui Thessaliæ rex, Thessalicam uxorem ducere filium juberet, et jubenti Jason invitus pareret.

81. *Argolidas timui;* sic enim scribendum, non *Argolicas*, plurimis exemplis probabit Heinsius. — *Argolidas* Puteanus: sic *Argolis Alcmene*, Met. IX, 276; et *Argolides puppes*, Remedio Amoris, 735. Statius Theb. IV:

... Argolidasque habitu præstabo maritas.

Sic malo, quam cum vulgatis *Argolicas*. H. — *Nocuit mihi barbara pellex;* unde injuriæ sensus acrior resurgit: non enim *uxor* Medea, sed *pellex;* non *græca*, sed *barbara* etc.

82. *Non expectata* etc. *Expectato*, fere omnes; recte Heins. e Puteaneo.

83. *Carmine movit.* Junianus, Lovaniensis, et tres alii *carmina novit;* non male; I. Amor. VIII, 5:

Illa magas artes Æaeaque carmina novit. H.

Ita Claudianus I, in Eutrop. 274:

Tu telas, non tela pati, tu stamina nosse.

84. *Diraque cantata pabula falce metit.* Herbas designat (*pabula dira*) e quibus Medea succos exprimebat, et quas *falce* incantata metebat, quo majorem nocendi vim haberent.

85. *Illa reluctantem* etc. Vel invitam e curru Lunam deducere Medea nititur. Concessa hæc antiquitus magicis artibus potestas, ut famulam sibi Lunam parere cogerent. *Carmina*, si Virgil. fides, *vel cœlo possunt deducere Lunam;* Ecl. VIII, 69; et apud Tibull. I, IX, 21: *Cantus et e curru Lunam deducere tentat.* Ideoque magno clangore cymbala quatiebant, ne vox incantata ad Lunam usque perveniret. — Quæ ad hoc superstitionis genus pertinent, loca collegere jamdudum viri docti, quos inter unum Cerdam, ad Virg. loc. qui omnium instar erit, lectori indigitandum putavimus.

87. *Obliquaque flumina sistit.* Duo libri, *fulmina;* ut apud Senecam Tragicum, *Obliqui via fulminis.* Forte rectius; ne bis idem dicat, et ita legendum contendit Delrius ad Senec. Herc. Œt. V, 455. Cornelius Severus, Ætn. 635, *Obliquos igneş* dixit. Senec. Natur. Quæst. lib. I, cap. I; et II, 58. *De fulmine: quare oblique fertur.* Senec. Thyest. 358:

Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis. BURM.

— *Illa refrenat aquas, obliquaque*

Illa loco silvas, vivaque saxa movet.
Per tumulos errat passis discincta capillis,
Certaque de tepidis colligit ossa rogis.
Devovet absentes; simulacraque cerea figit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.
Et quæ nescierim melius. Male quæritur herbis,

flumina sistit. Non male qui *fulmina;* nihil tamen immutandum censuerim : *flumina* enim recte *obliqua*, id est, *curva* dicuntur, quorum impetus eo difficilius *sistitur*, quo velocior, ex ipsis, quæ præcipitem morantur, obstaculis.

88. *Vivaque saxa movet.* Quamquam *loco movere* proba sit locutio, ut Senec. de Vita beat. 27 : *Nec ideo aut loco eam movent*, mallem tamen hic *trahit*, ut codices Vossii, Scriverii, et Gottorphiensis habent; est autem verbum magicum :

Te quoque, Luna, traho. Met. vii, 207.

— *Vivaque saxa movet.* Eo sensu *viva*, quod magicis carminibus eruta, loco movebantur, vel moveri credebantur.

89. *Per tumulos errat* etc. Sparsis capillis, et soluta veste; sic enim postulabat res magica. Plura vide apud Lucanum, in Pharsalia, lib. vi, vers. 654, et sqq.

90. *Certaque de tepidis colligit ossa rogis.* Puteaneus, *colligat. Cunctaque ossa* Scriverianus et Hafniensis. *Curtaque* suspicatur doctissimus Gronovius, Observationibus Ecclesiasticis, cap. 5. Heins. Nihil equidem mutandum : non enim omnia ossa, licet minuta, utilia erant magicis artibus, sed præcipue calvæ et præsegmina quædam, ut jam Hubertinus vidit; et Reinesius Epist. xxx ad Daumium, hanc lectionem retinendam esse se persuasisse Gronovio scribit. *Colligit* vero non est movendum : Horat. i. Sat. viii, 22 :

... Quin ossa legant, herbasque nocentes. B.

91. *Simulacraque cerea.* Cereas effigies, dicit, quæ devovendos repræsentabant, et acubus infixæ, in ignem abibant liquefactæ. — *Simulacraque cerea fingit.* Puteaneus *figit.* Optime, ut de defixionibus magicis agatur. Vidit id jam Salmasius. Seneca Hercule Œtæo :

... Hoc, inquit, magæ
Dixere amorem posse defigi malo.

Paulo aliter Persius Sat. v, 16. *Ingenuo culpam defigere ludo*, tanquam aculeo tangere satyricis reprehensionibus. Valer. Flac. lib. vii, 463, de Medea :

Carmina nunc totos volvit figitque per artus
Æsonidæ. Heins.

92. *Et miserum tenues in jecur urget acus.* Infigit, ulcerat devotum jecur, quod sedes amoris præcipua ferebatur, ea spe, ut ille simul percuteretur, cujus ceream imaginem percutiebat. Simile quiddam conferendum ex *Henriade*, lib. v, ubi mirandis carminibus magicum describitur sacrificium.

93. *Et quæ nescierim melius.* Sic enim interpungendum; adeo non Medeæ peritiam magicæ artis invidet Hypsipyle, ut contra talium ignaræ sibi ex animo plaudat. — *Male quæritur herbis* etc. Aldina hæc lectio, quæ jam servanda Micyllo videbatur, et retinenda prorsus, quamvis

Moribus et forma conciliandus, amor.
Hanc potes amplecti, thalamoque relictus in uno,
Impavidus somno, nocte silente, frui!
Scilicet ut tauros, ita te juga ferre coegit;
Quaque feros angues, te quoque mulcet, ope.
Adde, quod adscribi factis procerumque tuisque
Se favet; et titulo conjugis uxor obest.
Atque aliquis Peliæ de partibus, acta venenis
Imputat, et populum, qui sibi credat, habet.
Non hæc Æsonides, sed Phasias Æetine

legendum Heinsius proposuerit: Et *quas* nescierim melius etc. Vel Et quæ *nescierit* melius *maga*. Quem exhibet vulgata, sensus est ita lucidus, et quam effert sententia loquenti personæ tam conveniens, ut nihil ultra sit inquirendum.

95. *Hanc potes amplecti.* Miratur, et jure quidem, Jasonis audaciam, qui tam formidandos amplexus non reformidet; et somno securus fruatur, tali accumbens uxori.

96. *Frui.* Non damno hanc lectionem: sed nescio, an non elegantior sit Argentinensis codicis lectio *premi*, id est, tam alte et secure dormire, ac si nullum tibi periculum a maga illa immineret. Profundus enim somnus arguit abesse omnem timorem et sollicitudinem. BURM.

99. *Adde quod* etc. Adde, quod in partem laudis a te et sociis comparatæ, venturam se gloriatur. — *Adscribi.* Plin. IX. Epist. 13: *Consule te, consule illas, an velitis adscribi facto, in quo ego comite non egeo, sed non ita gloriæ meæ faverim, ut vobis societatem ejus invideam.* Alter Plinius, VII. Hist. Nat. 26. *Oppida* DCCCLXXVI *in ditionem redacta victoriæ suæ adscripsit.* Cic. lib. IX. ad Fam. 14: *Hominum opinio me adscribit socium tuis laudibus.* B.

100. *Se favet. Se facit,* Edd. prim.

101. *Peliæ de partibus.* Recte *partes* dixit; nam populi pars favebat Peliæ; pars Æsoni. Valer. Flac. I, 70, de Jasone iter a Pelia mandatum auspicaturo. — *Acta venenis imputat* etc. Nec desunt qui quod fortiter egeris, *acta*, magicis artibus imputent, *venenis* scil. medicamentis quæ tibi Medea subministravit; et fidem apud *populum* inveniant.

103. *Non hæc Æsonides, sed Phasias Æetine.* Male nonnulli: *sed filia Phasis Aetæ.* Receptam vero lectionem, qua felicitate Heinsius restituerit, postea videbimus: audiendi primum Egnatius et Naugerius. Dubitavi sæpe antea, prior inquit, quæ maxime probabilis esset carminis hujus lectio: an hæc ipsa, quam ipsi reliquimus, an quam alii substituere, *Phasias Aetæ*, legentes, quum hic, tum in Medea, ut *Ætam* bissyllabum fecerint. Ego, ut contractionem illam, male etiam ab his scriptam, non hactenus legere memini, sic malim trissyllabum servare; ut diphthongus illa corripiatur, sequenti vocali, quod et Græcis et Latinis

Aurea Phryxeæ terga revellit ovis.
Non probat Alcimede mater tua; consule matrem: 105
Non pater, a gelido cui venit axe nurus.

nostris est peculiare, in duabus scilicet dictionibus. Quum enim una terminatur diphthongo, et subsequens a vocali incipiat, corripitur diphthongus præcedens, natura alioquin longa; ut *Insulæ Ionio*, ne græca citem, et *Ilio alto*, et *Pelio Ossam*. Sed et in eadem dictione Virg. quum dixit *sudibusque præustis*, diphthongum corripuit; quod et Ovidius quoque, Met. VII, 131:

Quos ubi viderunt *præacutæ* cuspidis hastas.

Adde quod vix legas, nisi memoria me deficit, *Æetam* bissyllabum, vel apud Ovid. Metam. VII, 170, et infra, 325. — Sic Egnatius, contra quem Naugerius. *Phasis Aeëtæ* nullo pacto legi potest, ut *Aeëtæ* prima corripiatur; neque ulla hic similitudo inter hoc, et *præustum* Virgilii, aut Ovidii *præacutum*. Simplex est nomen; illa, composita. Ideo, vel Ovidium hoc nomen ex trissyllabo in bissyllabum contraxisse dicendum est; vel fortasse *Phasias Aeëtæ* legendum; quod et ex Planude quasi colligi potest, qui in adhuc inedita Heroidum Epistolarum Metaphrasi, locum sic vertit: Οὐ ταῦτ' Αἰσονίδης, ἀλλ' ἡ Φάσιας Αἰήτου θυγάτηρ. Facilis hinc via ad veram probatamque lectionem, quam sic Heinsius nobis restituit. — In veterrimo, inquit, codice Puteaneo pars posterior hujus versus in litura cubabat, veteri lectione erasa, cujus tamen e vestigiis utcunque appareret scriptum primo fuisse *Phasias Ætine*, quum Τὸ *filia* a manu secunda esset additum. Atque hanc esse genuinam Nasonis ipsius scripturam ausim affirmare, quam et Meziriacus Gallicis in has Epistolas Notis, Salmasio suggerente, laudavit. *Æetine;* ut *Neptunine*, *Nereine*, *Oceanine*, *Adrastine*, *Nonacrine*, *Evenine*, et similia: quod etiam in nominibus obtinet civitatum: sic *Elephantine* in Æthiopia civitas, quam Vitruvius et Mela *Elephantidem*. Insula Æthiopiæ *Daphnis*, Plinio et Ptolemæo est *Daphnine*. Jason Orpheo in Argonauticis Θέσσαλος Αἰσονίδης. Medeam vero Æetinen dictam ab Avieno quoque, Descriptione Orbis apparet, hisce versibus. 658, sqq.

Absyrti cautes et crebras protinus arces
Inveniet. Colchos huc quondam cura fidesque
Extulit, insanam sectantes Æetinen.

104. *Aurea Phrixeæ terga revulsit ovis.* Ex optimis lib. et ex Servii lib. IV Æneidos traditione legendum *revellit*. Sic enim *revello* in præterito, non *revulsit*, ut falso hic docet Hubertinus, atque ita legitur in quibusdam vett. exemplaribus illud ex Metamorphos. IX, 168:

A silvis silvas, et ab arvis arva revelli. C.

105. *Non probat Alcimede mater tua.* Hanc Hyginus, XIV, Clymenes filiam facit: alii Autolyco natam volunt. Sunt tamen qui Rhœo vel Polymeden Jasoni matrem adsignent; suspendio vitam finivit. Apollod. I, 9. Vid. Tzetzen Chiliad. VII, Hist. XCVI. et Scholiast. Apollon. ad lib. I, v. 45. Sequenti versu malim *quis venit*, ut tam ad matrem, quam ad patrem referatur.

106. *A gelido. A Getico* mallet Francius: et ita sæpe in Tristibus hæ voces a librariis commutatæ fue-

Illa sibi Tanai, Scythiæque paludibus udæ
Quærat, et a patria Phasidos usque, virum.
Mobilis Æsonide, vernaque incertior aura,
Cur tua pollicito pondere verba carent?
Vir meus hinc ieras, vir non meus inde redisti.
Sim reducis conjux, sicut euntis eram.
Si te nobilitas, generosaque nomina tangunt;
En ego Minoo nata Thoante feror.

runt: sed ibi patientius feram, quam hic, quia Getas Hypsipylæ incognitos adhuc fuisse reor. BURM.

107. *Illa sibi Tanai. Illa sibi a Tanais* potiores scripti. Lege, *Tanai.* Naugerius et Ciofanus ex suis, *a Tanai.* Deinde major codicum pars cum Puteaneo, *Scythiæque paludibus undæ*: sed *Scythiæ udæ* restituendum, ut recte quatuor libri veteres: sic et Fast. II, 597, corrigendum *Tyberinides udæ*, pro *undæ*. Deinde *Phasidos*, sequenti versu, pro *Phasidis*, sex libri: sic *limosi Phasidos* Noster dixit Met. VII; et Catullus, *Phasidos ad fines.* HEINS. — *Illa sibi Tanai* etc. Tanais, qui nunc *le Don*, Scythicus amnis Europam ab Asia disterminans, ex Riphæo monte « adeo præceps ruit, (in Mæoticam paludem) inquit Pompon. Mel. I, 20, ut quum vicina flumina, tum Mæotis et Bosphorus, tum Ponti aliqua, brumali rigore durentur, solus æstus hyememque juxta ferens, idem semper et sublimis, incitatusque decurrat ». Varia illi nomina: Scythæ enim *Silin* vocabant: (Eustath. ad Dionys. 14.) Quidam vero *Acesinen* et *Iaxarten.* (Stephan. Byzant.) in verb. Unde autem *Tanais* nomen acceperit, non consentiunt inter se Scriptores: alii quippe a verbo Τάνω, quod est *extendi*: alii, a *Tano* quodam, qui primus rex Scytharum fuit. Isid. Orig. XIII, 21. Probanda magis hæc opinio. Qui nunc accolant populi, *Moscovitæ* dicuntur.

108. *Quærat et a patria Phasidos usque, virum.* Phasis flumen (nunc *Pêhas* in regione; turcice vero, *Fasch*) ex Armenia oriundum contendit Eratosthenes, apud Schol. Apollon. II, 401. Cuiquidem opinioni non ita adversatur Plinius, VI, 4, quum in Moschicis montibus fontem illi adsignet, eam Moschicæ partem indicans, dubio procul, quæ in ipsam Armeniam excurrebat. Sed qui loca recentius descripserunt, apud *Soanes*, qui Caucasi juga incolebant, oriri Phasin asserunt. Videas quæ ad Strabonem Gallicum, XI, 3, adnotarunt interpretes doctissimi *la Porte du Theil* et *Gosselin.*

110. *Polliciti pondere. Pollicito pondere* libri octo; quod non est de nihilo: sic *polliciti jura tori*, Epistola Cydippes, et *pollicita fides*; lib. III. Fast. 366. HEINS.

111. *Vir meus hinc ieras* etc. In ipsum retorquet, quæ discedens promiserat, v. 60:

Vir tuus hinc abeo, vir tibi semper ero.

114. *Feror.* Barth. ad Stat. V, Theb. 650, ex suis membranis profert *precor*, quod impense placet, et

Bacchus avus; Bacchi conjux, redimita corona,
  Præradiat stellis signa minora suis.
Dos tibi Lemnos erit, terra ingeniosa colenti:
  Me quoque res tales inter habere potes.
Nunc etiam peperi: gratare ambobus, Iason:
  Dulce mihi gravidæ fecerat auctor onus;
Felix in numero quoque sum; prolemque gemellam
  Pignora Lucina bina favente dedi.

melius respondet τῷ *tangunt*: ego, illa nobilis Hypsipyle, supplex precor, ut supra Phædra Ep. IV:

Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
  Brachia. BURM.

115. *Bacchi conjux redimita corona præradiat etc.* De corona Ariadnes in astrum immutata, sic Hygin. V., Fab. Astron. « Quo tempore Liber ad Minoa venit, cogitans Ariadnen comprimere, hanc coronam ei muneri dedit, qua delectata non recusavit conditionem stupri. Dicitur etiam a Vulcano facta ex auro et Indicis gemmis, per quas Theseus existimatur de tenebris labyrinthi ad lucem venisse, quod aurum et gemmæ in obscuro fulgorem luminis efficiebant. Hæc existimatur fuisse a Libero patre inter sidera collocata ».

117. *Dos tibi Lemnos erit.* Sic in libris Vaticanis: sequor. CIOF. Editiones Bersmanni et aliæ *Dos mihi:* sed arridet scriptura optimi codicis Francofurtensis: *Dos tibi Lemnos erat. Erat* est in Gronoviano. BURM. — *Ingeniosa.* Quia scil. ferax soli *ingenium*, coloni votis respondet. Sic *ingeniosus ager*, Fast. IV, 684.

118. *Me quoque res tales inter habere potes.* Magna hic inter doctos exorta contentio est, quomodo esset legendus, qui nos detinet, versus. *Lefebvre* enim (Notis ad Lucret.) tentabat: *Me quoque jam matres inter habere potes.* Contra Meziriacus: *Me res dotales* etc. Salmasius: *Me quoque dotales inter* etc. Scribebat vero Cl. Heinsius: *Me quoque, quot tales inter habere potes* | Quæ tamen conjectura si minus arrisisset, legendum denique proponebat:

Me quoque *dotatas* inter habere potes.

Sed in tanto hoc tumultu redeundum est, duce Mycillo, ad Aldinam lectionem, quam, quia planior simul et simplicior, retinuerunt omnes qui sequuti sunt, et nos ipsi religiose servavimus. Sensus enim: quum ea sit nobilitas meorum, tantaque dos mea, possis non immerito *me quoque*, *ob-*, vel *inter* talia ac tanta, te dignam existimare.

119. *Gratare ambobus, Iason.* Barth. ad Stat. V. Theb. 713; ita distinguit:

... Gratare ambobus. Iason
Dulce mihi gravidæ fecerat auctor onus.

122. *Pignora Lucina bina favente dedi.* Quam Græci *Ilithyiam* (Εἰλείθυιαν), Latini *Lucinam* vocabant. Plures indicat Ilithyias Homerus, Il. Λ, 270, Junonis filias. Eustath. ad hunc locum verbi originem ducit ab ἐλεύθω, quasi quæ adveniant propitiæ parituris. Eamdem esse Lucinam et Dianam innuit Callimachus, (in hymno εἰς Ἄρτεμιν) ubi canit Deam

Si quæris cui sint similes, cognosceris illis.
Fallere non norunt : cetera patris habent.
Legatos quos pæne dedi pro matre ferendos :
Sed tenuit cœptas sæva noverca vias.
Medeam timui : plus est Medea noverca.
Medeæ faciunt ad scelus omne manus.
Spargere quæ fratris potuit laniata per agros
Corpora, pignoribus parceret illa meis?
Hanc tamen, o demens, Colchisque ablate venenis,
Diceris Hypsipyles præposuisse toro.
Turpiter illa virum cognovit adultera virgo :
Me tibi, teque mihi tæda pudica dedit.
Prodidit illa patrem : rapui de cæde Thoanta;
Deseruit Colchos : me mea Lemnos habet.

hanc eo partubus præesse, quod Latona mater eam sine dolore peperisset.

123. *Si quæris.* Sic meliores. Ita pro *cognosceris*, duo libri *ignosceris* : hoc est *agnosceris* :

Hujus erat facies, in qua materque paterque
Cognosci posset. MET. IV, 290.

Apuleius v. Metam. *In hoc saltem parvulo cognoscam faciem tuam.* Sunt Psyches verba ad maritum. Caoferreus ; *cognoscor in illis.* Male : nam Jason, non Hypsipyle cognosci debebat similitudine parvulorum, ut illa omnem suspicionem alieni tori a se removeret.

129. *Spargere quæ fratris potuit lacerata per agros Corpora.* Metaphora ab agricolis, qui semina in terras proprie spargere dicuntur : sic in Ibin :

Et tua sic latos spargantur membra per agros,
Tanquam quæ patrias detinnere vias. C.

131. *Hanc tamen.* Unus Regius, *Hanc ô tu demens* : multi quoque, *Colchis ablate*, alii *oblate*, *oblite* : ego nihil muto : *ablatus* eleganter dictum, pro in diversum a pristina sententia et amore deducto, alienato. Ita mox, vers. 150 :

Quosque veneficiis *abstulit* illa suis. BURM.

133. *Adultera virgo.* In multis codicibus *adultera certe*, in quibusdam *certe est* ; ut fortasse legendum :

Turpiter illa virum cognovit : adultera certe est.

Ut Epistola præcedenti :

Sic facie quamvis præsignis, adultera certe est.

— Cave ne quidquam immutes. Quid enim effingas, quo non præstet *adultera virgo* ? Burmanni diligentiam miror quidem ; sed judicium sæpius desidero. — *Me tibi* etc. Ipsam se commendat, exponendo simpliciter quæ sit, quæ fuerit, et qualem se Medea præstiterit.

136. *Deseruit Colchon. Colchos* libri omnes, idque recte ; *Colchos* enim non dicitur, sed *Colchi.* Κόλχοι καὶ Κόλχις Græcis. Ennius apud Priscian. de versibus comicis :

Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio regis Peliæ per dolum. H.

Quid refert, scelerata piam si vincit; et ipso
Crimine dotata est, emeruitque virum?
Lemniadum facinus culpo, non miror, Iason.
Quamlibet iratis ipse dat arma dolor.
Dic age, si ventis, ut oportuit, actus iniquis
Intrasses portus, tuque comesque, meos;
Obviaque exissem, fœtu comitata gemello:
Hiscere nempe tibi terra roganda foret!
Quo vultu natos? quo me, scelerate, videres?

137. *Quid refert, scelerata piam si vincit. Referat*, Puteaneus : ex suis profert Naugerius, *Quid refert? vincet* etiam meliores. — *Et ipso crimine dotata est.* Notanda hic egregia vis sententiæ simul et verborum; *dotata crimine*, omnium turpissimo, proditione scil.! Quem vero prodidit Medea, ut advenam sequeretur? Patrem, et cum ipso regnum, fatale vellus tradens Jasoni. Quamvis plerumque mollior et illaboratus Naso, non raro tamen illa assequitur orationis ornamenta, quæ vel in ipso Marone non transeant inobservata.

138. *Crimine dotata.* Eleganter; quasi crimen esset pro dote: ita loquitur et Justin. 1, cap. 7: *Uxor mariti sanguine dotata regnum viri et se pariter adultero tradidit.* Burm. — *Emeruitque virum. Demeruitque*, Sarravianus cum quatuor aliis : sed *emeruisse*, pro *demeruisse*, simili significatione occurrit. Sic A. Gellius, quum lib. 1, cap. 8, de Laide Corinthia dixisset : *Ob elegantiam formæ grandem pecuniam demerebat.* Idem lib. VI, cap. 7, de Acca Laurentia ait: *Corpus in vulgus dabat, pecuniamque emeruerat ex eo quæstu uberem.* H.

140. *Quamlibet iratis.* Qui loquendi modus unice in deliciis est Nasoni; sed ut plurimum e vulgatis libris per inscitos librarios jussus exulare : supra, vers. 7 :

Quamlibet adverso signetur epistola vento.

Epistola Canaces :

Urnaque nos habeat quamlibet arcta duos.

Amor. lib. 1, Eleg. VII, 66 :

Quamlibet infirmas adjuvat ira manus.

Et alibi passim. Heins. Francius non inconcinne conjiciebat:

Quamlibet iratis justa dat arma dolor.

Schottus vero lib. II, observ. 47, dicit se in codice MS. reperisse:

Quodlibet ad facinus ipse dat arma dolor.

Quod et in plurimis Heinsio inspectis extat : in uno etiam pro *dolor*, est *furor;* nec hoc male : *ira* enim *furor brevis* est : sic Virg. I. Æn. 154 :

... Furor arma ministrat. B.

141. *Dic, age, si ventis, ut oportuit* etc. Egregia sane prosopopœia! Quid enim de Jasone, si e nave descendenti, Medea comitante, obvia repente conjux occurrisset, cum natis? Quid optandum melius, quam ut subito tellus hiatu furenti Hypsipylæ surripuisset!

143. *Comitata. Comitante* Puteaneus, et nonnulli alii. Frustra. Epist. XVI, 113, et II. Fast. 463 : *Comitata Cupidine parvo.* III. Fast. 603 : *Solo comitatus Achate.* IV. Fast. 425 : *Comitata puellis*, et alibi. Heins.

Perfidiæ pretio qua nece dignus eras?
Ipse quidem per me tutus sospesque fuisses:
Non quia tu dignus, sed quia mitis ego.
Pellicis ipsa meos implessem sanguine vultus,
Quosque veneficiis abstulit illa suis.
Medeæ Medea forem. Quod si quis ab alto,
Justus ades votis, Jupiter, ipse meis!
Quod gemit Hypsipyle, lecti quoque subnuba nostri
Mœreat; et leges sanciat ipsa suas.

146. *Perfidiæ pretio qua nece dignus eras?* Optime; ut et parens meus in notis ad ipsum Nasonem, et postea Salmasius, *de Usuris* Commentario cap. II, restituerunt. Multus est passim in hac locutione Naso. HEINS.

149. *Pellicis ipsa meos implessem sanguine vultus.* Didonem ipsam clamantem exaudire te credideris, Æn. IV, 604, sqq.:

. . . . . Faces in castra tulissem,
Implessemque foros flammis, natumque, patremque
Cum genere extinxem; memet super ipsa dedissem.

Et *Medeæ Medea forem*, Virgilius ipse, credo, non respuisset.

150. *Suis.* Lincolniensis, *tuos.*

151. *Quod si quis ab alto, Justus ades. Quod si quid adest* scripti plerique cum priscis editionibus: venuste et vere: nisi quod in Puteaneo, *quod si quod.* Τὸ *quid* eleganter redundat. Ennius apud Lactant. lib. I, de Falsa religione, cap. 14, in vetustis codicibus: *Itaque pactus est cum Saturno, ut si quid liberorum virilis sexus ei natum esset, ne quid educaret.* Trist. III. Eleg. III:

At tibi, qui transis, ne sit grave, si quid amasti,
Dicere.

Ita et ibi scribendum ex vestigiis veterum librorum. Trist. V. Eleg. I:

Delicias si quis lascivaque carmina quærit,
Præmoneo nunquam scripta quid ista legat.

Sic et ibi corrigendum suspicor; sic in Fastis:

... Pacando si quid ab hoste vacas. H.

—Francius corrigebat, *si quid ab alta Justus ades votis Jupiter arce meis.* Offendit forte vocula *ipse*, quæ jam bis præcesserat, et mox sequitur; sed nihil muta: *ab alto*, est *ex alto*, scilicet cœlo. Art. Am. lib. I, 633:

Juppiter ex alto perjuria ridet amantum.

Ades precibus, Colinei et Bersmanni editiones. BURM.

153. *Lecti quoque subnuba nostri.* Glossæ H. Steph. Παλλακὴ, *Concubina, succuba, pellex.* Eædem *unicuba* μονολέχης. Vetus scriptor de Baptismo Bæbiani, inter Poetas Christianos a Georgio Fabricio editus:

Felix Apra, cui licuit terraque poloque
Conjugis unicubæ juge tenere bonum.

Papias, *succuba, pellex, amica; a succumbendo, latenter jacendo.* Tamen Puteaneo et melioribus scriptis accedo, in quibus *subnuba. Subnuba*, ut *pronuba, innuba*, et similia. HEINS. Vide Munkeri notas ad Hygin. Fab. CLXXVII.

154. *Leges sanciat ipsa suas.* Sic scribendum censeo, non autem *sentiat*, ut quidam, quos inter liber Vossianus et alter Mentelianus. *Sancire*

Utque ego destituor conjux, materque duorum;
A totidem natis orba sit, aque viro.
Nec male parta diu teneat; pejusque relinquat.
Exsulet; et toto quærat in orbe fugam.
Quam fratri germana fuit, miseroque parenti
Filia; tam natis, tam sit acerba viro.
Quum mare, quum terras consumserit, aera tentet.
Erret inops, exspes, cæde cruenta sua.

leges, obvium apud veteres auctores. Lucan. VII, 351:

Romanas sancire volent hoc sanguine leges.

Livius, lib. XXIII: *Jam ego, inquit, sanguine Hannibalis sanciam Romanum fœdus.* HEINS.

155. *Duorum.* Eunei et Nebrophoni; Apollodor. lib. I. Biblioth. Euneus et Deiphilus, apud Hygin. XV et CCLXXIII. Scholiastes vero Pindari, in Argument. Nemeæorum, Enneum et Thoanta vocat. Sic et Stat. Theb. V.

156. *A totidem* etc. Felicissime hunc locum considerat Julius Cæsar Scaliger in *Critico*, cujus verba hæc sunt: « Ovidianæ Hypsipyles clara admodum imprecatio est; quæ neque tumida, neque vulgaris, ac tam rotunda, ut tam brevi gyro, tam composita apud multos etiam excellentes possimus desiderare. »—*A totidem natis orba sit aque viro. Orba a natis* infrequens; usitatum *orba natis*, aut *natorum*. Deinde *illa viro*, Puteaneus, et reliqui plerique. Legebam:

Da totidem natis orba sit, orbo viro.

Vid. supra ad v. 29. *Dare* ex veteri formula. *Di date*, et *Di dent*, quorum pleni scriptores antiqui. HEINS.

157. *Pejusque relinquat. Pejusque relicta*, unus Ambrosianus. Patavinus unus, *pœnisque relinquat*: ut *pœnisque relicta Exsulet*, videatur corrigendum. Atqui ita Jureti Excerpta præ se ferre postea agnovi. H.

158. *In orbe fugam.* Durius dictum, *quærere fugam; petere fugam* pro fugere, dici novimus. Quare forte hic non rejicienda Vaticani unius lectio, *quærat in orbe fidem*, ut nusquam fidem, at ubique perfidiam inventuram imprecetur: nisi *quærat fugam* dictum quis velit, ut *petere fugam*, de quo Davies, ad Jul. Cæs. II, de Bell. Gall. 24; et *petere viam*, Gronov. ad Liv. XLII, 3: nam et hic unus Strozzæ habebat, *quærat in orbe viam.* BURM.

162. *Erret, inops, exspes.* Multi scripti, *Erret inops mentis.* Male: ita XIV. Metam. 217:

Solus, inops, exspes, letho pœnisque relictus.

In Ibin, vers. 113:

Exsul, inops, erres, alienaque limina lustres.

In Leidensi erat adscriptum alterum pentametrum:

Et fugiat natis ipsa cruenta suis.

Quod videtur pro varia lectione appositum. Douzæ codex habebat, *erret inops mortis.* B. — Diras Hypsipyles in Medeam ut eventus exceperint, videbitur ad Epist. XII. — *Cæde cruenta sua.* « Ubi mortua sit Medea, aut quo pacto, minime constat; sed Ibyci tamen et Simonidis fuit sententia, quod quum

Hæc ego conjugio fraudata Thoantias oro :
Vivite devoto, nuptaque, virque, toro.

mortua in campos Elysios venisset, Herculi nupserit. » Nat. Com. Myth. VI, 7. Videas quoque Euripid. in Medea : Diod. Sicul. IV.

164. *Vivite devoto nuptaque, virque toro.* Lecto jugali, quem Diris *devoveo.* Nec votis excidit Hypsipyle. Audivere Dii !

EPISTOLÆ SEPTIMÆ

ARGUMENTUM.

Eversa a Græcis Troja, Æneas postquam incendio Penates eripuisset, viginti navibus mare ingreditur. Tempestate autem jactatus, in Lybiam est delatus, ubi tunc Dido Carthaginem moliebatur, a qua Æneas una cum sociis liberaliter exceptus, amatusque, ea quam familiarissime usus est. Quum vero, Mercurii monitu, in Italiam fatis sibi promissam navigare pararet, Dido animum ejus præsentiens, a navigandi proposito hac Epistola tentat revocare; quod si preces et lacrymæ non obtinuerint, morituram se scribit, ut mortis causam intelligat præbuisse. Vidend. Just. XVIII, 4. — Paterc. I, 6. — Æneid. IV. — Metam. XIV, Fab. 2.

EPISTOLA VII.

DIDO ÆNEÆ.

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Mæandri concinit albus olor.
Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri,
Adloquor : adverso movimus ista Deo.

1. *Sic, ubi fata vocant* etc. Quod præfigitur vulgo Epistolarum cuique *distichon*, merito a criticis omnibus, velut opus adulterum et auctore indignum, e textu procul exulare jussum est. Hoc huic præerat:

Accipe, Dardanide, morituræ carmen Elissæ :
Quæ legis, a nobis ultima verba legis.

Haud scio tamen an non sit præponendum, si sensum respexeris, genuinis et Ovidianis nimium versibus, qui, vel ab ipso exordio, opus indicant infelix summa, partes licet haud contemnendæ sint. Quis enim ferat poetam, in re tam gravi, et tam lamentabili argumento, in istius modi lusus exspatiari luxuriantem? Quis credat unquam Didonem, *certam mori*, et *pallidam futura morte*, si ad Æneam scripsisset, desperati amoris *ultima verba*, ultimis morituri cycni cantibus assimilasse? Jure igitur Fabius Quintil. Instit. x, 1 : «Lascivus *in heroicis quoque* Ovid. »

2. *Concinit albus olor.* Solemnis apud Poetas veteres cycni vox, quæ eo canora magis, quo mors propius instaret. Quæ opinio, etsi poetice arrideat, fide tamen semper caruit apud illos omnes, e quibus auctoritas peti solet. Adeas licet Ælian. Var. Hist. I, 14. Plin. Hist. Nat. x, 23; et Athenæum, IX, 11. — *Albus olor.* Epitheta Aristoteles (Rhet. III, 3.), si longiora aut frequentiora, *tertium* in oratione *frigoris genus* adsignat : Ἐν μὲν ποιήσει πρέπει γάλα λευκὸν εἰπεῖν· ἐν δὲ λόγῳ, τὰ μὲν ἀκριβίζεται. Non ergo culpandus est Noster qui, quamvis nemo ignoret, cycni colorem indicandum curaverit.

4. *Adverso movimus ista Deo.* Amore scilicet, qui Didonem usque persequitur, et invitam cogit ad Æneam scribere, quamvis non *speret* illum tali *prece moveri posse.* Male igitur, qui *averso* legendum censuerunt; longe alius, ut mihi videtur sensus : si enim a Didone *aversus* Deus iste, non amore periisset. — *Movimus;* quasi dicat, extremum hoc nobis, et ægre quidem

Sed merita et famam, corpusque animumque pudicum
  Quum male perdiderim, perdere verba leve est.
Certus es ire tamen, miseramque relinquere Dido;
  Atque idem venti vela fidemque ferent.
Certus es, Ænea, cum fœdere solvere naves:
  Quæque ubi sint nescis, Itala regna sequi.
Nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt

imposuimus laborem. — *Adverso movimus ista Deo. Novimus* Puteaneus, cum aliis nonnullis. Basiliensis, *vois*. Scribe *vovimus*: ita et corruptum, I. Amor. Eleg. III, 3; et 127.

5. *Sed meriti famam.* Gottorphianus et alter Mentelianus, *meritam.* Unus Mediceus *merita.* Puteaneus, *merite*. Scribe:

Sed merita et famam.

Merita vocat beneficia, quæ in ingratum Æneam contulerat: sic Auson. Parentalibus, *merita et famam* conjunxit. Senec. Herc. Fur. 259:

... Cuncta jam amisi bona,
Mentem, arma, famam, conjugem, natos, manus.

Epistola Sapphus:

Et forma et meritis tu mihi Phœbus eris.

Ubi *et formæ meritis* similiter legebatur: qua elisione literarum sæpe peccatum. Heins. — *Corpusque animumque pudicum* etc. Qua verecundia, qua verborum castitate hæc fere eadem Dido Virgiliana, IV, 321:

... Te propter eumdem
Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam,
Fama prior!

Amantem hic agnoscas: illic vero meretricem, quæ ne tentat quidem rebus verborum pudorem obtendere. Nec certe commisisset poeta sapientissimus, vel conscribens Epistolam, ut *verborum levitatem*, cum amissi decoris, et vitæ mox amittendæ *gravitate* compararet. Non eo amator ingenii sui Virgilius.

6. *Perdiderim.* Patavinus *perdideris*: venuste; amat enim Noster secunda persona loqui. Sup. Ep. V, 7:

Leniter ex merito, quicquid *patiare*, ferendum est. Heins.

7. *Miseramque relinquere Dido.* Accusat. græc. Cæsar *Didonem* et *Calypsonem* latine dici malebat: sed Quintiliano non displicet seu græcam formam, seu latinam sequi, *quousque patitur decor.*

8. *Atque idem venti vela fidemque ferent.* Complacere nimium sibi videtur Noster in istius modi verborum nugis. Jam enim vidimus, Epist. XI, 25:

... Ventis et *verba* et *vela* dedisti:
Vela queror *reditu*, *verba* carere *fide.*

Et mox in sequenti versu:

Certus es..... *cum fœdere solvere naves.*

Ubi cum verbo colludens, *solvit* simul et *fœdus* et *naves*. Quodquidem eo magis repugnat, quod argumentum ipsum Nasonem Virgilio admovet hic propiorem; et uno quoque, ut ita dicam, versu comparationem movet, vel ipsi Ovidio formidandam.

10. *Quæque ubi sint nescis, Itala regna sequi.* Virgiliana quoque ad Æneam, IV, 311:

... Quid si non arva aliena, domosque
Ignotas peteres?

11. *Nec nova Carthago* etc. Virgil. lib. jam cit. 307, sqq:

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,

Mœnia; nec sceptro tradita summa tuo.
Facta fugis; facienda petis: quærenda per orbem
Altera: quæsita est altera terra tibi.
Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?
Quis sua non notis arva tenenda dabit?
Alter habendus amor tibi restat, et altera Dido:
Quamque iterum fallas, altera danda fides.
Quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem,
Et videas populos altus ab arce tuos?
Omnia si veniant, nec te tua vota morentur;

Nec moritura tenet crudeli funere Dido!
Quinetiam Hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altum,
Crudelis! Quid, si non arva aliena domosque
Ignotas peteres, et Troja antiqua maneret,
Troja per undosum peteretur classibus æquor?
Mene fugis!

Apud Poetam utrumque eadem rerum summa: sed videas, quæso, quam frigide ab Ovidio tractentur, dum vivit et spirat adhuc amor Didonis, Virgilii versibus tam fideliter commissus. Fecerim equidem lectori injuriam, si sæpius ea de re monendum putaverim. — *Nec te crescentia tangunt Mœnia. Surgentia* codex Regius; et id *rectius* putat Burmann.; sed recte mœnia quoque dicuntur crescere. Noster Metam. lib. xv, vers. 451:

... Cognataque mœnia lætor
Crescere; et utiliter Phrygibus vixisse Pelasgos.

12. *Nec sceptro tradita summa tuo. Sceptrum,* Puteaneus a manu prima. Scribo:

Nec sceptri tradita *summa* mei.

Vel *credita.* Metam. lib. XIII, 191:

Hunc tamen utilitas populi fraterque, datique
Summa movet sceptri.

Si quis tueri vulgatam tamen volet, habet pro se stantia illa Propertii,

In Veneris tabula *summam* sibi ponit Apelles.

Lib. III, Eleg. VII, 11. HEINS.

13. *Facta fugis; facienda petis.* Male *fugienda,* Aldina, Venetæ duæ et codices plurimi; neque ex ingenio poetæ, qui verborum antithetis plus æquo gaudet, vel quum non locus.

16. *Arva tenenda. Regna tenenda,* tres libri, *arva colenda,* unus Vaticanus: et Mentelii alter, *tuenda:* nihil muta. *Tenere* enim proprium verbum regum, ut notissimum. Præterea *tenere* convenit præcedenti verbo *habere,* cujus eadem vis, et quod male Douza antique sumit, pro *habitare:* quum ipse infr. 163, *habendam* explicet *possidendam.* B.

17. *Alter habendus amor.* Quem mentiaris, Didonem alteram capturus, ut me cepisti.

18. *Quaque iterum fallas.* Recte scripti *quamque. Fallere fidem:* nihil magis obvium apud bonos auctores. Senec. III. de Benef. c. 15: « Ita non honestius erat a quibusdam fidem falli, quam ab omnibus perfidiam timeri. »

21. *Omnia si veniant. Ut eveniant* quidam ex melioribus, etiam Puteaneus a manu prima; recte: qui error ex elisione vocalium profluxit.

Unde tibi, quæ te sic amet, uxor erit?
Uror, ut inducto ceratæ sulfure tædæ:
Ut pia fumosis addita tura focis.
Æneas oculis semper vigilantis inhæret:
Æneamque animo noxque diesque refert.
Ille quidem male gratus, et ad mea munera surdus;
Et quo, si non sim stulta, carere velim:
Non tamen Æneam, quamvis male cogitat, odi;
Sed queror infidum, questaque pejus amo.
Parce, Venus, nurui; durumque amplectere fratrem,

Sic apud Phædrum, lib. I, Fab. II: *Majus ne veniat malum*, pro *eveniat*, perperam nunc legitur. Liv. XXIII, 28: *Cui ut omnia prospere evenirent.* Ita scripti: vide illic Gronovium. *Omnia subveniant*, Mentelian. HEINS. — *Nec te tua vota. Facta*, multi codices: quidam *ficta*: forte, *nec te tibi ficta morentur.*

23. *Uror, ut inducto ceratæ sulfure tædæ, ut pia* etc. Non Heinsium laudo, qui tamen sæpissime laudandus, quum hos versus *a vulgatis libris* merito *exulantes* in textum recipit, quamvis *ex auctoritate optimarum membranarum.* Non quod *inelegantes* judicem, vel Ovidii *indignos*; credo econtra vere Ovidianos esse; sed vid. quæ ad vers. 1. hujus Epistolæ adnotandum censui.

25. *Æneas oculis semper vigilantis inhæret; Æneamque animo* etc. Virgilio semper, sed passibus minus iniquis, hic instat Ovidius. Æn. IV, 3, sqq. Ibid. 83:

Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos: hærent infixi pectore vultus,
Verbaque; nec placidam membris dat cura quietem.
... Illum absens absentem auditque videtque.

26. *Æneamque animo. Æneam animo*, meliores: et sic Græco more etiam infra, ac passim alibi in optimis libris scribitur. HEINS. II. Art. Am. 348:

Exhibeat vultus noxque diesque tuos.

Ubi nescio, cur ex uno codice, *exhibeant* malit Heinsius, quum hic locus vulgatam manifeste tueatur. BURM.

27. *Surdus. Tardus* Moreti, Hafniensis et Leidensis, quod proprium in amore frigidi et cessantis. Eadem varietas apud Prop. I, Eleg. VIII, 41: Sunt igitur Musæ, neque amanti surdus Apollo.

29. *Quamvis male cogitat, odi.* Plinius, Nat. Hist. XVIII, c. 5: *Fortissimi viri et milites strenuissimi ex agricolis nascuntur, minimeque male cogitantes;* hoc est minime dolosi. Hausit ex Catone, qui initio Rei Rusticæ, de Agricolis: *Minime male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt.*

30. *Questaque pejus amo.* Vidimus jam in Phædræ Epist. ad Hipp. 26: Quæ venit exacto tempore, *pejus amat.*

31. *Parce, Venus, nurui. Conjugium* enim *vocabat*, et *culpam* hoc nomine *prælegebat.* Nurus ergo Veneris, quæ Æneæ uxorem se prædicabat; ut quondam Creusa:

Dardanis, et divæ Veneris nurus! *Æn.* II, 787.

Frater Amor : castris militet ille tuis.
Atque, ego quem cœpi, neque enim dedignor, amare,
Materiam curæ præbeat ille meæ.
Fallor; et ista mihi falso jactatur imago.
Matris ab ingenio dissidet ille suæ.
Te lapis, et montes, innataque rupibus altis
Robora, te sævæ progenuere feræ :
Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis;
Quod tamen adversis fluctibus ire paras.
Quo fugis? obstat hiems : hiemis mihi gratia prosit.
Adspice, ut eversas concitet Eurus aquas.
Quod tibi malueram, sine me debere procellis.
Justior est animo ventus et unda tuo.
Non ego sum tanti, quamvis merearis, inique,

— *Durumque amplectere fratrem, frater Amor* etc. Ut lepide, ut ingeniose dicta hæc omnia! sed quam ab argumento hujus Epistolæ remota! — *Castris militet ille tuis.* Legemus quoque, Amor. I, El. IX, 1: *Militat* omnis amans et habet *sua castra* Cupido. Optime quidem, quia in loco. Quæque *locum* teneant.

33. *Atque, ego quem cœpi* etc. Sensus est : *Militet* Æneas *in castris tuis*, id est, amet; qua lege non *dedignor*, quem prior amavi, novam amandi causam mihi præbeat. *Curæ*, eo sensu, quo apud Virg.:

At Regina gravi jamdudum saucia *cura*.

35. *Ista mihi falso jactatur imago.* Spes scilicet quæ ludit miseram, posse Æneam abeundi mentem exuere.

37. *Te lapis et montes* etc. Non ita procul a Virgilio, IV, 366 :

... Duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

40. *Quod tamen adversis fluctibus ire.* *Ire maria*, obvium. Ep. Herus, *Hellespontiacam iturus aquam*, ex antiquis libris. Art. Am. II, 47, ex vetustis exemplaribus :

Restat iter cœli ; *cælum* tentabimus *ire*.

Amor. XI, Eleg. XI :

Fallacesque vias ire Corinna parat. HEINS.

43. *Malueram. Maluerim*, Argent. et quinque alii : rectius HEINS. *Quod te malueram*, in antiquis membranis, quas profert Barth. Adv. XXXVII, 13.

45. *Non ego sum tanti... ut pereas* etc. Suum hic tandem et genuinum sermonem amor reperit, æque facilis iras ponere, seu tollere. Pereuntis jam Æneæ imago amantem turbat, terretque; et *quamvis mereatur*, non vult ut pereat; sed monet, obsecraturque ne *odia exerceat*, quæ *magno* ipsi *constarent* etc. Quatuor hi versus sunt inter præstantissimos annumerandi. — *Quamvis merearis.* Mirum hic in modum variant libri veteres. Diversas lectiones subjiciam, ut alienæ quoque conjecturæ sit locus. Puteaneus, *quid non terreris :*

Ut pereas, dum me per freta longa fugis.
Exerces pretiosa odia, et constantia magno,
Si, dum me careas, est tibi vile mori.
Jam venti ponent; strataque æqualiter unda,
Cæruleis Triton per mare curret equis.
Tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses!
Et, nisi duritie robora vincis, eris.
Quid? si nescieris, insana quid æquora possint?

et emendatum *quod*. Ut forte corrigendum sit, *quo non terreris;* vel, *quod non tu reris*. At Puteani et Jureti excerpta, et alter Mentelianus et Francofurtensis, *quod non censeris*, cum quatuor aliis : duo, *quo non cessaris*. Octo alii, *quod non mediteris;* septem, *meditaris :* quatuor, *quamvis mediteris :* totidem alii, *quod tu meditaris*. Scriverianus, *quamvis dimittis*, vel *miraris :* alius, *quod tu non credis*. Itaque scribendum videbatur, *quicquid tu reris*, vel, *quanti tu reris;* vel, *quamvis id reris*, vel denique, *quanti me reris*. Nisi propius insistendo vestigiis vetustiorum codicum refingi malis, *quamvis censeris*, ut *censeri* dixerit, quomodo Cicero pro Flacco: *Census es mancipia Amyntæ. Censeri* enim pro æstimare, veteres ævo optimo certum est dixisse. Burm.

48. *Est tibi vile mori*. Octo etiam libri, *sit tibi velle mori;* sed vulgata præstat: non magni ducas mortem, dummodo me careas. Apud Flor. II, cap. 6, male puto Salmasium rescribere, *gens contumax, vilisque morti;* et explicare facilem ad mortem excipiendam; quum *gens vilis mortis*, ea sit, in cujus morte non magnum damnum. Burm.

49. *Jam venti ponent*. Morandi causas innectit a tempestate primum hibernosa; deinde a periculis quæ tunc imminent navigaturis. Sic Anna soror Didoni suadet ut Æneam detineat, Æn. IV, 52 :

Dum pelago desævit hyems, et aquosus Orion,
Quassataque rates, et non tractabile cælum.

Sic et ipsa Dido fugientem jam Æneam orat : ibid. 430 :

Expectet facilemque fugam, ventosque ferentes.

Inest et alia quædam, in hoc ipso et sequenti versu Virgil. imitatio, quam, etsi longius paulo detortam, adducere non pigebit, quo melius poetæ utriusque innotescat ingenium. Hunc porro locum,

... Strataque æqualiter unda,
Cæruleis Triton per mare curret equis.

Nemo non e Virgilio adumbratum senserit : Æn. I, 158 :

... Æquora postquam
Prospiciens genitor, cæloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.

— *Ponent*. Ita passim Noster et alii loquuntur; sed subintelligi debere *mare*, vel *undas* docet locus Horatii : lib. I, Od. 3, ubi de Noto :

... Tollere, seu ponere vult freta. B.

53. *Quid si nescires. Nescieris*, tres libri : bene; ultima producta. Similiter in *dederis*, *tuleris*, alibi produxit ultimam : ratio est, quod interdum quartam syllabam producebant, in *nescieritis*, et *audieritis*, similibusque: quod non vidit Cl. Vir

Expertæ toties tam male credis aquæ?
Ut pelago suadente etiam retinacula solvas,
Multa tamen latus tristia pontus habet.
Nec violasse fidem tentantibus æquora prodest:
Perfidiæ pœnas exigit ille locus.
Præcipue quum læsus Amor; quia mater Amoris
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.
Perdita ne perdam timeo, noceamve nocenti;
Neu bibat æquoreas naufragus hostis aquas.
Vive, precor: sic te melius, quam funere, perdam:
Tu potius leti causa ferare mei.
Finge, age, te rapido, (nullum sit in omine pondus!)
Turbine deprendi: quid tibi mentis erit?
Protinus occurrent falsæ perjuria linguæ,
Et Phrygia Dido fraude coacta mori.
Conjugis ante oculos deceptæ stabit imago

Gerard. Vossius, qui in opere Grammatico complura exempla hanc in rem adfert. HEINS.—*Insana æquora.* Eodem modo, Ep. 1, dixit *insanas aquas.* CIOF. *Vesana* est in Vossii excerptis.

54. *Tam male.* Vaticanus et Lovaniensis, *quam male*, ut per interrogationem legatur. Francius malebat sine interrogatione, *expertæ toties te male credis aquæ*; vel, *quam bene credis aquæ.* BURM.

59. *Quia mater Amoris, Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.* In Epist. ad Helenam, 24:

In mare nimirum jus habet orta mari.

Ausonius: *Orta mari, suscepta solo* etc. CIOF.

61. *Perdita ne perdam timeo, noceamve nocenti.* Excidit vere calamus toties adnotanti inanem hunc *antithetorum* fragorem, quibus ubique scintillat Ovidiana oratio; unde fit, ut fulgore quidem perstrictus lector stupeat aliquando; incalescat vero rarissime.

64. *Causa ferere. Ferare,* Junianus et Douzæ codex, ut sit optantis: mox pro *rapido*, Argentinensis et unus Patavinus *trepido*, ut ad omen referatur. HEINS.

65. *Nullum sit in omine pondus.* Vim nullam omen istud habeat, ideoque *finge* dixit. Æneæ ob oculos naufragii sistit imaginem, qua territus, consilium, si possit, mutet.

69. *Conjugis ante oculos deceptæ stabit imago. Tristis* etc. Vividius Maro, Æneid. lib. IV, 386:

Omnibus umbra locis adero; dabis, improbe, pœnas.

Sed ipsum Æneam hic adloquitur, et *accensa* quidem: illic vero *scribit* tantum; et non nihil differt a recto

Tristis, et effusis sanguinolenta comis.
Quidquid id est, totum merui, concedite, dicas:
Quæque cadent, in te fulmina missa putes.
Da breve sævitiæ spatium pelagique tuæque:
Grande moræ pretium tuta futura via est.
Nec mihi tu parcas; puero parcatur Iulo.
Te satis est titulum mortis habere meæ:
Quid puer Ascanius, quid Di meruere Penates?
Ignibus ereptos obruet unda Deos.
Sed neque fers tecum: nec, quæ mihi, perfide, jactas,
Presserunt humeros sacra paterque tuos.
Omnia mentiris: nec enim tua fallere lingua
Incipit a nobis, primaque plector ego.

sermone, qui sermo chartis transmittitur. Notandum quoque in Ovidio, qua arte in subsequentem versum remittatur vox *tristis*, quæ sic collocata, lectorem cogit imagini subsistere.

71. *Quidquid id est, totum merui, concedite, dicas.* Loci sensus est: Dicas, exclames; quidquid illud pœnæ est, quod mihi immittitur, totum meruisse me fateor. At vos, o superi, concedite, condonate mihi peccatum. Eodem modo Sil. Italicus, VI, 582:

Quidquid id est, dum non vinctum Carthago catenis
Abripiat, pœnæque instauret monstra paternæ,
Gratum est, o superi!

75. *Nec mihi tu parcas. Tu curæ*, Puteaneus et alii nonnulli ex potioribus. Codices Andreæ Schotti in Observationibus, *Nec mihi parcatur.* Non *invenuste*: quomodo et tres ex nostris. Similis vero huic loco, Epist. XIX, 205:

Si tibi non *parcis*, dilectæ *parce* puellæ. H.

— Non modo non *venustum*, sed prædurum, incipiente præsertim versu, istud *parcatur.*

77. *Quid Di meruere Penates?* Qui fuerint Dii Penates, ambigitur. Alii enim Jovem, Junonem ac Minervam fuisse aiunt: alii Neptunum et Apollinem; alii denique Cælum ac Terram. Ex scriptore Timæo refert Dionys. Halicarn. Antiquit. I, caducæa fuisse ærea et ferrea, Trojanamque terram fictilem. Hoc fama tantum: sed mox asserit vidisse se in templo quodam Romæ *Penates*, qui Trojani dicebantur, forma duorum juvenum hastatorum, habitu sedentium. Hi tamen Castor et Pollux esse non possunt, quum fratres essent Helenæ: Penates vero, multo antiquiores. — Sic Ruæus, ad Æn. II, 717.

79. *Sed neque fers tecum* etc. Insignem *pietate* virum mendacii tentat arguere. Qui enim *pius* in Deos et patrem, qui perfidum se erga Didonem præstiterit?

Si quæras, ubi sit formosi mater Iuli?
Occidit, a duro sola relicta viro.
Hæc mihi narraras; at me movere merentem:
Illa minor culpa pœna futura mea est.
Nec mihi mens dubia est, quin te tua numina damnent:
Per mare, per terras septima jactat hiems.
Fluctibus ejectum tuta statione recepi,
Vixque bene audito nomine, regna dedi.
His tamen officiis utinam contenta fuissem,
Et mihi concubitus fama sepulta foret!

83. *Si quæras ubi sit formosi mater Iuli* etc. Creusa, Priami regis et Hecubæ filia, Æneæ uxor. — Eo gravius inde petit argumentum Dido in Æneam, quo ipse rem exponit obscurius; Æn. II, 739:

Substitit, erravit ne via, seu lassa resedit,
Incertum; nec post oculis est reddita nostris.

Et cogitur in numen *male amicum*, quod *confusam* ipsi *mentem eripuit*, derelictæ conjugis scelus rejicere. Unde scriptores quidam hanc ab Ænea occisam volunt, ex pactione cum Græcis, ne quid ex Priami sanguine superesset. Virgilium Pausanias, in Phocæis sequutus est: ἐπὶ τῇ Κρεούσῃ λέγουσιν, ὡς ἡ θεῶν μήτηρ καὶ Ἀφροδίτη δουλείας ἀπὸ Ἑλλήνων αὐτὴν ἐῤῥυσάντο.

85. *Hæc mihi narraras* etc. Variant hic vehementer codices: in Scriveriano erat vulgata quidem lectio, quæ sic, a prim. edd. *at me movere merentem: illa minor culpa pœna futura mea est;* sed adscriptum pro varia lectione, *nec eram corruptior inde.* In Regio, post *narrabas*, erat spatium vacuum, sed in margine vulgata scriptura. In Francof. erat pro *ure*, *jure*. Ego ex vestigiis veterum puto sic refingi commode posse:

Hæc mihi narraras; nec me movere: merentem
Ure! minor culpa pœna futura mea est.

Hoc sensu: debueram ex ipsa tua narratione, de uxore Creusa prodita, perfidiam tuam didicisse etc.; quare me quoque *ure*, ut Creusam in igne et flammis prodidisti; illa enim pœna minor adhuc culpa mea erit. Burm. — Totus adsentiar interpreti sagacissimo; nisi quod verbum *urere*, non eo, quo vir doct., sensu accipiendum existimem. De amore Dido intelligit, et dicit; *ure me;* fac insano, ut merui, amore peream. Nihil hic ad Trojæ incendium. Servanda igitur vet. lectio, nec ita recentibus, facile credendum, quamvis Burmanni sententiam toto animo doct. Lennep. amplectatur.

87. *Quin te tua numina damnent. Munera*, multi ex scriptis. Puteaneus, *Quin tete munera damnant:* quod omnino repugnat. De Diis certe Æneæ comitibus jam supra egerat. H. In Regio et Francof. erat, *te mea munera;* sed optimam credo Moreti codicis lectionem: *Quin te tua crimina damnent.* Burm.

92. *Sepulta.* Lincolniensis *relicta:* male: vid. ad Petron. Fragment., p. 676. Burm. — Adde quod multo magis ad sensum, *sepulta.*

Illa dies nocuit, qua nos declive sub antrum
Cæruleus subitis compulit imber aquis.
Audieram vocem; Nymphas ululasse putavi:
Eumenides fatis signa dedere meis.
Exige, læse pudor, pœnas, violate Sichæo:
Ad quem, me miseram! plena pudoris eo.
Est mihi marmorea sacratus in æde Sichæus:

93. *Illa dies nocuit, qua nos declive sub antrum Cæruleus subitis compulit imber aquis.* Non possum quin huc adferam celeberrimum Virgil. locum, Æn. IV, 165. Nunquam occurrit frequentior, qui satis nunquam perlegitur:

Speluncam Dido, dux et Trojanus eamdem
Deveniunt: prima tellus et pronuba Juno
Dant signum: fulsere ignes et conscius æther
Connubii, summoque ululârunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus lethi, primusque malorum
Causa fuit: neque enim specie famave movetur;...

96. *Eumenides fatis signa dedere meis.* Forte legendum, auctore Lennep. *Eumenides fati signa dedere mei.* Quid enim, ait, *signa dedere fatis;* nisi forte *Parcas* intelligi velis, quibus *signa* dederint *Eumenides*, ut stamina Didoni nerent infausta? — Pro *fatis*, scribendum Burmann. conjiciebat *thalamis*.

97. *Exige, læse pudor, pœnas violate Sichæo.* Vix sanus hic locus Lennep. videtur. Putares, inquit, violatum *a Sichæo* pudorem, quum contra mens Didonis esse debeat violatam *a se* fidem, quam *Sichæo* servaturam se promiserat. *Fides cineri promissa Sichæo!* Virgil. Omnis igitur hic difficultas in verbo *Sichæo;* nec diffitendum esse non nihil in phrasi, præter Ovidii morem, quod non ita facile aspectu primo perspicias. Mentem vero Poetæ hanc esse crediderim: o pudor, quem violavi, pœnas a me debitas exige pro *Sichæo;* id est, vindicem te præstes Sichæi conjugis. Inde paulo post: *Venio tibi debita conjux.* Possit quoque: pudor, quem *læsi*, quem violavi erga Sichæum etc.

98. *Ad quem, me miseram! plena pudoris eo. Quas*, scripti omnes. Occuparat jam editiones nonnullas *Ad quam;* nec auderem id damnare, si scriptorum codicum auctoritate inniteretur; ut hæc, non minus quam sequentia, ad statuam referantur Sichæi, quam aditura sit Dido. Præterea scribe, *plena ruboris*, ne toties eodem vocabulo utatur, prorsus inconcinne: nam et *pudor* proximo præcesserat versu; et mox subsequitur denuo, *admissi tarda pudore mei.* HEINS. — Non ita me, quæ virum præstantissimum, offendit vox *pudor* iterum a Didone repetita. Solus hic miseram occupat sensus; nec improvisam certe rem sequuntur verba. Quinimo, verbi repetitionem si tollas, evanescat omnino sententiæ vis, aut frigescat saltem, necesse est.

99. *Est mihi marmorea* etc. Totum hoc e Virgilio, IV, 457:

... Fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, magno quod honore colebat,
Velleribus niveis, et festa fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces, et verba vocantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret:
Solaque culminibus ferali carmine bubo etc.

Adpositæ frondes velleraque alba tegunt.
Hinc ego me sensi noto quater ore citari.
Ipse sono tenui dixit : Elissa, veni.
Nulla mora est; venio : venio tibi debita conjux :
Sed tamen admissi tarda pudore mei.
Da veniam culpæ; decepit idoneus auctor :
Invidiam noxæ detrahit ille meæ.
Diva parens, seniorque pater, pia sarcina nati,
Spem mihi mansuri rite dedere tori.
Si fuit errandum, causas habet error honestas.
Adde fidem; nulla parte pigendus erit.
Durat in extremum, vitæque novissima nostræ
Prosequitur fati, qui fuit ante, tenor.
Occidit internas conjux mactatus ad aras :

100. *Velleraque alba.* Lanam niveam, recte ex Virgilio, interpretes esse docent.

104. *Admissi tarda pudore mei.* Nescit qua fronte conjugem antiquum apud inferos sit aditura; is violatæ fidei pudor!

105. *Decepit idoneus auctor.* Intelligas seu de genere ipso Æneæ; seu ironice, de arte qua miseram deceperit : quod tamen minus probabile.

106. *Invidiam noxæ detrahit.* Culpam auctor minuit.

107. *Diva parens* etc. Excusat se apud Sichæum, et causas pergit deducere, quæ *noxæ invidiam* possunt *detrahere*. Amorem enim, Æneæ genus; pietas in Deos, fidem; et in ætate provectum patrem devotio, mansuros affectus polliceri videbantur.

110. *Adde fidem.* Quam dederat, et fallit Æneas.

113. *Internas ad aras.* Coram Diis Penatibus, quibus aræ sacrabantur in interiori domus parte. De morte autem Sichæi Virgil. I, 350, sqq. Vix credibile quot in errores inciderint, qui lectionem vitiosam *in terras*, vel *ad terras*, aut *in terris*, certatim vitiosius emendare tentaverunt; qui, si cogitassent quam facili lapsu in MSS. menda illaberentur, transpositis, aut permutatis aliquot literis, ut qui Mycillum præcesserunt, nullo fere labore restituissent *internas*, quod integrum præbebat male recepta lectio *in terras*, mutato tantum *r* in *n*. Sicharbas autem, quem *Sichæum* Virgilius dixit, quia nomen asperius, Herculis sacerdos fuit, et Didonis avunculus, testibus App. Alex. in Libycis, et Justin. XVIII, quorum auctoritate fretus, *Herculeas aras* legendum Mycillus censebat : Heinsius vero, *Herceas;* quod si non placeret, *infernas* proponebat. Quæ invaluit, lectionem bis Maro tuetur, et Æn. I, 354; *ille* (Pygmalion) *Sichæum* etc. et IV, 20 : *Anna, fatebor enim, miseri post fata Sichæi* etc.

Et sceleris tanti præmia frater habet.
Exsul agor; cineresque viri patriamque relinquo:
Et feror in duras, hoste sequente, vias.
Applicor ignotis: fratrique elapsa, fretoque,
Quod tibi donavi, perfide, litus emo.
Urbem constitui, lateque patentia fixi
Mœnia, finitimis invidiosa locis.
Bella tument: bellis peregrina et femina tentor:

116. *In duras. Dubias*, Basileensis: sic sæpe alibi; ut et *fallaces vias*, I. II. Amor. XI, 8; quoties de mari agitur. HEINS. Recte, et ita esset de navigatione, quæ dubia et periculosa, capiendum; ut *ambiguas* dixit, Epist. X; 62; et Epist. XVI, 22, *dubias* etiam dixit: sic sæpe *dubium* mare, aquam etc., passim Noster et alii: præfero tamen hic consensum codicum, ut *duræ* viæ sint laboriosæ et plenæ jactationis. Ita Valer. Flac. Argonaut. lib. I, 566:

... *Durum* vobis iter et grave cæli
Institui: sic ecce meus, sic orbe peracto etc.

Cato quoque, apud Lucan. IX, 385:

Durum iter ad leges, patriæque ruentis amorem.

Ita contra *molle iter*, II, Amor. XVI, v. 20: has vero voces *durus* et *dubius* frequentissime confuderunt librarii. BURM.

117. *Applicor ignotis.* Puto Ovidium scripsisse, *Applicor his oris*, ut apud Virgilium, I, 616:

... Quæ vis immanibus applicat oris?

Applicare remos vadis. Trist. III, Eleg. IX: *Scopulis applicare ratem.* Propert. lib. I, Eleg. XX. Donatus ad illud Terent. Andr. Act V, Sc. IV: *Applicat se ad Chrysidis patrem; proprie*, inquit, *de naufrago et egenti.* Epist. Parid. 126: *Applicor in terras.* Enn. Fragm. p. 19. Edition. Scriveriana *quo applicer:* ita legendum, pro *applicem.* HEINS. *Ignaris* Moreti codex, ut sæpe alibi, pro *ignotis.*

118. *Litus emo.* Qui Carthaginem a Didone conditam scripserunt, App. in Lybicis: Eustath. ad Dionys. Herodian. V, et T. Liv. I, c. 44, in hoc consentiunt, ab Iarba Getulorum rege, mercatam fuisse solum, facti de nomine Byrsam:

Taurino quantum *posset* circumdare tergo.

Quod ubi obtinuit, corio tenuissimas in partes conciso, stadia occupavit duo et viginti. Intelligit Donatus (ad Æn. I, 37.) de pecunia e bubulo corio, quæ his temporibus in usu erat, quibus Dido urbis solum mercata sit. Themisth. vero, Orat. I, corium non respuit, sed concessum ab Africanis, non divenditum fuisse solum affirmat.

119. *Lateque patentia fixi Mœnia.* Breviter, et jam jam moritura Dido ea quoque recenset apud Virg. IV, 655, quæ nomen suum posteris commendarent:

Urbem præclaram statui; mea mœnia vidi:
Ulta virum, pœnas inimico a fratre recepi.

— *Finxi*, Putean. et decem alii. Novem, *feci.*

121. *Bella tument.* Parantur, imminent; in eo sunt, ut brevi irrumpant. Sic dixit Virgil. *aperta* adhuc bella, *tumescere.* Georg. I, 465. — *Tument.* Parenti meo non placebat

Vixque rudes portas urbis et arma paro.
Mille procis placui, qui me coiere querentes,
Nescio quem thalamis præposuisse suis.
Quid dubitas vinctam Gætulo tradere Iarbæ?
Præbuerim sceleri brachia nostra tuo.
Est etiam frater, cujus manus impia poscit
Respergi nostro, sparsa cruore viri.
Pone Deos, et quæ tangendo sacra profanas:
Non bene cælestes impia dextra colit.
Si tu cultor eras elapsis igne futurus,
Pœnitet elapsos ignibus esse Deos.
Forsitan et gravidam Dido, scelerate, relinquas;

tument: quare insistendum vestigiis Codd. Lugdun. et Scriverii, in quibus *timent*; et legendum, *bella timens*, vel, *bella tonant*, censebat. Claud. III. Cons. Honor. 63: *Civilia rursus bella tonant.* Sed pro vulgata est illud Paterculi, lib. II, c. 15: *Mors Drusi jam pridem tumescens bellum excitavit Italicum.* HEINS. Vulgata recte se habet. — *Femina tentor.* Tentant, volunt experiri gentes finitimæ, quid *femina* possim et *peregrina*, ad defendendam urbem quam statui; et propter te bellum mihi indicunt.

122. *Vixque rudes.* Portæ recte *rudes* possent intelligi, nondum arte fabrili perfectæ et politæ; ut *rudes remi*, Claud. Præf. in Rapt. Proserpinæ, et *rude solium.* Sed quum in Puteanei excerptis sit, *virque rudis*; in Leidensi *ad arma*, ego ex vestigiis eorum legere mallem:

Vixque rudis portas urbis ad arma paro.

Ut sit sensus: ego femina, rudis ad arma, vix paro portas urbis, vel etiam, vix paro portas urbis rudis ad arma. Sic infr. Ep. XI, 48, *rudis ad partus*; *rudis ad Veneris furtum.* Ep. XVII, 141, et Justin. I, 1, *rudes ad resistendum populos.*

124. *Nescio quem.* Vox contemtus est, qua reges isti Æneam designabant, cujus fama ad eos nondum pervenerat. Audias licet Iarbam, Æn. IV, 215:

Et nunc *ille Paris*, cum *semiviro* comitatu,
Mæonia mentum mitra, crinemque madentem
Subnexus, rapto potitur!

126. *Præbuerim.* Douza legebat *præbueram.*

127. *Poscit. Possit*, constanter libri veteres, quos sequor: nisi legendum, *poscat.* HEINS.

129. *Pone Deos.* Omitte Deos testari, nec tangas sacra, quæ polluis tangendo; et causam addit:

Non bene cælestes impia dextra colit.

133. *Forsitan et gravidam Dido* etc. Elegantius multo, et decentius simul nostra apud Virgil. Æneid. IV, 327:

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles; si quis mihi parvulus aula
Luderet Æneas!

Nihil habet hujusmodi sermo, quod non honestissimum quemque lec-

Parsque tui lateat corpore clausa meo.
Accedet fatis matris miserabilis infans,
Et nondum nato funeris auctor eris.
Cumque parente sua frater morietur Iuli;
Pœnaque connexos auferet una duos.
Sed jubet ire Deus! Vellem vetuisset adire;
Punica nec Teucris pressa fuisset humus.
Hoc duce, nempe Deo, ventis agitaris iniquis,
Et teris in rapido tempora longa freto.
Pergama vix tanto tibi erant repetenda labore,
Hectore si vivo, quanta fuere, forent.
Non patrium Simoënta petis; sed Tybridas undas.
Nempe, ut pervenias quo cupis, hospes eris;
Utque latet, refugitque tuas abstrusa carinas,

torem vehementer commoveat : et flenti sic, ultro quis non adfleat? Quos vero commiserationis sensus in illam experiaris, quæ culpam nedum dissimulet, jactat ostentatrix libidinosa! quam crudæ et inhonestæ voces!

134. *Lateat. Latitat*, Colinæi et Bersmanni, et priores aliquot editiones, quæ et *relinquis*. Male.

135. *Accedat fatis matris*. Malim *matris fato*, ne tres voces in *is* exeant : ita vers. 187 :

Quam bene conveniunt *fato* tua munera nostro. B.

136. *Nondum nati*. Scribe *nato*, ut ambiguitas vitetur; et ita Slichtenhorstius. HEINS.

139. *Sed jubet ire Deus! vellem vetuisset adire*. Objicit ironice Dido, quod Æneas objecerat, Deorum scilicet mandata, quæ Italiam *non sponte* sequi jubebant; et optat *vetuisset* Deus iste Æneam Didonem *adire*, quum tam docilem in *fugienda* invenerit.

141. *Hoc duce* (*nempe Deo!*) Ironice. Si enim te, inquit, Jupiter, ut dicis, Apollo, aut Mercurius, vel dea mater *ducerent*, cur *Italiam* semper fugientem, tot inter terræ marisque pericula, et tot annis frustra quæreres?

145. *Sed Tybridas undas*. Tiberis, Tibris appellatus, prius Albula, quod *albescentes* aquas volveret. Tiberis vero dictus, propter Tiberinum, regem Latinorum, qui ibi interierit; nam hic ejus, ut aiunt, sepulchrum. (Varr. de Ling. Lat. IV.) Quod quidem nomen servavit, sed varie scriptum : nam, teste Servio, ad Æneid. VIII : « In sacris *Tiberinus;* in coenolexia, *Tiberis;* in poem., *Tibris* vocatur. »

146. *Hospes eris*. Gebhardus notaverat in ora codicis sui se existimare legendum, *Hostis eras*. Non probo. BURM.

147. *Utque latet refugitque tuas. Vitatque tuas*, Puteaneus et alii quidam : sic Virgilio, V, 629:

Italiam sequimur *fugientem*.

Abstrusa etiam meliores. Alii aliter,

Vix tibi continget terra petita seni.
Hos populos potius in dotem, ambage remota,
Accipe; et advectas Pygmalionis opes.
Ilion in Tyriam transfer felicius urbem:
Hancque, locum regni, sceptraque sacra tene.
Si tibi mens avida est belli, si quærit Iulus
Unde suo partus Marte triumphus eat;
Quem superet, ne quid desit, præbebimus hostem.
Hic pacis leges, hic locus arma capit.
Tu modo, per matrem, fraternaque tela, sagittas,
Perque fugæ comites, Dardana sacra, Deos:
Sic superent, quoscunque tua de gente reportas,

eodem tamen omnes sensu hunc versum libri exhibent. Heins. Immo vero *diverso sensu* multi codices hunc versum exhibent: nam in Regio, Juniano et sex aliis erat: *Utque juvet ventusque tuas, remusque carinas;* et octo alii eodem fere modo, nisi quod *remus* et *ventus* transponant. Leidensis: *Utque juvet velumque tuas ventusque carinas.* Scriverii: *Ut moveas remoque tuas ventoque carinas.* In alio erat: *Utque volet remusque tuis ventusque carinis;* ut *volet carinis* sit dictum, ut *alicui velle*, pro favere, Stat. XI. Theb. 510; et dubito valde, an non ad sensum accommodatior sit Regii codicis scriptura, *at velit;* licet prosperrima utaris navigatione, vix tamen pervenies in terram, quam petis, ante senectutem. *Juvare* vero proprie ventus dicitur, ut sæpe apud Nostrum et alios. Burm.

149. *Hos populos potius in dotem ambage remota. Potius populos* cum quibusdam lege, ut versui et metro consulatur: *ambage remissa* deinde meliores; et *Pygmalionos*, sequenti versu, Puteaneus. Sic *incæptum opus remittere*, et *remittere incæpta fila* Noster alibi. — Scribo *avectas opes*. Heins.

152. *Hancque, locum regni, sceptraque sacra tene.* In Puteaneo totus hic versus erat erasus; sed sic, ut liqueret scriptum fuisse *sceptraque sacra:* quod et in aliis plurimis extat. Heins. — Ego ex vestigiis Barberini, Vossiani et Leidensis codicum recepi:

Hancque, locum regni, sceptraque sacra tene.

Hanc urbem, non illam, quam in Italia quæris, tene locum regni tui, et ibi sceptra sacra habe. Burm. — Omnes ante Burmann. edd. *Inque loco regis, sceptra sacrata tene.* Sensu, inquit Lennep. satis probabili, sed languide enunciato. Unde conjiciebat ipse:

Nomen et hic regis, sceptraque sacra tene.

155. *Quem superet. Quod superest,* Puteaneus et alii ex melioribus. Forte *Quos superet... hostes.* Heins.

157. *Tu modo per matrem.* Sic cum decem scriptis: alii, *patrem.* De patre mox aget. Erfurtanus *per Venerem:* quod alterius interpretamentum est. Heins.

Mars ferus et damnis sit modus ille tuis,
Ascaniusque suos feliciter impleat annos,
Et senis Anchisæ molliter ossa cubent!
Parce precor domui, quæ se tibi tradit habendam.
Quod crimen dicis, præter amasse, meum?
Non ego sum Phthias, magnisve oriunda Mycenis:
Nec steterunt in te virque paterque meus.
Si pudet uxoris; non nupta, sed hospita dicar.
Dum tua sit Dido, quidlibet esse feret.
Nota mihi freta sunt Afrum frangentia litus:
Temporibus certis dantque negantque viam.
Quum dabit aura viam, præbebis carbasa ventis.

162. *Molliter ossa cubent.* Timebant in primis veteres, ne, quæ mortuorum corporibus superjaciebatur terra, premeret gravius; ideoque levem et contritum pulverem tumulo injiciebant, hæc precati: *Sit tibi terra levis! — Cubent.* Quiescant. Sic apud Maronem Gallus, Eclog. x, 33:

... O mihi tum quam molliter ossa quiescant!

164. *Præter amasse.* Hæc est genuina lectio, quam Vaticanum exemplar habet. Crof. *Amare*, alii.

165. *Non ego sum Phthia. Phthias,* Puteaneus cum emendatioribus novem aut decem aliis: vere: fœmina *Phthias* et *Phthiotis.* Euripidis Andromache sic de se ipsa ad Chorum; *Andromach.* 119:

Φθιὰς, ὅμως ἵμολον ποτὶ σὰν Ασεήτιδα γύναν.

Apollon. Rhodius, Argon. I, 53:

Τοῖσι δ' ἔπι τρίτατος γνωτὸς κλέε νισομένοισιν
Αἰθαλίδης· καὶ τὸν μὲν ἐπ' Ἀμφρύσσοιο ῥοῇσι
Μυρμιδόνος κούρη Φθιὰς τέκεν Ἐυπολέμεια.

Euripidis exemplum producit Stephanus Byzantinus, in Φθία. Heins.

168. *Quidlibet esse feret. Quodlibet*, Puteaneus et alii meliores. Propertius tamen, II, 11, 18:

Si cuivis nuptæ quidlibet esse licet.

Sed et ibi forte scribendum *quodlibet:* malo etiam *sim* et *feram:* sic enim amat Noster. Heins.

169. *Nota mihi freta sunt.* Arguit a natura Libyci maris, quod Didoni magis, quam Æneæ notum erat. — *Frangentia.* Alii *tangentia.* Puto scribendum *plangentia.* Virgil. Georg. I. I, 334:

Nunc nemora ingenti vento, nunc litora *plangunt.*

Ita Heinsius: sed vulgatam contra Heinsium tuetur Burmann. quod *fluctus a litore frangi* passim a poetis dicantur, non *litus a fluctibus. Radentia* Burmanno secundo placuerat, Anth. Latin. tom. I, p. 490.

170. *Negantque viam.* Forte, *fugam*, quia sequitur: *quum dabit aura viam.* H. — Eo libentius adsentiar, quod *fugam* semper Dido Æneæ discessum vocat; sed malim in versu posteriori.

Nunc levis ejectam continet alga ratem.
Tempus ut observem, manda mihi; certius ibis:
Nec te, si cupies ipse, manere sinam.
Et socii requiem poscunt; laniataque classis
Postulat exiguas semirefecta moras.
Pro meritis, et si qua tibi debebimus ultra,
Pro spe conjugii tempora parva peto:
Dum freta mitescunt, et amor; dum tempore et usu
Fortiter edisco tristia posse pati.
Sin minus; est animus nobis effundere vitam.
In me crudelis non potes esse diu.
Adspicias utinam, quæ sit scribentis imago!
Scribimus; et gremio Troicus ensis adest:
Perque genas lacrimæ strictum labuntur in ensem;
Qui jam pro lacrimis sanguine tinctus erit.
Quam bene conveniunt fato tua munera nostro!
Instruis impensa nostra sepulcra brevi.

175. *Et socii.* Forte *en.* HEINS.

177. *Debebimus ultra. Ultro*, Puteaneus et Argentinensis; hoc est, si quid tibi debebimus, quod vincat mea beneficia. HEINS. Neque verba Ovidii, neque Heinsii interpretationem satis recte capio; nec puto nos obtestari et rogare per ea, quæ debemus alteri; neque etiam *debere ultro* eleganter dici: quare Vossiani codicis scripturam amplectimur, et legimus:

Pro meritis, et si qua tibi præbebimus ultra.

Rogat, ut aliquid sibi reddat pro tot meritis, quibus jam eum prosequuta est, et pro illis, quæ adhuc præter ea libens est præbitura. BURM.

179. *Dum freta mitescunt et amor; dum tempore et usu fortiter edisco* etc. Legebatur olim, *Dum freta* etc., *et amor dum temperat usum, fortiter ediscam* etc. Præsentem lectionem restituit Salmasius, e probatissimo Puteaneo, et eam toto animo amplexus est, ut testatur ipse, Meziriacus, Comment. in Ep., tom. II, pag. 223.

180. *Dum tempore et usu fortiter edisco* etc. Virgil. quoque, IV, 434:

Dum mea me victam doceat fortuna dolere!

184. *Et gremio Troicus ensis adest. Ensis*, quem illi ipse Æneas dono dederat, et de quo Virg. IV, 646: *Non hos quæsitum munus in usus!*

188. *Instruis impensa.* Argute; *impensa* non pro sumtu capiendum, quod volunt interpretes, sed pro re qualibet ad ornandum sepulcrum idonea. *Instruere* pro ornare, dictum Fast. II, v. 318. Quomodo *instruere hortos*, Tacito libro XV. *Asiam novis urbibus instruere*, Tertullian. de Pall.

Nec mea nunc primo feriuntur pectora telo :
Ille locus sævi vulnus Amoris habet.
Anna soror, soror Anna, meæ male conscia culpæ,
Jam dabis in cineres ultima dona meos.
Nec, consumta rogis, inscribar : Elissa Sichæi!
Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit :
Præbuit Æneas et causam mortis et ensem ;
Ipsa sua Dido concidit usa manu.

nam alia significatione Solinus, cap. primo Polyhistoris, *posuisse sedes, instruxisse mœnia*, pro struxisse aut condidisse, dixit. HEINS.

193. *Nec inscribar, Elissa Sichæi.* Nam in tumulis mulierum inscribebantur maritorum nomina. Sic apud Lucan. II, 343 :

... Liceat tumulo scripsisse : CATONIS MARCIA.

194. *Tumuli.* Codex chartaceus Car. Strozzæ, *tituli. Titulus* est inscriptio. Am. II, XII, 25 :

Adjiciam *titulum* servata Naso Corinna. H.

Sed rectius *marmor tumuli* dici puto : quum *titulus marmoris* potius, quam *tituli marmor* dicendum esset, et Virgilii locus ab aliis productus, *tumulo superaddite carmen*, satis hoc evincit : passim vero permutari a librariis *titulum* et *tumulum* frequentius videbimus.

196. *Ipsa sua Dido concidit usa manu.* Ignorat nemo totam hanc fabulam, cui Ennius in Annal. præluserat, a Virgilio excogitatam, et contra fidem historiæ, arte mira et ad maximam Romanæ Poeseos laudem, in carmen suum inductam fuisse. Servius ad I Æneidos : « Dido nomine *Elissa* antea dicta est : sed post interitum, a Pœnis *Dido* appellata, id est, *virago*, punica lingua, quod quum a suis civibus cogeretur cuidam de Afris regibus (Iarbæ) nubere, et prioris mariti amore teneretur, forti se animo interfecerit, et in pyram injecerit, quam se, ad expiandos prioris mariti manes, exstruxisse, fingebat. » Fusius Justinus, lib. XVIII, cap. 5. Exstat ea de re in Antholog. Græc. IV, 9, epigramma lepidissimum, quod, etsi paulo longius, lectori ægre invideamus.

ΕΙΣ ΕΙΚΟΝΑ ΔΙΔΟΥΣ.

Ἀρχέτυπον Διδοῦς ἐρικυδέος, ὦ ξένε, λεύσσεις,
Εἰκόνα, θεσπίσεω κάλλεϊ λαμπομένην.
Τοίη καὶ γενόμην· ἀλλ' οὐ νόον οἷον ἀκούεις,
Αἰσχρὸν ἐπ' εὐφήμοις δόξαν ἐνεγκαμένη.
Οὐδὲ γὰρ Αἰνείαν πότ' ἐσέδρακον, οὐδὲ χρόνοισι
Τροίης περθομένης ἦλυθον ἐς Διβύην·
Ἀλλὰ βίας φεύγουσα Ἰαρβαίων ὑμεναίων,
Πῆξα κατὰ κραδίης φάσγανον ἀμφίτομον.
Πιερίδες, τί μοι ἀγνὸν ἐφωπλίσσασθε Μάρωνα;
Τοῖα καθ' ἡμετέρης ψεύσατο σωφροσύνης.

Latinum fecit Ausonius Burdigalensis, Epigr. CXI, vel CXVIII; variant quippe Editiones.

IN DIDUS IMAGINEM.

Illa ego sum Dido vultu, quem conspicis, hospes,
Assimilata modis pulchraque mirificis.
Talis eram; sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens;
Vita nec incestis læta cupidinibus.
Namque nec Æneas vidit me Troius unquam,
Nec Libyam advenit classibus Iliacis.
Sed furias fugiens, atque arma procacis Iarbæ,
Servavi, fateor, morte pudicitiam,
Pectore transfixo, castus quod perculit ensis,
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse juvat: vixi sine vulnere famæ:
Ulta virum, positis mœnibus, oppetii.
Invida cur in me stimulasti, Musa, Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis, lectores, credite de me,
Quam qui furta Deum concubitusque canunt
Falsidici vates, temerant qui carmine verum;
Humanisque Deos assimilant vitiis.

Denique, ut nihil Lector desideret, ex his quæ ad Didonem nostram pertinent, addam quoque illius Epitaphium, notissimum certe, quod ita lusit idem Ausonius: est inter *Epitaphia* trigesimum.

Infelix Dido, nulli bene nupta marito!
Hoc pereunte fugis; hoc fugiente peris!

Quod sic gallice quidam e nostris, non ita infeliciter, imitatus est:

Pauvre Didon, où t'a réduite
De tes maris le triste sort!
L'un en mourant cause ta fuite,
L'autre en fuyant cause ta mort!

Charpentier.

EPISTOLÆ OCTAVÆ

ARGUMENTUM.

Oresti, Agamemnonis et Clytemnestræ filio, desponsata fuerat Hermione, a Tyndaro, avo ejus materno, cui domum suam Menelaus, dum ad Trojam iret, commendaverat. Sed facti inscius, Hermiones pater, Pyrrho quoque eam promisit, qui ab excidio Trojæ tandem reversus, sponsatam rapuit. Quum vero Orestis amorem anteferret Hermione, clam eum monet, hac Epistola, ut e vinculis Pyrrhi exsolvat; et hoc quidem facile admodum esse demonstrat. Odyss. Δ. — Euripid. in Androm. et Orest.

EPISTOLA VIII.

HERMIONE ORESTÆ.

Adloquor Hermione nuper fratremque virumque,
  Nunc fratrem; nomen conjugis alter habet.
Pyrrhus Achillides, animosus imagine patris,
  Inclusam contra jusque piumque tenet.
Quod potui, renui, ne non invita tenerer:
  Cetera femineæ non valuere manus.

1. *Adloquor.* Primum hoc distichon ab omnibus, quos vidi, libris manu descriptis abest, nisi quod in uno meo margini est adjectum, et quidem manu recentiori. Videtur autem ejusdem notæ esse, cum iis versibus, quos initio Epistolæ Œnones et Didus extare in nonnullis libris monuimus. Heins. — Etsi distichon hoc ab Ovidio profectum esse non adfirmem, hoc tamen adfirmare posse mihi videor, eo remoto, prorsus ἀκέφαλον Epistolam relinqui. Summam enim argumenti versus hi continent; et, quod alias ad versum usque 59, frustra quæras, ipsius nomen scribentis; et præterea nescio quid coloris Ovidiani habent. Inepti vero et otiosi, qui Epistolis Œnones et Didus in libris nonnullis præfiguntur. Lennep.

3. *Achillides;* bene sic Puteaneus hic, ut in Ibin, 301. Sic *Atrides*, *Ægides*, *Pelides*, *Belides*, *Phinides*, *Thesides*, *Driantides*, *Promethides*, *Œnides*, *Amphiaraides*, et similia apud nostrum. Heins. — *Animosus imagine patris.* Animo elatus, facta patris memoria recolens, et æmulandi studio ponens ob oculos. Nec degeneravit quidem; et ipsius patri renarrat Ulysses, Odyss. Λ, 505, quæ manu et consilio Pyrrhus egregie fecerit, ad evertendam Trojam. Dictus quoque *animosus* Achilles, apud Horat. Serm. I, Sat. VII, 12.

4. *Jusque piumque.* Est idem quod *jus* et *fas*. Feminas claudi scelus est!

5. *Quod potui. Quam potui* alter Mentelianus, pro diversa lectione, cum glossa, id est *quantum:* Gottorph. *qua:* alius *quo.* Heins. Nihil muta; nam æque bene et eleganter *quod potui* dicitur. Ita Terent. Eunuch. II, 1, 9. Heaut. III, 16, et alii. Burm.

Quid facis, Æacide? non sum sine vindice, dixi:
Hæc tibi sub domino, Pyrrhe, puella suo est.
Surdior ille freto clamantem nomen Orestæ
Traxit inornatis in sua tecta comis.
Quid gravius, capta Lacedæmone, serva tulissem,
Si raperet Graias barbara turba nurus?
Parcius Andromachen vexavit Achaia victrix,
Quum Danaus Phrygias ureret ignis opes.
At tu, cura mei si te pia tangit, Oreste,
Injice non timidas in tua jura manus.
An, si quis rapiat stabulis armenta reclusis,
Arma feras? rapta conjuge, lentus eris?
Sit socer exemplo, nuptæ repetitor ademtæ,

9. *Clamantem nomen Orestæ.* Puteaneus *Orestes.* Lege *Orestæ:* non enim aliter secundum tertiumque casum ejus nominis meliori ævo efferebant: nisi quod Priscianus notet libro sexto, Ciceronem et Sallustium semel *Orestis* casu secundo enuntiasse. *Oresti* est apud Gell. lib. III, cap. 10: « Herodotus, homo fabulator, in primo historiarum, inventum esse sub terra scripsit *Oresti* corpus, cubita longitudinis habens septem. » HEINS.

10. *Traxit. Tradit* Basileensis, unde Heinsius olim faciebat *trudit.* Ego nihil muto: est enim elegans oppositio violenti raptus, et placidæ deductionis sponsæ: quam ducere debebat ornatam et comptam, eam *vi traxit inornatis capillis. In sua castra*, etiam venustius Gronov. B.

11. *Quid gravius, capta Lacedæmone, serva tulissem.* Sic prope de Cerere, Fast. IV, 593:

Quid gravius victore Gyge captiva tulissem? C.

13. *Parcius Andromachen vexavit* etc. Dejecta quippe conjuge Hectoreo, Pyrrho nupsit; quem postquam, (Æn. III, 330:)

Ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis, et scelerum furiis agitatus Orestes,
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras;

Heleno Priami filio in conjugem cessit; eoque sensu minus inique a ab Achaia victrice *vexata* dici potuit.

15. *Cura mei si te pia tangit.* Dubito an æque recte *cura pia* dicatur, ac *cura piæ sororis;* ita certe loquitur Epist. XIV, 123:

At tu si qua piæ, Lynceu, tibi cura sororis.

Quare et hic posset legi: *At te, cura piæ si te jam tangit, Oreste.* Sed parum abest, quin præferam scripturam codicis Balliolensis: *At te causa mei si te pia tangit. Pia causa* passim, pro justa, æqua: ut mox vers. 20: ubi etiam alii codices *pia cura.* BURM.

17. *Reclusis.* Non grave satis verbum, nec aptum raptori, qui vi effringere fores fingendus. Vid. XIV, Metam. 781, ubi de apertis admodum leniter foribus adhibetur. Forte scripsit *revulsis*, vel *refractis.* BURM.

Cui pia militiæ causa puella fuit.
Si socer ignavus vidua sedisset in aula,
Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.
Nec tu mille rates sinuosaque vela pararis;
Nec numeros Danai militis : ipse veni.
Sic quoque eram repetenda tamen : nec turpe marito,
Aspera pro caro bella tulisse toro.
Quid, quod avus nobis idem Pelopeius Atreus?
Et si non esses vir mihi, frater eras?
Vir, precor, uxori; frater, succurre sorori:
Instant officio nomina bina tuo.
Me tibi Tyndareos, vita gravis auctor et annis,

— Utrumque conjunxit Plautus, Captiv. Act. IV, Sc. IV, 10 :

Cellas *refregit* omnes, *recluitque* armarium.

20. *Cui pia.* Hunc et sequentem versum plerique codices non agnoscunt, sed male : pro *vacua aula*, tres libri *vidua*. HEINS.

21. *Sedisset.* Vulgo *stertisset*, quod verbum miror interpretes tam secure transire, quum certe barbarum sit : dicendum enim *stertuisset* : sed hoc respuit lex carminis. Vid. Vossium de Analog., lib. III, cap. 31. Editiones Venetæ et Gryphii cum Palatino codice, *stetisset*; quod æque vitiosum, nec versus admittit : margo Micylli et Bersmanni, *sedisset*, quod recipi posset : *sedere* enim proprie est desidis et inertis, ut vulgo notissimum ; et ita Virgilius in nostri Ovidii sensum utitur, lib. III, Georg. 456 :

... Et meliora Deos *sedet* omnia poscens.

Neque minus venustate sua se commendat Regii unius et Heinsiani alterius lectio :

Si socer ignavus vidua plorasset in aula.

Est autem adlusum ad illud, quod graviter Sallustius extulit. Catil. 52 : *Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt* etc. BURM.

23. *Nec tu mille rates.* Valde blanditur Vossiani codicis lectio, *nec mihi mille rates* etc. : est enim venustas quædam in illo pronomine *mihi*, quod vel παρῆκται, ut sæpe solet, et millies a viris doctis adnotatum ; vel hic vim suam habet, ut valeat, in meam gratiam ; ut me vindices a raptore, quemadmodum Menelaus Helenæ causa fecit. B.

24. *Nec numeros Danai militis.* Sic *numeri militares* passim. *Gallicani numeri*, et *numeri Italici* ac *Illyrici* Ammiano. Tertullianus Apologetico : *Si hostes agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum?* Græcis, στῖφαι.

31. *Me tibi Tyndareos* etc. Servius ad Virgil. Æn. III, 328 : « Hanc, inquit, Hermionem quidam dicunt, quum Oresti esset desponsata, post a Menelao apud Trojam, admirante virtutem Pyrrhi, esse promissam.

Tradidit : arbitrium neptis habebat avus.
At pater Æacidæ promiserit inscius acti;
Plus quoque, qui prior est ordine, possit avus.
Quum tibi nubebam, nulli mea tæda nocebat:
Si jungar Pyrrho, tu mihi læsus eris.
Et pater ignoscet nostro Menelaus amori:
Succubuit telis præpetis ipse Dei.
Quem sibi permisit, genero permittet amorem:
Proderit exemplo mater amata suo.
Tu mihi, quod matri pater, es : quas egerat olim
Dardanius partes advena, Pyrrhus agit.
Ille licet patriis sine fine superbiat actis;
Et tu, quæ referas, acta parentis habes.
Tantalides omnes, ipsumque regebat Achillem.

Alii dicunt a Menelao quidem apud Ilium Pyrrho desponsatam; sed a Tyndareo Oresti, morante apud Trojam Pyrrho, ut quidam, promissam; ut quidam, conjunctam, tradunt. » Posteriorem traditionem, quam primum a Sophocle vulgatam, cujus tragœdia fuit Ἑρμιόνη, verisimile fit ex Eustathio, ad Homer., Od. Δ. Lennep. — *Tyndareos.* Sic codex Leidensis, et editio Venetâ, anni 1485 : ita *Androgeos*, Ep. x, 99. Sic et alia similiter nomina Græca pronuntiatione extulit. Heins.

34. *Plus quoque, qui prior est ordine, possit avus.* Respondet objectioni quam sibi ipsa superiori versu moverat. Æquum autem Hermionæ videtur eum, qui sit *ordine* nascendi *prior*, etiam plus posse, ita ut promissione patris longe valentius censeri debeat actum avi. — *Possit*, an cum Heinsio *posset*, legas, haud multum refert. Lennep.

39. *Permittet amorem.* Vaticanus *concedit* habet : alii tamen malunt *permittet. Concedet*, plerique.

42. *Quas egerat olim.* Nonnulli, *gesserat :* reposuit Heins. *egerat*, ex optimo Puteaneo (neque aliter Barberinus, Hafniensis, Mentelianus, Francofurtensis, cum excerptis Gallicanis) quum quod latinior sit ea lectio, tum quod elegans sit repetitio *agit :* et ita statim præstat *acta parentis habes*, cum præstantioribus codicibus, quia præcessit *superbiat actis.*

43-44. *Ille licet patriis* etc. Habet sane Pyrrhus, unde *actis* paternis *superbiat;* sed ipsum hunc Achillem regebat Agamemnon : parentem igitur *referas*, Achillis filium regendo. — *Referas.* Non inconcinne reponeretur, *regeras;* sic *regerere convicia;* quamquam absit, ut vulgatam scripturam damnem. Sequenti versu Puteaneus, *ipsumque petebat Achillem*, quod non capio, quid sibi velit. Heins.

Hic pars militiæ; dux erat ille ducum.
Tu quoque habes proavum Pelopem, Pelopisque parentem:
Si melius numeres, a Iove quintus eris.
Nec virtute cares: arma invidiosa tulisti.
Sed tu quid faceres? induit illa pater.
Materia vellem fortis meliore fuisses:
Non lecta est, operi sed data causa tuo.
Hanc tamen implesti; juguloque Ægisthus aperto
Tecta cruentavit, quæ pater ante tuus.
Increpat Æacides, laudemque in crimina vertit;
Et tamen adspectus sustinet ille meos.
Rumpor; et ora mihi pariter cum mente tumescunt,
Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.

48. *Si melius numeres.* Codex Douzæ, *altius enumeres:* quod ille probabat, et dictum notabat, ut apud Sallustium *altius repetere.* — *Si melius numeres* etc. Emendabat Nodellius, Observ. Critic. c. II, cap. 16, *Si medios;* quod ita Lennepio arrisit, ut in textum recipere non dubitaverit. Sic Epist. XVI, 174: *Medios ut taceamus avos.* — *A Jove quintus eris.* Lege *ab Jove.* Sic alibi semper apud nostrum, in optimis membranis. Superiori versu *Pelopen,* Græco more, duo codices. HEINS.

49. *Arma invidiosa.* Quæ odium in te concitarent, utpote quæ matrem tuam occidissent.

50. *Induit illa pater.* Per ellipsim; *illis te pater induit,* quibus cædem suam ulciscereris; seu pietas in patrem ad vindicandum scelus manus tuas armavit. — Heumannus in Parergis Criticis p. 119: legit: *imbuit illa patrem;* sed quo referendum τὰ *illa* non video: nam non præcessit mater, quæ *imbuisset* patrem; denique quis unquam dixit *imbuere aliquem,* pro interimere, aut alicujus sanguine suas manus *imbuere?* B.

51. *Materia vellem fortis meliore fuisses.* Dolet Orestæ fortitudinem facinore omnium maxime horrendo, Clytemnestræ matris cæde, inclaruisse; sed nec nominat quidem, et facinus indicat tantum.

52. *Non lecta est, sed data.* Oraculi jussu, si fides Euripidi in *Oreste,* 28, matrem suam Orestes interfecit.

Φοίβου δ' ἀδικίαν μὲν τί δεῖ κατηγορεῖν;
Πείθει δ' Ὀρέστην μητέρ', ἢ σφ' ἐγείνατο,
Κτεῖναι, πρὸς οὐχ ἅπαντας εὐκλεέα φέρων.

56. *Aspectus. Amplexus,* Scriverii et Basileensis: perperam: nec enim Hermione rapta et invita *amplecteretur* Pyrrhum. BURM.

57. *Rumpor;* dolore, scilicet; et qui mentis *tumor,* oris idem mihi. *Tumescit* enim dolore animus, ut corpus humorum vitio, donec *rumpatur.* — *Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.* Tacita indignatione, quæ tamquam ignis latens, pectus sensim *urit.* Poetice multo magis Virgilius: *Cæco carpitur igne.*

Hermione coram quidquamne objectet Orestæ?
Nec mihi sunt vires; nec ferus ensis adest.
Flere licet certe: flendo diffundimus iram;
Perque sinum lacrimæ, fluminis instar, eunt.
Has solas habeo semper, semperque profundo:
Hument incultæ fonte perenne genæ.
Hoc generis fatum, quod nostros errat in annos,
Tantalides matres apta rapina sumus.
Non ego fluminei referam mendacia cygni:
Nec querar in plumis delituisse Jovem.
Qua duo porrectus longe freta distinet Isthmos,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.
Castori Amyclæo et Amyclæo Polluci

59. *Hermione coram* etc. Facilis cum superioribus, et quæ mox sequentur, connexio, sic interpretando: si Pyrrhus præsente me, suum Orestæ facinus objecerit, matris cædem scil. et *in crimen* illi, quod ego *laudem* voco, verterit, quid faciam? Non mihi sunt vires, non ensis etc.

61. *Flere licet certe* etc. Quia enim non licet arma capere, et ense vindicare dolorem, quod virile est; saltem muliebria arma moveo, quæ sunt lacrimæ. *Certe* hic est ad minimum, saltem, ut apud Terentium et alios centies. *Si illud ergo non licet, saltem hoc licebit.* Ut in alia re Terentius ait, IV, Eun. 2. Neque *diffundere* displicet, quod idem est quod *minuere*, in diversas partes fundendo *exhaurire*. BURM.

63. *Has solas habeo.* In membranis antiquis, quas producit Barth. XXXVII, Advers. 13, est: *Has semper lacrimas habeo, semperque profundo.*

65. *Hoc generis fatum, quod nostros errat in annos. Nam generis fato quod nostros errat*, Puteaneus. Alter Mentel. pro diversa lectione, *regnat in annos; fato* etiam alii nonnulli. Pro *errat*, forte *durat*, ut Ep. VII, III: *Durat in extremum*; vel *hæret*, vel *perstat* scribendum; et pro *nam, num.* Epistola IV, 53:

Forsitan hunc generis fato reddamus amorem. H.

69. *Qua duo porrectus* etc. Achaiam designat, ubi rapta fuit Hippodamia. — *Vecta peregrinis rotis.* Duo sunt advertenda, et quod male codices omnes habent: *detinet*, quum *distinet* dubio procul legendum sit, quod quivis vel mediocriter doctus advertat; et quid sit illud, quod *externas rotas*, in Hippodamia hic dicat Ovidius. Nos rem eruditis etiam non paucis ignotam brevi explicabimus, ex Pindaro in primis et Apollonio, qui cum interpretibus suis prodidere, Hippodamiam inter currendum alieno curru, id est procorum, qui cum ea cursu certabant, esse vectam: unde et hoc in loco *peregrinas rotas* Pelopis currum intellexit, quo donatus ille olim a

Reddita Mopsopia Tænaris urbe soror.
Tænaris, Idæo trans æquor ab hospite rapta,
Argolicas pro se vertit in arma manus.
Vix equidem memini; memini tamen: omnia luctus,
Omnia solliciti plena timoris erant.
Flebat avus, Phœbeque soror, fratresque gemelli:
Orabat superos Leda, suumque Jovem.
Ipsa ego, non longos etiam nunc scissa capillos,
Clamabam: sine me, me sine, mater, abis!
Nam conjux aberat. Ne non Pelopeia credar,
Ecce Neoptolemo præda parata fui.
Pelides utinam vitasset Apollinis arcus!
Damnaret nati facta proterva pater.

Neptuno est, in amoris compensationem. EGNAT.

72. *Tænaris. Tyndaris*, alii: *urbe soror.* Puteaneus *Tænaris*, tam hic, quam sequenti versu: probe. Delectatur enim Noster hisce oppositionibus, ut supra vers. 14 et Art. 1. — *Mopsopia urbe.* Athenis, quæ sic olim dictæ, a *Mopso* quodam, qui ibi regnaverat; unde frequenter Athenienses, *Mopsopii.* — *Tænaris soror.* Helenam quoque *Tænariam maritam*, Ep. XIII, 45, vocat:

Aut te Tænariæ faciem culpasse maritæ.

73. *Trans æquora*, Vett. Lege, *trans æquor.* HEINS.

77. *Flebat avus, flebatque soror. Phœbeque soror.* Euripides, apud Iphig. in Aulid. 49:

Ἐγένοντο Λήδᾳ Θεστιάδι τριῖς παρθένοι, Φοίβη, Κλυταιμνίστρατ' ἐμὴ ξυνάορος, Ἑλένητε.

Phœbe ergo soror Helenæ; legendumque *Phœbe soror,* non *flebatque soror;* quod et jam subodoratus *Meziriac.* HEINS. — Egregie quidem Heinsius; sed alii non Helenes sororem Phœben, sed Leucippi filiam faciunt, et uxorem Pollucis. Vid. ad Propert. I, Eleg. II, 15, et infr. Epist. XVI, 327.

82. *Præda parata. Petita* Moreti; quod defendi posset, ex II, Art. Am. 2; sed nihil mutandum. BURM.

83. *Pelides utinam vitasset Apollinis arcus.* Achilles interfectus est ab Apolline ad portas Scææ, quod vaticinium a matre sua Thetide acceperat. Q. Calaber, Paralip. Hom. III, 174. Alii volunt eum, dum Polyxenam, Priami ex Hecuba filiam, cujus forma captus erat, uxorem sibi duceret, in templo Apollinis Tymbræi a Paride, qui ab ipso Deo edoctus erat, qua corporis parte vulnerari posset, interfectum. Idque ostendit Virg. Æneid. VI, 57:

Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela, manusque
Corpus in Æacidæ.

Et hic Noster Metamorph. XII, 604:

... Et ostendens sternentem Troica ferro
Corpora Peliden, arcumque obvertit in illum,
Certaque letifera direxit spicula dextra. CIOP.

Nec quondam placuit, nec nunc placuisset Achilli,
  Abducta viduum conjuge flere virum.
Quæ mea cælestes injuria fecit iniquos?
  Quod mihi, væ miseræ! sidus obesse querar?
Parva mea sine matre fui; pater arma ferebat:
  Et, duo quum vivant, orba duobus eram.
Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis
  Incerto dictas ore puella tuli.
Non ego captavi brevibus tua colla lacertis:
  Nec gremio sedi sarcina grata tuo.
Non cultus tibi cura mei: nec, pacta marito,
  Intravi thalamos, matre parante, novos.
Obvia prodieram reduci tibi; vera fatebor:
  Nec facies nobis nota parentis erat.
Te tamen esse Helenen, quod eras pulcherrima, sensi.
  Ipsa requirebas, quæ tibi nata foret.
Pars hæc una mihi conjux bene cessit Orestes:
  Is quoque, ni pro se pugnet, ademtus erit.
Pyrrhus habet raptam, reduce et victore parente:
  Munus et hoc nobis diruta Troja dedit.

85. *Nec quondam placuit* etc. Testis Homerus, Il. A.

87. *Quæ mea.* Alter Mentelianus, *quod mea*: tres scripti, *quæ mihi*: elegantius.

91. *Non tibi blanditias* etc. Plenus hic affectus, et quidem tenerrimi, sermo; quod eo notandum magis, quo apud Nostrum occurrit rarius. Euripidem dicas ob oculos habuisse, apud quem tam ingenue Iphigenia ad patrem: (*In Aulid.* 1220.)

Πρώτη σ' ἐκάλεσα πατέρα, καὶ σὺ παῖδ' ἐμέ.
Πρώτη δὲ, γόναστ σεῖσι σῶμα δοὺς ἐμόν,
Φίλας χάριτας ἔδωκα, κἀντεδεξάμην.

92. *Incerto ore.* Imitatum hæc Quinctilian., lib. 1, notavit Douza: « Ita futurus eloquentissimus, edidit aliquando vagitum, et loqui primum *incerta voce* tentavit. »

99. *Te tamen esse Helenen* etc. Lepidum sane et ingeniosum, et vere Ovidianum; sed ingeniosius forsan, quam quod de ipsa matre nata prædicaret.

101. *Pars hæc una mihi* etc. Enumeratis, quas pertulerat, calamitatibus, et *fatis contraria fata rependens*, hoc unum sibi gratulatur, quod conjux illi Orestes cesserit. Quæ tamen felicitas, quam lubrica, quum

... Ni pro se pugnet, ademtus erit!

104. *Munus et hoc nobis diruta Troja dedit.* Quis non videt hanc lectionem, quæ optimam continet sententiam, multo illa altera, quam

Quum tamen altus equis Titan radiantibus instat,
  Perfruor infelix liberiore malo.
Nox ubi me thalamis, ululantem et acerba gementem,
  Condidit, in mœsto procubuique toro;
Pro somno, lacrimis oculi funguntur obortis:
  Quaque licet fugio, sicut ab hoste, virum.
Sæpe malis stupeo; rerumque oblita, locique
  Ignara tetigi Scyria membra manu.
Utque nefas sensi, male corpora tacta relinquo:
  Et mihi pollutas credor habere manus.
Sæpe, Neoptolemi pro nomine, nomen Orestæ
  Exit; et errorem vocis, ut omen, amo.
Per genus infelix juro, generisque parentem,
  Qui freta, qui terras, qui sua regna quatit;
Per patris ossa tui, patrui mihi; quæ tibi debent,
  Quod se sub tumulo fortiter ulta jacent:
Aut ego præmoriar, primoque exstinguar in ævo;
  Aut ego Tantalidæ Tantalis uxor ero.

substituunt, *Et minus hoc nobis diruta Troja fuit*, elegantiorem? Quum eam et Planudes, idque alii testati sunt, agnoscat; et Vatic. lib. habeat. Itaque non dubito, quin prorsus vera sit. Ciof. Et recte quidem.

106. *Liberiore malo.* Cui possum indulgere liberius; vel a quo facilius distrahi.

110. *Sicut ab hoste viro. Virum*, quinque scripti, et placet. Heins.

112. *Ignara tetigi Scyria membra manu. Scyria membra*, Pyrrhum scilicet, quem ex Deidamia, in insula *Scyro* pater Achilles susceperat.

117. *Per genus infelix oro.* Lego, *Per genus infelix juro* etc. Attestatione enim quadam confirmare vult, se aut statim prima hac ætate morituram esse, aut Oresti, suo priori legitimoque marito, uxorem futuram. Micyll. *Oro*, Puteaneus et alii multi; sed frustra: sequenti versu, *qui sua regna*, non *et sua*, meliores duodecim: quod sequor: aliter tamen Puteaneus. Heins.

120. *Quod se sub tumulo fortiter ulta jacent.* Omnino recte *ossa* dicuntur *se ulta*; nec verior, ut Burm. videbatur, lectio Lovaniensis. Diserte Chorus apud Sophocl. in Electra, v, 1442: Ζῶσιν οἱ Γᾶς ὑποκείμενοι. Πολύῤῥυτον γὰρ ἅἷμ' ὑπεξαιροῦσι τῶν Κτάνοντων πάλαι θανόντες. Patri ulciscenti sese quasi manum commodare visus filius. Lennep.

122. *Tantalidæ Tantalis uxor ero.* Nec sua spes Helenam fefellit; Pyrrho enim interfecto, in uxorem illam Orestes recepit. Æn. III, 330.

EPISTOLÆ NONÆ

ARGUMENTUM.

Quum rescivisset Herculis uxor Deïanira, novo conjugem amore captum, Iolen Œchaliæ regis filiam secum adducere, uxori legitimæ præpositurum, tentat primum quæ fortiter et magnanime gesserat, in animum revocare, priori famæ famam ironice opponens omnino decolorem. Hinc quasi duplex Hercules, quorum unum pudeat alterius necesse esset. Sed præviam Epistolæ tunicam fatalem miserat, quam Deïaniræ Nessus, proprio sanguine illitam tradiderat. Quam statim ut Hercules induit,

> Incaluit vis illa mali; resolutaque flammis
> Herculeos abiit late diffusa per artus. METAM. IX, 161.

Quo, inter scribendum, audito, Deïanira, quod imprudens admiserat facinus, tentat purgare, et vitam finire decernit.

Sophocl. in Trachin. — Metam. loco dicto. — Diod. Sicul. IV. — Senec. in Hercul. Œt. — Hygin. Fab. 34.

EPISTOLA IX.

DEJANIRA HERCULI.

GRATULOR Œchaliam titulis accedere vestris :
  Victorem victæ succubuisse queror.
Fama Pelasgiadas subito pervenit in urbes
  Decolor, et factis inficianda tuis :
Quem nunquam Juno, seriesque immensa laborum
  Fregerit, huic Iolen imposuisse jugum.
Hoc velit Eurystheus, velit hoc germana Tonantis :
  Lætaque sit vitæ labe noverca tuæ.

1. *Gratulor* etc. Totum hoc, et ad versum usque 143, ironice dictum est; quod longius paulo iis sane videbitur, qui norunt quam prudenter et sobrie figuris in sermone sit utendum, ut sua illis gratia simul et vis inhæreant. — *Œchaliam.* Urbem Eubeæ, ubi regnavit Eurytus, Ioles pater, quam quum petenti Alcidæ negasset, urbem Hercules expugnavit, et Iolen rapuit, occisis fratribus, et ipso, ut quidam volunt, patre. — *Titulis vestris.* Victoriis scilicet, quæ totidem laudis insignia et *tituli.* — Huic denuo Epistolæ Puteani excerpta et vetustæ quædam editiones, cum codice Regio, sequens distichon præfigunt :

Mittor ad Alciden a conjuge conscia mentis
  Littera, si conjux Deianira tua est. HEINS.

2. *Victorem victæ.* Annominatio: sic et mox in hac ipsa Epist. Livius, lib. XXV : *Quod ni tam in tempore subvenisset, victoribus victisque pariter perniciosa fames instabat.* Val. Max. lib. V, cap. III : *Themistoclem victorem victi hostis genua complecti.* CIOF.

3-4. *Fama..... pervenit in urbes decolor.* Quæ non priori famæ respondeat, et ab eo, quo res adhuc gestas colore illustrasti, sensim deficiat. Sic Virgilius, Æn. VIII, 326, de argentea ætate, quæ auream subsequuta est :

Deterior donec paulatim, ac *decolor* ætas.

7. *Hoc velit Eurystheus* etc. Hac eadem loquendi formula Virgil. :

Hoc Ithacus *velit*... Æn. II, 104.

Id est, ardenter et toto animo exoptaverit.

8. *Lætaque sit vitæ labe noverca*

At non ille velit, cui nox, si creditur, una
Non tanti, ut tantus conciperere, fuit.
Plus tibi, quam Iuno, nocuit Venus : illa premendo
Sustulit : hæc humili sub pede colla tenet.
Respice vindicibus pacatum viribus orbem,
Qua latam Nereus cærulus ambit humum.
Se tibi pax terræ, tibi se tuta æquora debent :
Implesti meritis Solis utramque domum.
Quod te laturum est, cælum prior ipse tulisti :

tuæ. Lætetur Juno, quod labem adeo turpem vitæ prioris splendori ultro inusseris.

9. *Cui nox, si creditur una* etc. Jupiter, Herculis pater ex Alcmene ; (nota fabula) ; cui, quod datur uni tantum nocti, spatium inæquale visum est, quo vir *tantus*, Hercules scil. procrearetur. Unam igitur e geminis noctem effecit, quo diutius cum Alcmene commoraretur. Hinc dictus Hercules ὀψίγονος, a Theocr. Idyl. XXIV, 31 ; et τριέσπερος, a Lycophr. in Cassandra.

10. *Non tanti*. Sligtenhorstius ex scriptis libris legebat :

Non satis, ut tantus conciperere, fuit.

Atque ita minor Gryphii editio. HEINS. In Moreti codice est, *non tanta, ut tantus ;* forte bene.

13. *Respice vindicibus* etc. Accedit propior ad majestatem Virgilianam, Ecl. IV, 17 :

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

14. *Qua*. Id est, *ubi*. CIOF.

15. *Se tibi pax terræ* etc. Sic in veteribus, atque hoc loquendi modo septimo etiam Met. Ovidius utitur :

... Tibi se semper debebit Iason. NAUGER.

Alii codices *pars terræ* habebant. Scribe :

Se tibi pax terræ, tibi se *tuta* æquora debent.

Nam et mare et terras, domitis belluis et monstris marinis, pacaverat. HEINS. — Qui *tuta* cum Heinsio probant, possunt et illa Ovidii nostri adducere, ex lib. I, Fast. 67 :

... Quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit.

Sed quum in nullo codice hæc lectio appareat, nos *tota* retinemus. BURM. — Etsi constantem, teste Burmanno, omnium librorum lectionem, *tibi se tota æquora debent*, e contextu non pellere per nos licet ; veriorem tamen etiam nobis visam esse correctionem Heinsii fatemur : *Tibi se tuta æquora debent ;* hoc est, debent tibi quod *tuta* sint etc. Quid vero *tota ?* Num hoc Herculi debebant, quod *tota* essent, quod *æquora ?* LENNEP.

16. *Utramque domum*. Id est, orientem et occidentem, quia inde Sol, ut ex domo egreditur, huc iterum, quasi domum, se recipit. Senec. Herc. Furent. 1061 : *Novitque tuas utrasque domos ;* et Herc. Oet. 3 :

Utræque Phœbi sentiunt fulmen domus.

Noster *utrumque Phœbum* dicit, I. Metam. 338 ; et *utrumque latus Solis*, II. Fast. 136. BURM.

17. *Quod te laturum est, Cælum prior ipse tulisti*. Frequens, ne frequentior dicam, apud Nostrum, verborum inter se colludentium

Hercule supposito sidera fulsit Atlas.
Quid nisi notitia est misero quæsita pudori,
Si maculas turpi facta priora nota?
Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues,
Quum tener in cunis jam Jove dignus eras?
Cœpisti melius, quam desinis: ultima primis
Cedunt: dissimiles hic vir et ille puer.
Quem non mille feræ, quem non Stheneleius hostis,
Non potuit Juno vincere, vincit Amor!
At bene nupta feror, quia nominor Herculis uxor,
Estque socer, rapidis qui tonat altus equis.

strepitus, aut duplex verbi ejusdem acceptio; quod hic præcipue notandum, ubi *ferre* proprio quidem sensu; et quem dicunt figurato, pro *tenere*, *continere*, accipitur. Narratur autem Cælum Herculi sustentandum ab Atlante parumper datum esse, quia res astronomicas, et stellarum motus ab eo didicisset. Hæc vero de Hercule Ægyptio ad Græcum translata nemo ignorat.

18. *Hercule supposito. Supponere* hic est substituere: ita *vicariam fidem supponere* dixit Cicero pro Rosc. Americ. 38: *Quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur. Fulsit* si vero alicui non placet, licet Vossius, lib. III, Analog. 33, hoc etiam ex loco probet, ille *fulcit*, pro *fulciit* capiat, vel *fulcivit*. B.

19. *Quid nisi notitia* etc. Id est, quid aliud tibi tot antea præclare factis peperisti, nisi ut præsens dedecus notum magis pateat? Eodem ferme sensu Marius, apud Sall. Jugurth. 85: « Et profecto ita se res habet: majorum gloriâ posteris lumen est, neque bona, neque mala in occulto patitur. »

20. *Si cumulas stupri facta priora nota.* Cum Regio codice scribendum videtur, *Si maculas stupri facta priora nota*: nisi quod *turpi nota* malim, ut est apud veterem Poetam: Cur te dedecoras; formam cur maculas tuam? Vel, *si macula turpi facta priora notas*, quod est in aliis quibusdam: nonnulli, *cumulus notat*. Vulgata minus est Latina. Heins. In tanta codicum varietate præferrem ego:

Si macula stup-i facta priora notas.

Macula stupri, ut apud Terentium *avaritiæ macula*. Neque tamen rejicerem codicis Leidensis lectionem: *Si cumulo stupri facta priora notes*, vel *notas*, ut est in Francof. si post tot amores, nunc cumulo hujus stupri notas facta priora. Douza ex suo codice proferebat:

Si cumulus stupri facta priora notat. B.

21. *Tene ferunt geminos* etc. Vid. venustissimum Theocr. carmen cui titulus, Ἡρακλίσκος, Idyll. XXIV.

25. *Stheneleius hostis.* Eurystheus, Stheneli filius, ex Nicippe.

27. *Quia nominer Herculis uxor.* Emphatice *nominer*, non *dicar*: est aliquid in verbo, quod dignitatem amplificat. Sic eadem, sed alio sensu,

Quam male inæquales veniant ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor est, sed onus; species læsura ferentem.
Si qua voles apte nubere, nube pari.
Vir mihi semper abest; et conjuge notior hospes
Monstraque, terribiles persequiturque feras.
Ipsa domo vidua, votis operata pudicis,
Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.
Inter serpentes, aprosque, avidosque leones
Jactor, et esuros terna per ora canes.
Me pecudum fibræ, simulacraque inania somni,
Ominaque arcana nocte petita movent.

Dejanira, apud Soph. Trachin. 559: Ταυτ' οὖν φοβοῦμαι, μὴ πόσις μὲν Ἡρακλῆς Ἐμὸς καλῆται, τῆς νεωτέρας δ' ἀνήρ. Nec omittendus Scholiastes, qui, qua differant inter se verba πόσις et ἀνήρ, hoc loco scite demonstrat. — *Socer*, Jupiter. — *Quia nominor. Nominer*, Argentinensis, quod requirunt sequentia. HEINS.

33. *Et conjuge notior hospes.* Hospitem te sæpius, quam virum excipio: hospitium est, non conjugium.

35. *Votis operata pudicis. Studiis*, Argentinensis: sic *studiis operata Dianæ*. Metam. VII, 751; et *studioque operatus inhæsi*, lib. VIII, 865. Ita III, Fast. 261, ex MSS.:

... Nemori studioque operata Dianæ.

Operari autem proprie in sacris. Hafniensis vero habebat, *thalamis operata pudicis*. Forte:

Ipse domi viduæ thalamis operata pudicis.

Domi vidua, erat in uno Moreti. H. Retinerem *votis*: vota enim concipiebat, *ne vir caderet* inter tot Athla et pericula; et sacrificiis Deorum pacem expetebat: non agit hic de lanificio, aut aliis pudicarum matronarum *studiis*, sed de *votis* et precibus, *ne vir cadat*. BURM.

38. *Esuros terna per ora canes.* Cerberum intelligit: similiter fere Seneca Herc. Fur. 795, de eod.:

... Vocis horrendæ fragor
Per *ora missus terna*, felices quoque
Exterret umbras.

Et Noster Metam. VII, 414:

Implevit pariter ternis latratibus auras. HEINS.

—Hominem in poetis versatissimum Cl. Schræder. vehementer offendebat pluralis de uno Cerbero numerus. Miratur jure Lennep.; et tria ex una eademque Epistola III, exempla adfert, quæ litem omnino dirimant.

40. *Ominaque.* Ego mallem quidem, *somniaque arcana nocte petita movent;* quia rectius *somnia petere*, quam *omina* dici puto. Virg. Æneid. VII, 89:

Pellibus incubuit stratis, *somnosque petivit.*

Medicinam somnio petere, dixit Quartilla apud Petronium; sed quia præcessit *simulacraque inania somni*, acquiesco emendationi Heinsianæ, *omina*, et intelligo de ominibus per

Aucupor infelix incertæ murmura famæ:
Speque timor dubia, spesque timore cadit.
Mater abest; queriturque Deo placuisse potenti:
Nec pater Amphitryon, nec puer Hyllus adest.
Arbiter Eurystheus iræ Junonis iniquæ
Sentitur nobis, iraque longa Deæ.
Hæc mihi ferre parum est: peregrinos addis amores;
Et mater de te quælibet esse potest.
Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen,
Nec referam partus, Ormeni nympha, tuos:

magica sacra petitis: nox enim *arcana*, quæ magiæ impenditur. B.

43. *Queriturque Deo placuisse potenti.* Non erat certe Alcmenæ, unde sibi gratularetur Jovi placuisse, et filium ex eo suscepisse, quem indefessa Junonis ira, postquam tot tantisque laboribus infractum vexaverit, infamare nunc tentat apud posteros. Nam eo potissimum sensu *queritur* Alcmene *Deo placuisse potenti*; et exstinctum Herculem malit, quam infamem. — *Potenti.* In uno Strozzæ erat, *Deo placuisse tonanti*, quod et pro varia lectione in Scriverii et Sarravii erat adscriptum; neque Heinsio displicebat. *Petenti*, Douzæ codex.

44. *Nec pater Amphitryon* etc. Amphitryonem, etiam antequam Dejanira Herculi nupsisset, in pugna contra Minyas cecidisse, auctor Apollod. II, 4; sect. 2. Quod igitur hic tamquam vivus adhuc memoratur, vel μνημόνευον ἁμάρτημα est Ovidii, vel ab eo desumptum ex auctoribus hodie deperditis. LENNEP. — *Hyllus. Ilos*, alter Lovaniensis: lego *Hyllos*. HEINS.

45. *Arbiter Eurystheus* etc. Nihil non in hoc *disticho* adnotandum, quoad verborum vim et proprietatem. *Iræ* et quidem *longæ*, *arbiter* Eurystheus *sentitur* nobis; id est, semper et ubique infensum nobis experimur. Sic Virgil. Æn. VII, 434: *Sentiat*, et tandem Turnum *experiatur* in armis. — *Arbiter Eurystheus sentitur nobis* etc. Non tantum quia Herculi labores imperabat, sed et quia totam ejus familiam persequebatur. Hinc est, quod alios alio dispersos et dejectos dicit. MICYL.

46. *Iraque longa Deæ.* Sunt qui *lenta*, pro *longa* scribendum existiment: male. *Longa* quidem et infensa adeo fuit *ira* Junonis, ut non alios, quam Herculis vitæ, terminos habuerit.

48. *De te mater quælibet esse potest.* Recenset Apollod. II, cap. 7, pueros quos Hercules susceperat. Hos inter, ex Dejanira, Hyllum, Ctesippum, Glenum et Oniten adnumerat.

49. *Partheniis temeratam vallibus Augen.* Alei regis filia, quam quum Hercules in Parthenio monte deprehendisset, filium ex ea suscepit, Telephum nomine; cujus mentio apud Hygin., 101; Pausan. VIII, 48; Apollod. II, 7.

50. *Nec referam partus, Ormeni Nympha, tuos.* Astydamiam intelligit, Ormeni regis filiam: nec eam

Non tibi crimen erunt Teuthrantia turba sorores,
Quarum de populo nulla relicta tibi.
Una, recens crimen, præfertur adultera nobis;
Unde ego sum Lydo facta noverca Lamo.
Mæandros, toties qui terris errat in isdem,
Qui lassas in se sæpe retorquet aquas,
Vidit in Herculeo suspensa monilia collo;
Illo, cui cælum sarcina parva fuit.

tamen, ex qua filium Hercules suscepit Ctesippum, aut Tlepolemum; ambigitur enim.

51. *Nec tibi. Non tibi* meliores. HEINS. — *Teuthrantia turba.* Thespii filiæ, dictæ sic a Theutrania regione. Jure quidem *turba*, et mox *populus* dicuntur; quinquaginta enim erant sorores, quas omnes (si fabulantibus fides) unius tantum noctis spatio Hercules virginitatis honore defraudavit; una tantum excepta, quam Hercules ministram præesse voluit templo, quod ipsi Thespiæ dicatum erat.

53. *Præfertur. Refertur,* multi ex scriptis: sed *præfertur* legendum cum sex codicibus. Dejanira de Iole similiter apud Senec. Herc. Oet. 304:

... Capta *prælata est* mihi;
Non præferetur. HEINS.

Præfertur, etiam Francofurtensis.

54. *Unde ego sum Lydo factâ noverca Lamo.* Herculis, ex Omphale filius, qui Lydiæ regnum post matrem obtinuit.

55. *Mæander, toties qui terris errat in isdem. Ripis in isdem* vetus editio. *Terris toties qui volvitur isdem,* unus Vaticanus. *Versat in isdem*, prior Lovaniensis: alter, *regnat in isdem. Mæandros* etiam præstantiores libri, ut supra *Tyndareos*, v, 31: quomodo et Met. II, 246:

Quique recurvatis ludit Mæandros in undis.
... Phrygiis liquidus Mæandros in undis
Ludit. Met. VII, 1612.

Qua celer et rectis descendens Marsya ripis
Errantem Mæandron adit. LUC. III, 207.

Ubi perperam vulgo *erectis. Rectis,* non recurvatis. HEINS. Hic iterum mire variarunt manus librariorum in hoc loco exprimendo. In Vaticano, Intimeliano, Barberino et uno Menteliano erat, *qui se toties concludit in orbem*: in Regio, *toties qui se includit in orbem*, quæ lectiones ex librariorum cerebro provenire nequiverunt; occultant enim venustissimam lectionem, et quam a Poeta luxuriante, ut solet in his, profectam putem: scripsit nimirum:

Mæandros, toties qui secum ludit in orbem,
Qui lassas in se sæpe retorquet aquas.

Ludere dicit *in orbem* Mæandrum, adludens ad saltantes, qui chorum ducunt, et in gyrum ludunt. BURM.

56. *Qui lassas in se* etc. *Lassas*, non *lapsas* rescribimus, cum optimis codicibus; et convenit hoc quoque saltatione fatigatis: ita Propertius, I, Eleg. III: *Edonis fessa choreis*; et Noster I, Fast. 424: *Sicut erat lusu fessa, quievit humo.* Sic aquas quoque et flumina passim *lassa* et *fessa* Poetæ dicunt; præsertim *si recurvata sunt.* Noster I, Met. 582:

In mare deducunt *fessas* erroribus undas. ID.

— Recte quidem, eo sensu, si placet; sed *adlusisse* hic *ad saltantes*

Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et solidis gemmas adposuisse toris.
Nempe sub his animam pestis Nemeæa lacertis
Edidit; unde humerus tegmina lævus habet.
Ausus es hirsutos mitra redimire capillos:
Aptior Herculeæ populus alba comæ.
Nec te Mæonia, lascivæ more puellæ,
Incingi zona dedecuisse putas?
Non tibi succurrit crudi Diomedis imago,
Efferus humana qui dape pavit equas?
Si te vidisset cultu Busiris in isto,
Huic victor victo nempe pudendus eras.
Detrahat Antæus duro redimicula collo,

Ovidium, in describendo Mæandro, quis crediderit?

60. *Gemmas adposuisse toris.* Perperam Puteaneus et multi alii, *opposuisse*; nec *imposuisse* probum est, quod alii exhibent. Vopiscus in Aureliano, cap. 7: *Torquem brachialem et annulum adponat.* Ubi contraria sententia, *ne adponat*, puto scribendum. Heins.

61. *Nempe sub his animam pestis Nemeæa lacertis Edidit* etc. Hercules ipse, apud Sophocl. Trachin. 1106: Ὦ νῶτα καὶ ξίφη· σὲ φίλοι βραχίονες, Ὑμεῖς ἐκεῖνοι δὴ κατίσχετ', εἴ ποτε Νεμέας ἔτεκεν, θουκόλων ἀλάστορα, Λέοντ', κ. τ. λ.

Quorum, ut perelegans hic imitatio, ita versio liberior, apud Cic. Tuscul. Quæst. II, 9. Vid. quoque Senec. in Hercul. Oet. 1235, et sqq.

62. *Edidit.* Moreti codex, *perdidit.* Leidensis, *credidit*: sed electa et proba locutio *edere animam* pro mori. Cicero, pro Sestio, cap. 38: *Ac si tunc P. Sestius, Judices, in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset.* Apud Nostrum quoque, lib. XIV, Metam. 777: quidam codices habent *edidit*, sed nos ibi *exsuit* retinemus, et apud Cicer. pro Planc., 37: *Qui pro repub. vitam ediderunt*; ubi alii *dederunt, dediderunt, reddiderunt.* Burm.

64. *Populus alba. Alma* Puteaneus: sed nil muta: superiori versu, *myrto redimire*, pro *mitra* liber Hafniensis, ut populus myrto opponatur. Heins. Sed *mitra* probum est. Vid. Senec. Herc. Oet. 375, et Furent. 471. *Cohibere capillos* quoque Lovaniensis, quod nisi præcessisset, reciperem: nam proprium in hac re verbum esse ostendit doctissimus Bentl. ad Horat. III, Od. 14. B.

66. *Incingi zona dedecuisse putas. Putes* Leidensis: certe *puduit* jam præcesserat. Remed. Amor. 410:

Et nihil est quod se dedecuisse putent.

Ubi similiter *pudet* in quibusdam libris. Præterea *Mæoniam zonam* excerpta Douzæ, ut sit Græcismus. H.

70. *Huic.* Sarravianus codex *sic*: bene: illo in habitu. Burm.

Ne pigeat molli succubuisse viro.
Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas
Diceris, et dominæ pertimuisse minas.
Non fugis, Alcide, victricem mille laborum
Rasilibus calathis imposuisse manum?
Crassaque robusto deducis pollice fila,
Æquaque formosæ pensa rependis heræ?
Ah quoties, digitis dum torques stamina duris,
Prævalidæ fusos comminuere manus.
Crederis, infelix, scuticæ tremefactus habenis,
Ante pedes dominæ procubuisse tuæ.
Eximias pompas, præconia summa triumphi,

73. *Inter Ioniacas* etc. Alii *Mæonias inter*, reclamante codicum fide, ex quorum auctoritate lectionem ita restituendam admoneri lectorem voluimus. EGNAT. Lege ex utroque Vat. *Inter Ioniacas* etc. Repetit hunc versum, lib. II, de Arte, ubi ita est:

Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas
Creditur, et lanas excoluisse rudes.

Mæonia zona paulo ante præcesserat: quare *Mæoniæ puellæ* hic minus placent. *Inter Ioniacas*, libri veteres. Sed verius puto, *Inter Ioniadas*: quomodo alibi, *Achaiades matres*, *Pelasgiades urbes*, et similia. H.

75. *Non fugis.* Sic cum melioribus, noto Græcismo. Sic *fuge credere* apud Lucretium; *fuge quærere*, et *fuge suspicari* apud Horat., ut et plura hujusce notæ. Virg. IX, 199:

Mene igitur socium summis adjungere rebus,
Nise, fugis?

Alii, *pudet*; quod minus elegans. H.

76. *Imposuisse. Implicuisse*, codex Douzæ.

77. *Crassaque* etc. *Crassa* recte dicit, ut *solocem* lanam intelligat, quæ, ut imperito illi fila deducendi, dabatur; mollis vero, peritissimis ancillis. BURM.

78. *Æquaque formosæ. Famosæ* Lovaniensis. Sic *famosus Hymen* infra, ubi male turbant libri veteres, et lib. I. Amor. El. V: *Famosa Semiramis*; ut illic agnoscit optimus liber. *Famosus* pro infami, illo ævo dicebant. Cicero, de Orat. lib. II; 68: *Non pol, inquit, audeo; nam me ad famosas vetuit mater accedere.* Plaut. Asin: *Qui etiam me miserum famosum facit flagitiis suis.* Plura exempla habes apud Non. Marcell. in *fama*. HEINS. *Æqua* rectum est; idem enim pondus, quod domina in lana appendebat, in filis rependere debebat ancilla. Sic *graviora pensa*, Propert. IV. VII, 37:

Et graviora rependit iniquis pensa quasillis.

Ita *grandia* mox, Ep. X, 90; et in Propertio habes etiam *rependere*, ut et in alia re apud. Stat. IV, Theb. 763:

Dircæos tibi, Diva, greges, numerumque rependam
Plebis; et hic magna lucus signabitur ara. B.

82. *Procubuisse tuæ.* Sic feliciter, ex codice regio, versum restituit Burm. cujus in locum male irrepserat putida hæc v. 74 repetitio:

Ante pedes dominæ *pertimuisse minas.*

83. *Eximias pompas* etc. Ironice

Factaque narrabas dissimulanda tibi.
Scilicet immanes, elisis faucibus, hydros
Infantem nodis involuisse manum?
Ut Tegeæus aper cupressifero Erymantho
Incubet, et vasto pondere lædat humum?
Non tibi Threiciis adfixa penatibus ora,

omnia capienda : tu ita instructus lanificæ ancillæ habitu narrabas *eximias pompas*, (per quas *triumphos* intelligit), quæ semina laudum tuarum sunt, et facta, quæ revera tibi nenti erant *dissimulanda*.

85. *Elisis*. Sic meliores. H. Recte ; et ita codex Douzæ, XIV, Met. 738 : Atque onus infelix *elisa* fauce pependit.

Senec. VI. Natur. Quæst. 28 : *Non aliter, quam per vim elisæ fauces tument*. Senec. Herc. Fur. 221 : Et tumida tenera guttura *elidens* manu. B.

86. *Infantem nodis* etc. Locus mendosissimus. Puteaneus optimus cum ceteris plerisque præstantioris notæ : *Infantem caudis involuisse manum*. Quæ scriptura proxima est veræ, uti mox videbimus. Alii, prout quisque interpolatorum licentiam magis magisque sunt experti, a vestigiis Nasonianæ manus longius recedunt. Nonnulli ex minime contemnendis : *Infantem cunis involuisse manum* ; quidam : *Infantem nuda dilacerasse manu*. Alter Mentelianus : *Infantem viduum dilacerasse manu*. Alii, aliter. Scribendum : *Infantem nodis involuisse manum*. Nihil verius : in qua correctione nihil a membranis deflexi castigatioribus, nihilque permisi mihi, nisi quod *nodis* reposui pro *caudis* ; nimirum *codis* pro *nodis* antiqua librarii dederat manus. *Codas* enim et *caudas* promiscue confundebant. H. — Non nego ita fieri potuisse, nec apposite in hac fabula anguium memorari *nodos* ; sed hoc dico, non satis Heinsio causæ fuisse, cur h. l. a præstantissimorum Codd. lectione recederet, quæ et ipsa probabilis, nec minus ad locum apposita. Nos igitur *caudis involuisse* non damnamus ; in contextu tamen cum Burm., probatam prius ab Heinsio lectionem *cunis*, relinquendam putavimus. LENNEP.

87. *Ut Tegæus*. Ita editi multi : *utque Tegeus* Puteaneus et novem alii : sed legendum, ut Micylli et Heinsii editio, *ut Tegeæus*. — *Cupressifero*. *In cypressifero*, fere omnes scripti, et editio princeps, sed perperam. Virgilius vero V, Æneid. 448, pinum nasci in Erymantho indicat. Nescio an et ob cupressum Horatius, lib. I, Od. 21, *Nigras Erymanthi silvas* dixerit, quamvis et pro densis cum veteri Scholiaste accipere liceat. *Cyllenen* etiam *cypressiferam* vocat Noster, V, Fast. v. 87. BURM.

88. *Incubet et vasto pondere lædat humum*. Sic Puteaneus : optime, ut per interrogationem hæc dicantur. Sciolus tamen aliquis deleverat postea utrumque. *Lædat* etiam Moreti liber. Gronovianus, *pulset* : non male Scriverianus :

Incumbens vasto pondere lædat humum ?

Sequentia etiam per interrogationem sunt legenda usque ad v. 103. H.

89. *Adfixa penatibus*. Ex Virgilio sumptum, VIII, 196 :

... Foribusque adfixa superbis
Ora virum.

Non hominum pingues cæde tacentur equæ?
Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi,
Geryones, quamvis in tribus unus erat?
Inque canes totidem trunco digestus ab uno
Cerberos, implicitis angue minante comis?
Quæque redundabat fecundo vulnere serpens
Fertilis, et damnis dives ab ipsa suis?
Quique inter lævumque latus, lævumque lacertum,
Prægrave compressa fauce pependit onus?
Et male confisum pedibus, formaque bimembri,
Pulsum Thessalicis agmen equestre jugis?
Hæc tu Sidonio potes insignitus amictu
Dicere? non cultu lingua retenta silet?
Se quoque Nympha tuis ornavit Iardanis armis,

Ubi male quidam legunt *foribus suspensa superbis*, quos hic locus refellit. HEINS.

95. *Redundabat.* Puteaneus a manu prima, *elulabat*; forte pro *resultabat*. HEINS. Sed *redundabat* elegans et probum, metaphora a fluctibus desumpta. Cic. pro Murena, c. 39: *Sed quid tandem fiet? si hæc elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, redundarint?* Ubi v. Camerarii notas; et ita passim optimi quique. BURM.

96. *Fertilis, et damnis dives ab ipsa suis.* Quam magnifice hæc Horat. IV, Od. 4, v. 57!

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.

97. *Quique inter lævumque latus, lævumque lacertum.* Sic vetus lectio. Atque in his versibus Antæi et Herculis lucta ab Ovidio describitur; ut sublatum lævo brachio, Antæum Hercules sustineat, ne mater vires subministret; dextra autem manu fauces comprimens eum necet: aliter id *compressa fauce*, nullam ad rem accommodari poterit. Sunt tamen qui de Nemeæo leone hic agi credant, ac *dextrumque lacertum* legant. NAUGER. — Herculaneus liber habet *dextrumque latus dextrumque lacertum*; et ita Antæum quoque ab Hercule compressum docet nummus, quem Gronovius in Diatr. Statiana, c. XXV, exhibet, ubi pendet Antæus compressus dextra manu ad dextrum latus Herculis. Utraque manu constrictum, ventre pectori Herculis admoto, exhibet *de Wilde* in Signis, pag. 37; ita ut Poetæ et fictores variaverint. BURM.

99. *Et male confisum pedibus* etc. Centaurorum pernicitatem intelligit, quos *agmen equestre* ingeniose vocat.

103. *Se quoque* etc. Cave audias vetustos codices, qui *oneravit* exhibent: præstantiores stant pro altera lectione. HEINS. Mihi *ornavit* ita sa-

Et tulit e capto nota tropæa viro.
I nunc, tolle animos, et fortia gesta recense!
Quod tu non esses jure, vir illa fuit.
Qua tanto minor es, quanto te, maxime rerum,
Quam quos vicisti, vincere majus erat.
Illi procedit rerum mensura tuarum:
Cede bonis; heres laudis amica tuæ.
Pro pudor! hirsuti costas exuta leonis
Aspera texerunt vellera molle latus.

tisfacit, ut aliam quærere lectionem otio abutentis esse putem. Sic lib. XII, Metam. 462, ex Basileensi codice rescriberem:

... Emathii spoliis *ornatus* Halesi.

Ubi vulgo *armatus*; et lib. XIII, 122:

Arma viri fortis medios mittantur in hostes,
Inde jubete peti, et referentem *ornate* relatis.

Ubi perperam quidam codices *armate*. *Ornare* et *onerare* solemniter permutarunt librarii. Vid. Heins. ad Valer. Flac. lib. III, 9. — *Iardanis*. Patronymicῶς dictum accipe, ab *Iardano*, patre Omphales.

104. *E tulit e capto nota tropæa viro. Bina tropæa*, unus Vaticanus, et Basileensis, et Gronovianus pro diversa lectione exhibent; quod placet: quomodo et Erfurtanus, et Excerpta Vossii. Alterum enim tropæum de amore ejus: alterum de spoliis hisce tulit. HEINS.

105. *I nunc, tolle animos* etc. Ironice, ut monuimus, quæ fortiter et præclare gesserit, recenset et extollit, quo major inde in Herculem invidia concitetur, qui tam honorandam vitam turpi adeo macula inficere non dubitet.

106. *Quod tu non. Quem* Puteaneus. Forte *quam*; vel ut alter Mentelianus: *Quo tu non esses jure vir, illa foret.* HEINS. Ego nihil muto: illa fuit vir, quod tu jure et merito non poteras esse; sed femina debebas dici propter mollitiam. BURM.

109. *Procedit.* Hoc est, illi accrescit, ac velut in majus augetur. *Procedat*, unus Vaticanus. Simili modo apud Sallustium: *Quippe benefacta meâ reipublicæ procedunt. Proh cedit*, Puteaneus, a manu secunda: tum sequenti versu *Tὸ est* tollit, ut et alii non pauci. HEINS.

111. *Pro pudor! hirsuti costis exuta leonis Vellera. Costas exuta*, eleganti Græcismo Puteaneus, et Francofurtensis, et alter Mentelianus, qui et *pro pudor!* sic *exutus senium*, Silio Italico, lib. VI, 100; et lib. XIII, 120: *exuta feram*, de cerva. Stat. IX, Theb. 103:

Exutus canos lacero diademate crines.

Et præcipue, lib. X, 643, de hoc ipso Hercule:

... Sic Lydia conjux
Amphitryoniaden exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeris ridebat amictus. H.

— Si re vera ab Ovidii manus est, valde est notabile exemplum rarioris hypallages. Nam, ut recte Forcellinus in Lexico, usitata hypallage erat, *costæ exutæ vellera*, ad quam etiam pertinent ipsa ab Heinsio citata hic exempla. Dubitat Lennep. an præferat, *Hirsuti costis exuta leonis*.

Falleris, et nescis : non sunt spolia ista leonis,
Sed tua; tuque feri victor es; illa, tui.
Femina tela tulit Lernæis atra venenis,
Ferre gravem lana vix satis apta colum;
Instruxitque manum clava domitrice ferarum;
Vidit et in speculo conjugis arma sui.
Hæc tamen audieram : licuit non credere famæ;
En venit ad sensus mollis ab aure dolor.
Ante meos oculos adducitur advena pellex :
Nec mihi, quæ patior, dissimulare licet.
Non sinis averti; mediam captiva per urbem

115. *Lernæis atra venenis.* In Leidensi codice erat *usta :* forte pro *uncta*, ut passim *ungere tela* poetæ : duo alii, *tincta*, quod loquendi genus non minus obvium : de utroque vide huc facientia exempla apud Bentlejum, in eruditissimis ad Horat. II, Od. I, notis. BURM. — *Tela venenis atra*, proba et elegans locutio est. Ita, Metam. II, 198, *Scorpion nigri madidum sudore veneni;* et passim *ater*, pro valde *noxio*. LENNEP.

119. *Hæc tamen audieram.* Ita veteres editiones; sed Naugerius non improbat *hæc tantum*, ut Lincoln. et Mediceus unus : et eadem varietas est lib. II, Art. Amat. 405 :

Hæc tamen audierat; Priameida viderat ipsam.

Sic I, Am. IV, 41 :

Hæc tamen aspiciam. BURM.

121. *Adducitur.* Leidensis codex *deducitur*, quod non de nihilo : notum enim hoc verbum passim de meretricibus et pellicibus dici, ut et *perducere*. Sic illud Cicer. apud Sueton. Cæs. 51 : *Tertia deducta est.* Sed, quia in hoc verbo potius illa vis insit, ut secreto deducatur in thalamos adulteri vel amatoris amica, vulgatam hic servo; cujus etiam verbi in turpi commercio illo usus est, et præcipue huic loco convenit, ubi additur ante oculos, ut et III, Fast. 483 :

Ausus es ante oculos adducta pellice nostros,
Tam bene compositum sollicitare torum.

Ubi itidem *deducta* est in codice Francof. Terent. Adel. V, 9 : *Obsonare cum fide, scortum adducere, apparare de die convivium;* et Heaut. V, 4 : *Non mihi per fallacias adducere ante oculos;* et Eun. IV, 7 : *Qui mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum.* BURM.

123. *Non sinis.* Puteaneus a manu secunda *num sinis?* Elegantius, ut puto : habent enim magnam vim in exprobrationibus illæ interrogationes, quæ in hac epistola frequentiores. Sensus vero : An præ pudore jubes illam via secreta et aversa duci in domum, ut, me inscia, pellice uti possis? Minime; immo vero jubes eam, per mediam urbem triumphantis modo, per ora omnium circumduci. Sequenti versu in Scriveriano erat, *conspicienda*, quod etiam puto efficacius, quia hoc verbo aptius admiratio spectatorum exprimitur, qui notabilia intentis oculis

Invitis oculis adspicienda venit;
Nec venit incultis, captarum more, capillis,
Fortunam vultus fassa tegendo suos.
Ingreditur late lato spectabilis auro;
Qualiter in Phrygia tu quoque cultus eras.
Dat vultum populo sublime sub Hercule victo:
Œchaliam vivo stare parente putes.
Forsitan expulsa Ætolide Deïanira,
Nomine deposito pellicis, uxor erit;
Eurytidosque Ioles, atque insani Alcidæ

spectant, quæ nunc Dejanira invitis videbat. BURM.

126. *Fortunam vultus fassa tegendo suos.* Id est, *tegendo* præ pudore *vultus suos*, sicque *fortunam suam* hoc ipso *fassa*: vel ipsum corporis habitum præsentis fortunæ humilitati accommodans. Quo quidem sensu, nihil clarius: vix tamen credibile, quot modis locum hunc Codices antiqui, et qui emendare conati sunt interpretes, vexaverint. Major enim pars librorum: *fortunam vultu fassa tegendo suam.* Sed quid sibi vult *fortunam vultu tegere*, et quem ex eo sensum elicias? alii; *fortunam vultum fassa tegendo suum.* Quæ lectio rara admodum felicitate receptæ nunc et plaudendæ lectioni, præludebat:

Fortunam vultus fassa tegendo suos.

127. *Ingreditur late multo spectabilis auro.* Libri veteres, *late lato spectabilis auro;* et recte, ut jam monui. Posset nihilominus *lauto* etiam *auro* legi; sed præstat prius. Pers. Sat. IV: *Sed lato balteus auro Prætegit;* quod ex illo Maronis, lib. V, v. 312, adumbratum:

... Lato quam circumplectitur auro Balteus. H.

129. *Dat vultum populo sublime sub Hercule victo. Sublime sub Hercule victo* constanter scripti: nisi quod in altero Menteliano sit, *sublimis ab Hercule;* sed *sublime sub Hercule* cur rejiciamus, nihil causæ est: sic *sublime ferre*, pro *in sublime* aut *sublimiter*, passim Poetæ: ita *sublimè ferri* Lucretio, et *sublime volare. Sublime micare*, Germanico in Aratæis; et Avieno, *sublime erigi.* Multus est hac in voce Silius Italicus. HEINS. Nescio tamen, an non rectius, *sublimis ab Hercule victo*, ex Menteliano: similis error apud Sil. XI, 246; ubi pro *victorque immane sub ira infremuit;* Heinsius rescribit *immanis ab ira.* Macrob. c. II, 4: *Sublimis ab Actiaca victoria revertebatur. Ab* autem hic pro *ob, propter*, sumitur. Vid. Gronov. ad Senec. I, de Clement. 20. Livius, l. III, 61: *Ferocior ab re bene gesta.* B.

131. *Forsitan expulsa. Et pulsa* Puteaneus: recte, lib. II, Met. 525:

Cur non et pulsa ducit Junone?

Douza malebat *Forsan et expulsa:* vide ad Epist. XII, 135. Mediceus, *Eonide:* unde forte posse legi *Œneide* Heinsius credebat, quia Œnei filia Dejanira. Melius etiam cum sequenti patronymico *Eurytidos Ioles*, congrueret. Notandus quoque versus ironice spondaicus; *insani Alcidæ!*

Turpia famosus corpora junget Hymen.
Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus,
Et jacet in gremio languida facta manus.
Me quoque cum multis, sed me sine crimine, amasti:
Ne pigeat, pugnæ bis tibi causa fui.
Cornua flens legit ripis Achelous in udis,
Truncaque limosa tempora mersit aqua.
Semivir occubuit in letifero Eveno
Nessus, et infecit sanguis equinus aquas.
Sed quid ego hæc refero? scribenti nuntia venit

134. *Famosus.* Hæc est genuina lectio. *Formosus*, quidam codices.

135. *Mens fugit admonitu.* Virgilianum illud revocat, Æn. II, 12: Animus *meminisse* horret, luctuque *refugit.*

139. *Ripis Achelous in udis. Ripis Achelous in imis* Puteaneus: sed pro *imis*, aliud quid a manu prima scriptum videbatur fuisse. Argentinensis et alius, quem a Cl. V. Jacobo Mentelio donum accepi, *ripis udis*: quo alludit et Farnesianus unus, qui *ripis undis* habet. In ripa enim fluminis Achelous, non in ipso flumine cum Hercule est luctatus. HEINS.

141. *Semivir occubuit in letifero Eveno.* Legebatur olim in nonnullis, *vi lerniferoque veneno.* Τὸ *vi*, a correctoribus est, pro quo libri omnes antiqui *in* agnoscunt: sed et ridiculum *Lerniferum venenum*: quare enim *Lernæum* non dixit? Scripti nonnulli:

Semivir occubuit Lernæi tabe veneni.

Vel *trajectus terga sagitta.* Sed et hic interpolatores agnosco: alii *in lethiferoque veneno*, idque aliquanto rectius, ut Naugerius quoque et Ciofanus observant: alter Mentelianus, *in Lernæoque veneno.* Puteaneus a secunda manu, *in lernifero-que veneno*; sed a prima, *in letifero veneno.* Miror Scaligerum, Salmasium, aliosque viros eruditos, qui ante nos eo codice sunt usi, non vidisse veram lectionem, quæ minima mutatione est in promptu, si scribas:

Semifer occubuit in lethifero Eveno
Nessus.

Semifer enim, quod est in quatuor scriptis, præstat *Semiviro*: quamvis Barthius, vasto in Claudianum commentario, pag. 500 et 827, τὸ *Semifer* Latio exturbandum censet, cum Jano Douza. De *Eveno* confirmant sequentia, *et infecit sanguis equinus aquas.* Etsi alii Nessum in Eveno non occubuisse dicant, sed vulneratum solummodo fuisse; quos inter et Noster, Met. IX; et in Trachiniis Sophocles; Vibius Sequester: *Evenus Calydoniæ, ubi Hercules sagittis Nessum Centaurum interfecit.* H.

143. *Sed quid ego hæc refero? scribenti nuntia venit Fama* etc. Ab ironia, ad luctus transit et desperationem; et votis damnata, ipsam se diris vovet et execratur. In Sophocle vero, Trachin. 826, ne unum quidem verbum Dejanira Hyllo objicit, matri objurganti quid evenerit e fatali quod Herculi miserat dono: sed exit e scena tacite; nec ita multo

Fama, virum tunicæ tabe perire meæ.
Hei mihi! quid feci? quo me furor egit amantem?
Impia quid dubitas Deïanira mori?
An tuus in media conjux lacerabitur Œta?
Tu, sceleris tanti causa, superstes eris?
Si quid adhuc habeo facti, cur Herculis uxor
Credar; conjugii mors mihi pignus erit.
Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem.
Impia quid dubitas Deïanira mori?
Heu devota domus! solio sedet Agrios alto:
Œnea desertum nuda senecta premit:
Exulat ignotis Tydeus germanus in oris:

post, 916 et sqq., nuntius adfertur gladio ictam et propria manu concidisse. Quis dubitet quin eloquens adeo silentium, animos multo potentius commoveat, quam qui in verbis totus effunditur dolor?

144. *Virum tunicæ labe perire meæ. Tabe* reponatur ex melioribus libris: quomodo et peccatum Cydippes Epistola, 60. Seneca de Herc. Med. 640:

Præbuit sævis sua membra flammis
Tabe consumptus gemina prioris
Munere nuptæ.

Ita liber Etruscus: *gemina tabe*, tunica venenata et rogo Œtæo; *prior nupta* Dejanira, respectu Ioles, Idem, Hercule Œtæo, 716:

Ut missa palla est, tabe Nessea illita. H.

145. *Quo me furor.* Regius codex, *quis me furor*, elegantius multo, ut puto. BURM.

148. *Tu sceleris tanti causa superstes eris. Viva superstes* Puteaneus et multi alii. Forte:

Tu sceleri tanto viva superstes eris? H.

153. *Solio sedet acrior alto.* Ita vulgo quidem legitur, nulla certe sententia: mihi vero legendum videtur, *solio sedet Agrios alto.* Ut intelligamus Agrium, post dispersam Œnei domum, Ætoliæ regnum occupasse, eamque rem Dejaniram inter cetera mala et infortunia generis ac patriæ suæ recensere: fuerunt autem fratres Agrius, Melas et Œneus; ut ex Homero patet, Iliad. Ξ, 115. MICYLL.—Felix et certa emendatio. Thersitæ patrem facit Tzetz. Chiliad. VIII, c. 151 et 153. Agrius ejecit Œnea regno, quem deinde, interfecto Agrio, Diomedes ejus nepos restituit. Ant. Liberal. 37; et Hyginus, CLXXV, Agrium ejecisse Œnea dicit, quum videret orbum; sed Agrium se ipsum interfecisse addit, quod et repetit, Fabul. CCXLII. BURM.

154. *Longa senecta premit. Nuda* libri veteres, et recte: sic *inopem* alibi et *egenam* vocat senectam. Juvenalis, Satir. VII, 35:

... Tunc seque suamque
Terpsichoren odit facunda et nuda senectus. H.

155. *Exulat... Tydeus germanus* etc. Quum enim Menalippum fratrem Tydeus imprudens occidisset, patria sponte exulavit, et Argos con-

Alter fatali vivus in igne fuit:
Exegit ferrum sua per præcordia mater.
Impia quid dubitas Deïanira mori?
Deprecor hoc unum, per jura sacerrima lecti,
Ne videar fatis insidiata tuis.
Nessus, ut est avidum percussus arundine pectus,
Hic, dixit, vires sanguis amoris habet.
Illita Nesseo misi tibi texta veneno.
Impia quid dubitas Deïanira mori?
Jamque vale, seniorque pater, germanaque Gorge,
Et patria, et patriæ frater ademte tuæ.

fugit, ad Adrastum regem, qui benigne fugientem excepit, et suam ei filiam Deiphilen uxorem dedit. Stat. Theb. I. — *Ignotis in oris.* Quærit Heinsius, cur *ignotas oras* Argos Dejanira vocat, et malit *Inachiis in oris:* sed respondet Burm. fieri posse, ut ignorarèt illa quo se Tydeus recepisset. Non ea sane lis, quæ tantos viros in varias opiniones distraheret. *Ignotis*, constanter apud edd. prim.

156. *Alter.* Germanus; Meleager scilicet, de quo Noster, Met. VIII, 451 et sqq. *Vivus in igne fuit.* Ita parum video ubi lateat *mendum*, quod hic subesse suspicantur critici, ut contra amovendam prorsus judicem Francii lectionem, qui, *tostus in igne*, legendum conjiciebat. Quid enim vero poeticum magis, magisve historiæ Meleagri consentaneum, modo quis illam sibi in animum revocet, quam dicere *vivum in igne fuisse*, quum, licet absens, sensim ipse combureretur, prout fatalem stipitem flamma *fatalis* consumeret?

Inscius atque absens flamma Meleagros in illa
Uritur; et cæcis torreri viscera sentit
Ignibus. . . . METAM. lib. cit. 515.

157. *Exegit ferrum sua per præcordia mater.* Althea, ut notum, Meleagri mater, audita filii morte, gladio se ipsam interfecit; vel, teste Diod. Sicul. laqueo vitam finivit. Rem paulo aliter narrat Apollod. I, cap. 8.

160. *Ne videar fatis* etc. *Thalamis* edd. princ. Aliæ, aliter, ut *titulis tuis*, *tuis toris* etc. Prisca quædam, *totis* insidiata *toris.*

164. *Impia quid dubitas* etc. De versu hoc *intercalari*, quater intervallo breviori repetito, dicam id unum, non frequenter adeo secum, an moriatur, *dubitare*, cui stat in animo fixum immotumque *mori*; nec plurimum lectorem movere istius modi luctus. *Si vis me flere, dolendum* est primum tibi; non autem proprio sic dolori illudendum.

165. *Germanaque Gorge.* Dejaniræ soror, quæ nupsit Andremoni, ex quo Oxylum suscepit, quo duce Heraclidæ Peloponnesum recuperare tentaverunt. Pausan. III, 5. — VII, 1. Apollod. II, 8.

166. *Patriæ frater, adempte tuæ!* de Tydeo intelligendum; non de Meleagro, qui jam perierat.

Et tu, lux oculis hodierna novissima nostris:
Virque, sed o possis! et puer Hylle, vale.

167. *Tu quoque, lux oculis* etc. Vel qui ultro animam projiciunt, non sine quodam desiderii sensu novissime salutant, (Eurip. Alcest.) *Φίλον τὸ φέγγος τοῦτο τοῦ θεοῦ φίλου.* Sic moriens Dido, Æn. IV, 692: Quæsivit cælo *lucem*, ingemuitque reperta!

168. *Virque, sed o possis!* O utinam vivas adhuc, et possis ultimum hoc *vale* excipere! — *Et puer Hylle, vale!* Herculis ex Dejanira filius Hyllus, Iolen patris jussu uxorem duxit; sed quum e Peloponneso emigrare coactus fuisset, Athenas confugit, ibique conscripto exercitu, bellum Eurystheo indixit, quem propria manu interfecit. Sed ipse postea ab Echemo Arcadiæ rege interfectus est, quum in eo jam esset, ut Peloponnesum recuperaret. Herodot. VII, c. 204. — Apollod. II, 8; et Cl. Heyn. ad hunc loc. Obss. p. 204.

EPISTOLÆ DECIMÆ

ARGUMENTUM.

Minos Jovis et Europæ filius, Cretensis rex, ob Androgeum filium ab Atheniensibus dolose occisum, illos tandem post acria bella coegit, ut sibi pœnas penderent, et quidem quotannis pueros septem et totidem virgines Minotauro mitterent devorandos. Quum vero Theseus, civium suorum infortunio motus, sorti se objecisset, et in Cretam cum fatalibus pueris devenisset, docuit Ariadne illius amore capta, qua arte et Minotaurum interficeret, et e labyrintho tutus excederet,

Errabunda regens tenui vestigia filo. (CATUL.)

Theseus autem Creta, cum Ariadne et Phædra sorore discedens, in Naxon insulam delatus est; ubi a Baccho monitus, altissimo somno sopitam Ariadnen dereliquit. Quæ exspergefacta Epistolam hanc scribit, in qua Thesei beneficiorum immemoris perfidiam et crudelitatem incusat. Multum questa, diuque, rogat simpliciter, ut, conversa nave, ad illam redeat.

Plutarch. in Thes. — Catul. Carm. LXIV. — Hygin. 14, 43, 270. — Apollod. III, 1.

EPISTOLA X.*

ARIADNE THESEO.

MITIUS inveni, quam te, genus omne ferarum;
  Credita non ulli, quam tibi, pejus eram.
Quæ legis, ex illo, Theseu, tibi litore mitto,
  Unde tuam sine me vela tulere ratem;
In quo me somnusque meus male prodidit, et tu,
  Per facinus somnis insidiate meis.
Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina
  Spargitur, et tectæ fronde queruntur aves.
Incertum vigilans, a somno languida, movi

* Priscæ editiones et codices nonnulli etiam hic copiosiores sunt vulgatis, quum hanc Epistolam sic exordiantur :

Illa relicta feris etiam nunc, improbe Theseu,
  Vivit; et hæc æqua mente tulisse velis.

Ejusdem nempe farinæ, cum iis, quæ hic illic jam ante dedimus. HEINS.

1. *Mitius inveni.* Francio etiam hoc distichon suspectum videbatur, et Epistolam a sequenti *Quæ legis* etc. inchoabat.

3. *Ex illo, Theseu, tibi littore mitto, Unde tuam sine me vela tulere ratem.* Diam insulam significat, ubi Ariadnam reliquerat Theseus. Apollonius, lib. IV, 433. Argon. de ipsa Ariadna :

. . . . . ἣν ποτὲ Θησεὺς
Κνωσσόθεν ἐσπομένην Δίῃ ἔνι κάλλιπε νήσῳ.

— Alii eam in Naxo relictam scribunt; sed unam eamdemque esse insulam constat, quæ vicissim Strongyle, deinde Dia, et Naxos tandem denominata est, a Naxo Cretensi, quo duce, Cares insulam occuparunt; vel potius ab urbe ejusdem nominis in insula Crete, de qua mentio apud Scholiast. Pindar. ad Isth. VI, v. 106. Vid. *Raoul-Rochette, Colon. Grecq.* tom. II, pag. 154.

9. *Incertum vigilans an somno languida.* Scripti omnes, *a somno.* Præter alterum Mentelianum, in quo *e somno.* Lego, *ac somno languida. Incertum vigilans*, dubie vigilans. Sic Stat. Theb. V, qui hæc videtur respexisse :

Turbidus, incertumque oculis vigilantibus hostem
Occupat. HEINS.

Thesea pressuras semisupina manus.
Nullus erat; referoque manus, iterumque retento,
Perque torum moveo brachia: nullus erat.
Excussere metus somnum: conterrita surgo;
Membraque sunt viduo præcipitata toro.
Protinus adductis sonuerunt pectora palmis:
Utque erat e somno turbida, rapta coma est.
Luna fuit: specto, si quid, nisi litora, cernam:
Quod videant oculi, nil, nisi litus, habent.
Nunc huc, nunc illuc, et utroque, sine ordine, curro:
Alta puellares tardat arena pedes.
Interea toto clamanti litore, Theseu!

10. *Semisupina.* Codices omnes *semisopita* præ se ferunt, reclamante tamen syllaba: nam *sopire* semper primam producit, ut apud hunc ipsum infra, in Epist., Medeæ:

Quæ me non possum, potui sopire Draconem.

Et Hypermnestræ:

Dum petis amplexus, sopitaque brachia jactas.

Tametsi sopor corripiat; quare *semisepulta* libentius eodem sensu legerim. EGNAT.

11-12. *Nullus erat..... nullus erat.* Ita frequens in repetitis Ovidius, ut nihil mirum, si quando male cesserint, et in frigidulam verborum oppositionem desinant: sed hic multum laudanda repetitio hæc, *nullus erat;* seu affectum loquentis, seu locum ipsum respexeris, quem occupant verba tam ingeniose disposita. — *Retento.* Satis aptum verbum: ut *tentare*, *pertentare*, in simili re; sed in Moreti et Ambrosiano erat *retendo*, quod Heinsio non displicebat: sed *retento* est, iterum iterumque tactu exploro, an in parte tori Theseus meus esset. Mox pro *moveo*, Farnesianus *jacto brachia;* quod non displicet, quia præcesserat, *movi manus.* BURM.

16. *Utque erat e somno* etc. Animo simul, et totius corporis habitu perturbatam, inordinatamque Ariadnen, ubi primum abesse Thesea intellexit, sic describit Catullus, in egregio illo Carmine, *de Nupt. Thet. et Pel.* 60, sqq:

Quem procul ex alga Martis Minois ocellis
Saxea ut effigies bacchantis prospicit Evoë;
Prospicit, et magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas;
Omnia quæ toto delapsa e corpore, passim
Ipsius ante pedes fluctus salis altudebant.

Ubi nescias profecto, utrum magis, vividosne et nativos colores poetæ pictoris, an vim et quasi penicilli calorem, mireris. — *Rapta. Rupta*, margo Bersm.: rectius. Ep. III, 15:

At lacrymas sine fine dedi, *rupique* capillos.

Vero, hic *turbida* est *turbata;* ut recte Douza etiam cepit. BURM.

18. *Litus habent. Erat:* tres scripti ut Epist. Laodam.:

Et quod spectarem, nil, nisi pontus, erat. H.

Reddebant nomen concava saxa tuum :
Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat ;
Ipse locus miseræ ferre volebat opem.
Mons fuit ; adparent frutices in vertice rari ;
Hinc scopulus raucis pendet adesus aquis.
Adscendo ; vires animus dabat, atque ita late
Æquora prospectu metior alta meo.
Inde ego, nam ventis quoque sum crudelibus usa,
Vidi præcipiti carbasa tensa Noto :
Aut vidi ; aut etiam, quum me vidisse putarem,
Frigidior glacie, semanimisque fui.
Nec languere diu patitur dolor : excitor illo,
Excitor ; et summa Thesea voce voco.
Quo fugis? exclamo : scelerate, revertere, Theseu !

25. *Mons fuit.* Dryon significat, in quem delata a Baccho Ariadne. Sic et apud Catull. Carm. LXIV, 126 :

Ac tum præruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem in pelagi vastos protenderet æstus.

26. *Hinc scopulus.* Quidam *nunc* ; nos recepimus *hinc scopulus* ; non enim Ariadne mutatam ab eo tempore montis conditionem vult innuere ; sed ex monte partem, instar scopuli, eminuisse in mare, ut V, Fast. 150, *pars bona montis* saxum dicitur. *Pendet* vero, eleganter, quia inferiori parte adesus aquis, super æquor *pendere* videbatur. *Hic* probabat Douza. BURM.

29. *Crudelibus.* Ita mox *crudeles somnos* et *ventos*, et *sævos* vocat ; vers. 111 et 113 ; sed in Moreti uno, et margine Bersman. est *crudelius*, quod non repudiandum temere.

30. *Carbasa tensa noto. Tenta*, Puteaneus et alii nonnulli : sic Metam. XIII, 417, ex veteri codice :

Jamque viam suadet Boreas, flatuque secundo
Carbasa *tensa* sonant. HEINS.

31. *Aut vidi, aut etiam, quum me vidisse putarem* etc. Mire turbant hic denuo prisca exemplaria : alter Mentelii, *dum me vidisse putarem.* Puteaneus, hiatu relicto in illis, quæ legi non poterant :

Aut vidi a... jam quæ me vidisse putarem.

Putabat Heinsius rescribendum :

Aut vidi, aut quoderant quæ me vidisse putarem.

Sed ipsum mox *pigebat* in talibus immorari. Magnum sane eruditis documentum ! Amantis est, quæ vel ipsos oculos conatur ludere, et certissima quæque in dubium revocat, ut quam possit longissime spem foveat, quæ miseros omnium ultima deserit. Mire ad misericordiam commovendam compositum hoc dubitationis genus.

33-34. *Excitor illo, Excitor* etc. Dolore scil. qui *languere* diutius non passus est. Catull. Carm. citat. 55 :

Nec dum etiam sese, quæ visit, visere credit ;
Utpote fallaci quæ tum primum excita somno.

35. *Quo fugis, exclamo* etc. In laudato jam Carmine Catullus desperatam Ariadnen, et fugientem

Flecte ratem; numerum non habet illa suum.
Hæc ego : quod voci deerat, plangore replebam :
Verbera cum verbis mixta fuere meis.
Si non audires, ut saltem cernere posses,
Jactatæ late signa dedere manus ;
Candidaque imposui longæ velamina virgæ,
Scilicet oblitos admonitura mei.
Jamque oculis ereptus eras : tum denique flevi;
Torpuerant molles ante dolore genæ.
Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent,
Postquam desierant vela videre tua?
Aut ego diffusis erravi sola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo :

Theseum sic alloquentem inducit, v. 132, sqq :

Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
Siccine discedens, neglecto numine Divum,
Immemor ah! devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? Tibi nulla fuit clementia præsto,
Immite ut nostri vellet mitescere pectus?
At non hæc quondam nobis promissa dedisti!
Et quæ sequuntur.

36. *Numerum.* Locutio hæc quidem in alia re sæpius occurrit, ut II. Pont. VIII, 3 :

Utque suum munus *numerum*, quem debet, haberet.

Sed hic maxime proprie posita videtur : nam sic et Cic. V, in Verr. 51 : « Tuus testis, tuus imperator, tuus hospes Cleomenes, hoc dicit se in terram esse egressuin, uti Pachyno e terrestri præsidio milites colligeret, quos in navibus collocaret, quod certe non fecisset, si suum *numerum* naves haberent ». BURM.

39. *Ut saltem.* Junii, *hæc saltem :* forte, *at saltem ut.* IDEM.

40. *Jactatæ.* Codex Douzæ *Jactantes ;* certe *jactatæ late* non placet. — *Jactatæ late* etc. Scriptum fuisse olim *alte*, secunda litera præposita, et hinc *jactatæ ex alto*, veram esse lectionem conjiciebat Burmann. secund. ad Propert. I, Eleg. VIII, 16. LENNEP.

45. *Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent!* Ita friget oratio, ut fuerint, qui *te*, pro *me*, legendum proposuerint. Vitium, vitiosius emendatum. Quam dissimilis Ariadne hæc, a Catulliana, quæ

... Toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente !

46. *Desierant. Desieram*, Puteaneus et quinque alii. HEINS. Nos antiquam lectionem reduximus ; quam magis poeticam credimus, et poscit præcedens *facerent.* BURM.

48. *Qualis ab Ogygio.* Ogygium Deum Bacchum accipe, ab Ogyge antiquissimo Bœotorum rege, quem Pausanias αὐτόχθονα fuisse, Bœotiæque imperasse scribit, populumque ejus fuisse Hectenes; quibus peste

Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi;
Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.
Sæpe torum repeto, qui nos acceperat ambos;
Sed non acceptos exhibiturus erat.
Et tua, qua possum, pro te vestigia tango;
Strataque, quæ membris intepuere tuis:
Incumbo; lacrimisque toro manante profusis,
Pressimus, exclamo, te duo: redde duos.
Venimus huc ambo: cur non discedimus ambo?
Perfide, pars nostri, lectule, major ubi est?
Quid faciam? quo sola ferar? vacat insula cultu.
Non hominum video, non ego facta boum.
Omne latus terræ cingit mare: navita nusquam;
Nulla per ambiguas puppis itura vias.
Finge dari comitesque mihi, ventosque, ratemque;

absumtis, successisse Hyantes et Aonas usque ad Cadmi tempora, a quo Thebæ conditæ, ubi postea Bacchus natus: quem hic Ogygium vocat Poeta, ut Phoroneos et Inachios, Argivos alibi. MICYL.

50. *Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.* Expressisse videtur Catulli locum, ubi ita est:

Saxea ut effigies Bacchantis prospicit Evoe.

53. *Et tua quæ possum. Qua possum*, rectius Argentinus, cum Jureti Excerptis.

56. *Pressimus* (*exclamo*) *te duo: redde duos.* Legerem *duo*, ut esset figura plenior: nam et *duo* legitur in casu accusandi. Virg. XI. Æneid.:

Si *duo* præterea tales Idæa tulisset Terra viros. B.

— *Redde duos.* Dubii nihil quin *duo* pro *duos* in accusandi casu recte dicatur: sed sensit Poeta numerosissimus, et qui auri potissimum inservit, quid grave et lectori molestum redundaret, e viciniori tot verborum in *o* desinentium congerie:

... Exclamo, te duo: redde *duo*.
Venimus huc ambo; cur non discedimus ambo?

Quod Burmannum fugisse miror, qui poeta ipse, et quidem non ita contemnendus.

59. *Quo sola ferar.* Sic meliores. Et *culto* pro *cultu*, Puteaneus. Fast. I. I, 683:

Neve graves cultis Cerealia dona, cavete,
Agmine læsuro depopulentur aves. HEINS.

Non tamen puto *cultum* recte dici in singulari, sed novi sæpe occurrere in plurali *culta*: et præterea, si jam *culto* admitti posset, non recte tamen diceretur, *insula vacare culto*, pro cultis agris; sed *cultu* probe, id est, colentium manu et opera. BURM.

60. *Non hominum video, non ego facta boum.* Ex Homeri Odyss. K, 98, de Læstrygonum regione:

Ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν, οὔτ' ἀνδρῶν φαίνετο ἔργα.

Quid sequar? accessus terra paterna negat.
Ut rate felici pacata per æquora labar;
Temperet ut ventos Æolus; exsul ero.
Non ego te, Crete, centum digesta per urbes,
Adspiciam, puero cognita terra Jovi.
Nam pater, et tellus justo regnata parenti,
Prodita sunt facto, nomina cara, meo:
Quum tibi, ne victor tecto morerere recurvo,
Quæ regerent passus, pro duce, fila dedi:
Quum mihi dicebas, per ego ipsa pericula juro,

64. *Accessus terra paterna negat.* Eadem sibi objicit, apud Catullum, Ariadne, 180:

An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui,
Respersum juvenem fraterna cæde secuta?

65. *Pacata. Placata* Lovaniensis, solemni permutatione: vid. XIII, Metam. 440; et XV, 723, ubi similis diversitas. *Labi* vero eleganter pro *navigare* poni, docuit Broukhusius, ad Propert. II, Eleg. XX, 18. BURM.

66. *Temperet ut ventos Æolus* etc. Fac, pone ventos Æolus emittat secundos, et pacatum nihil turbet mare; non ideo minus exsul, cui nullus jam recessus in terram paternam.

67. *Digesta. Disjecta*, Junii liber; unde fuit, ut *dissepta* legerem; sed vulgata recte se habet. Ep. IX, 93:

Inque canes totidem trunco *digestus* ab uno
Cerberus. HEINS.

69. *Nam pater et tellus.* Puteaneus ac alter Moreti, *at pater:* vetustior ejusdem *Et pater:* probe. HEINS. *Parente* etiam Puteaneus a manu secunda et quinque alii: nil muto. Horat. II, Od. VI; 11:

... Et regnata petam Laconi
Rura Phalanto. BURM.

Et Virgil. Æn. III, 13, 14: *Terra... acri regnata Lycurgo.*

70. *Facto. Pacto* Vossianus: forte recte; pacto, sive nuptiis cum Theseo initis: vid. infr. V, 92. *Nomina bina*, etiam Francofurtensis. BURM.

71. *Ne victor tecto morerere recurvo.* Labyrinthum indicat. Quatuor hujus-ce modi ædificia apud veteres celebrantur: Ægyptiacum, Cretense, Lemniacum et Italicum. Agitur hic de Cretensi labyrintho, qui nihil aliud, quam antrum nativum prope Cnossum, et meatus subterranei, mox manu humana elaborati, religioni forte consecrati... Nulla ejus vestigia supererant, jam Diodori Siculi ætate, I, 61; seu hominum opera, seu terræ motibus et ruinis; etsi meatus et canaliculos subterraneos in Creta superesse testantur recentiores, ut *Tournefort.* De situ tamen dubites, si inspectus fuerit tibi *Savary; Lettres sur l'Égypte et sur la Grèce*, Tom. III. Heyn. ad Apollod. III, cap. I.

73. *Quum mihi dicebas* etc. Codex Douzæ hic et disticho superiore habet *tunc.* Forte:

Tunc mihi dicebas, per ego ista pericula juro.

—*Ista* habet Gronovianus. Scio, l. I, Metam. 353, legi, *nunc ipsa pericula jungunt:* sed hic malim *ista.* BURM. — Ipsum quod adfert exemplum,

Te fore, dum nostrum vivet uterque, meam.
Vivimus : et non sum, Theseu, tua ; si modo vivit
Femina, perjuri fraude sepulta viri.
Me quoque, qua fratrem, mactasses, improbe, clava ;
Esset, quam dederas, morte soluta fides.
Nunc ego non tantum, quæ sum passura, recordor ;
Sed quæcunque potest ulla relicta pati.
Occurrunt animo pereundi mille figuræ ;
Morsque minus pœnæ, quam mora mortis, habet.
Jam jam venturos aut hac, aut suspicor illac,

contra Burmann. facit. Quis enim vim multo majorem inesse in *ipsa*, quam in *ista*, non senserit?

75. *Si modo vivit femina. Vivis*, codices magno numero ; ut se ipsam alloquatur, quod ἐμφατικώτερον ad affectus concitandos. Ipsa Ariadne, Fast. III, 463 :

Sorte tori gaudens, quid flebas, rustica, dixit ?
Utiliter nobis perfidus ille fuit.

Non *flebam*, ut est in vulgatis.

76. *Fraude sepulta viri.* Turbant admodum manu exarati codices, quorum Palatinus, et quidam alii hic habent *soluta ;* et sequenti pentametro, *Sepulta fides.* Solvi enim pro *mori*, noster sæpe ponit. II. Amor. X, 36 :

Medium *solvar* et inter opus.

In Ibin. 146 :

Sive manu facta morte *solutus* ero.

Sepulta vero fides elegantissime dicitur, ita abolita et obscurata, ut nulla ejus vestigia post cædem Ariadnes extarent, nec quisquam eam Theseo exprobrare posset, si Ariadnen, antequam ex patria abduxisset, quod ipsum Atheniensibus fidem pacti facere poterat, *mactasset clava ;* tunc enim nullum fidei Ariadnæ datæ argumentum adversus Thesea produci potuisset ; sed simul cum funere condidisset fidem. BURM.

77. *Me quoque qua fratrem* etc. Asterionem, qui a Theseo occisus, et quem eumdem fuisse, ac ipsum Minotaurum, censet Apollod. Bibl. III, p. 1. — *Fratrem* hic intelligit Minotaurum Ariadne.

79. *Quæ sum passura recordor.* Nihil variant codices : posset tamen videri alicui scribendum, *quæ sum modo passa recordor*, quia præteritorum *recordamur ;* sed et de futuris ita utitur Justinus, lib. V, cap. 7 : « Sibi quisque ante oculos obsidionem, famem et superbiam, victoremque hostem proponentes ; jam ruinam urbis et incendia, jam omnium captivitatem et miserrimam servitutem *recordantes.* » Et idem eo sensu utitur verbo *meminisse*, lib. XI, 5 : *Nec belli periculorumque, sed divitiarum meminerant.* BURM.

82. *Morsque minus pœnæ, quam mora mortis habet.* Cæsar apud Sallust. in Cat. 52 : « In luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse ; eam cuncta mortalium mala dissolvere etc. »

83. *Jam jam venturos — suspicor — lupos.* Tot ferarum monstris terreri puellam non sane repugnat ; sed istius modi terroribus Ariadnen

Qui lanient avido viscera dente, lupos :
Forsitan et fulvos tellus alat ista leones :
Quis scit, an hæc sævas tigridas insula habet?
Et freta dicuntur magnas expellere phocas.
Quis vetat et gladios per latus ire meum?
Tantum ne religer dura captiva catena;
Neve traham serva grandia pensa manu ;
Cui pater est Minos, cui mater filia Phœbi ;
Quodque magis memini, quæ tibi pacta fui.
Si mare, si terras, porrectaque litora vidi;
Multa mihi terræ, multa minantur aquæ :
Cælum restabat : timeo simulacra Deorum.

occupari, quum furor, iraque et deceptus amor diversarum adeo curarum æstu exagitant, vix admittendum. Quanto verius hæc eadem apud Catul. 152 :

Pro quo dilanianda feris dabor, alitibusque
Præda, neque injecta tumulabor mortua terra?

86. *Quis scit an hæc sævas insula tigres habet.* Sic enim edd. veteres; in quo versu, ut recte Heinsius, duo statim offendunt : primo, quod contra Latinorum morem dicitur, quis scit *an habet*, pro *habeat*. Deinde, quod posteriorem in *tigrides* corripit, quæ sine dubio *longa* syllaba est. Prius tamen, exemplis e Terentio et Plauto petitis defendi possit : posterius autem metri vitium patronum invenire, difficilius est. Hinc illa variantium lectionum seges, quas inter haud scio an non longe præferenda sit Wakkeri conjectura, locum sic emendare tentantis, hac verborum transpositione :

Forsitan et fulvos tellus habet ista leones;
Quis scit, an et sævas tigridas insula alat?

Valde quidem ingeniose, inquit Lennep; minus tamen suavi clausula pentametri. E codd. vestigiis auctor Elector. Eton. :

Quis scit, an et sævam tigrida Dia *ferat*?

Ceterum, cum Lennepio concludendum, frigere adeo longam hanc ferarum enumerationem, ut totum hoc distichon, si abesset, minime desiderandum.

88. *Quis vetat et gladios.* Leve est quod dicam, dicendum tamen, reponi nimirum debere, vel contra codices vetustos, *Quid vetat*. Heins. — *Leve* quidem, et quod non indigeat quatuordecim locorum interpositione, ut fidem obtineat.

90. *Grandia.* Recte, quæ duritiam dominæ, cui servituram se metuit, arguunt : ita *iniqua pensa* : de quibus jam Ep. IX, 78. Burm.

92. *Quodque magis memini.* Rectius legeretur, *Quoque magis merui* : majus meritum dicit Theseo se pactam fuisse, quam esse Minois et Pasiphaes filiam. In prima editione erat : *Quoque magis memini... nupta fui.* Cod. Douæ. Idem.

95. *Deorum. Ferarum* in Gronoviano : quod qui supposuit, præterquam quod astra sub figuris Ser-

Destituor rabidis præda cibusque feris.
Sive colunt habitantque viri, diffidimus illis:
Externos didici læsa timere viros.
Viveret Androgeos utinam! nec facta luisses
Impia funeribus, Cecropi terra, tuis!
Nec tua mactasset nodoso stipite, Theseu,
Ardua parte virum dextera, parte bovem!
Nec tibi, quæ reditus monstrarent, fila dedissem,
Fila per adductas sæpe recepta manus!

pentis, Centauri etc. fingi noverat, in animo habuit alterum Ovidii locum, Met. II, 78, sqq. ubi omnia fere illa simulacra enarrat: sed nescio quid spurii et non Ovidiani sonet hic versus, qui forte a sciolo quodam ex centonibus aliunde consutus est, et, ut sæpe alibi, confictus. Quare puto ejectum et loco motum genuinum versum, qui sequenti pentametro aptius cohæreat; continuisse vero hunc sensum: sive deserta est et incolis vacua, *destituor præda feris;* sive colunt viri, *diffidimus illis.* BURM.— Nullum quidem versum loco motum censet Lennep; sed potius duo temere invectos fuisse arbitratur; Ovidium autem sic dedisse:

Si mare, si terras, porrectaque litora vidi,
Destituor rapidis præda cibusque feris:
Sive colunt, habitantque viri, diffidimus illis;
Externos didici læsa timere viros.

Ut sit sensus quem Burmann. voluit. Quam Ovidii mentem haud satis forte in legendo quidam assecutus, ad secundum versum, pro varia lectione, sui nobis hunc ingenii fœtum,

Multa mihi terræ, multa minantur aquæ,

margini adscripsit; unde quum in textum irrepsisset, sicque alter esset pentameter sine hexametro, excidisse hunc ratus librariorum aliquis, pro Ovidiano, quem repræsentare non poterat, suum nobis illum venditavit:

Cælum restabat; timeo simulacra Deorum.

Ut hunc, ita sequentem ejiciendum censebat auctor Elect. Eton. Hæc Lennep.

96. *Rapidis præda cibusque feris. Rabidis* Argentinensis: sic idem codex sequenti Epistola, *rabidarum præda ferarum:* ubi pari modo variant codices MSS. *Rapidæ* tamen feræ pro rapacibus dictæ videntur. H.

99. *Viveret Androgeos!* Longius repetita, more muliebri, dolorum causa. Si enim Androgeona Athenienses per invidiam non occidissent, non coegisset Minos, ut

... Septena quot annis
Corpora natorum (ÆNEID. VII, 21.)

Minotauro prædam mitterent; et sic Theseus nunquam in Cretam venisset etc. Longius, inquam, petitum; nec ita verbosus, qui verus, dolor: *stupet; loquitur* levis. — *Nec facta luisses. Fata tulisset,* Puteaneus; alii, *fata luisses,* vel *tulisses:* sed nil muto. HEINS.

102. *Parte virum... parte bovem.* Minotaurum, monumentum istud *nefandæ Veneris.*

104. *Fila per adductas sæpe recepta*

Non equidem miror, si stat victoria tecum,
  Strataque Cretæam bellua stravit humum.
Non poterant figi præcordia ferrea cornu:
  Ut te non tegeres, pectore tutus eras.
Illic tu silices, illic adamanta tulisti:
  Illic, qui silices, Thesea, vincat, habes.
Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?
  At semel æterna nocte premenda fui.
Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati,
  Flaminaque in lacrimas officiosa meas;
Dextera crudelis, quæ me fratremque necavit;
  Et data poscenti, nomen inane, fides:

manus. Non damno hanc lectionem. Vide tamen, ne scripserit Ovidius *fila relecta*. Auget suspicionem de mendo, quod in nonnullis exemplaribus membraneis, pro glossa, adscriptum est *collecta*. Met. VIII, 173, de eadem re:

Janua difficilis *filo* est inventa *relecto*.

Ubi *relicto*, perperam scribebatur. H.

106. *Stravit humum*. Sic boni libri. Quanquam in MSS. notet Gruterus legi:

Strataque Cretæam bellua tinxit humum.

Nobis tamen nondum displicet hæc lectio. Quid sit pondere, aut mole, aut cadendo, *sternere humum*, norunt, qui Poetas viderunt. DAN. HEINS. — *Tinxit humum* multi ex scriptis: non male, ut Schottus in suis invenit lib. II, Observ. c. LIII. Retinuit vulgatam Burm. tum quia plane Ovidianum est *strata stravit*; ut *perdita ne perdam timeo*, et similia; tum quia *sternere terram* satis eleganter et proprie dici puto. Virgil. VIII, Æneid. 719:

Ante aras *terram* cæsi *stravere* juvenci.

Quamquam ibi paulum alio sensu capiatur; sed accommodatior Horatius, lib. IV, Od. XIV, 29, ex emendatioribus membranis:

Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque et extremos metendo
Stravit humum, sine clade victor. BURM.

107. *Cornu*. De Minotauri cornu accipitur recte. Stat. XII. Theb. 670:

Alternasque manus circum et nodosa ligantem
Brachia, et abducto vitantem cornua vultu.

Cornu pro arcu habuimus, Epist. IV, 39. IDEM.

108. *Ut te non tegeres*. Douzæ codex et tres alii, *ut tua non tegeres pectora*; quod ille probat. — *Ut te non tegeres, pectore tutus eras*. Munierat te satis adversus Minotaurum ferrei pectoris durities, quamvis nihil aliunde in pugna protegeret.

109. *Illic tu silices, illic*. Sic ex castigatioribus repone utroque loco: proximo versu *silicem* nonnulli, et placet. HEINS.

111. *Quid me*. Naugerius malebat *qui*: quod Gronovii, Moreti, et excerpta Gallicana confirmant: unus Palatinus, *cur*.

112. *Premenda. Tenenda* unus Moreti; ut sit repetitio: sed efficacius

In me jurarunt somnus, ventusque, fidesque;
Prodita sum causis una puella tribus.
Ergo ego nec lacrimas matris moritura videbo;
Nec, mea qui digitis lumina condat, erit?
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras;
Nec positos artus unget amica manus?
Ossa superstabunt volucres inhumata marinæ?
Hæc sunt officiis digna sepulcra meis?
Ibis Cecropios portus; patriaque receptus
Quum steteris urbis celsus in arce tuæ,
Et bene narraris letum taurique virique,
Sectaque per dubias saxea tecta vias;
Me quoque narrato sola tellure relictam:
Non ego sum titulis subripienda tuis.
Nec pater est Ægeus; nec tu Pittheidos Æthræ
Filius; auctores saxa fretumque tui.

premenda, quia *æterna nocte*, id est morte, præcedit. Horat. I, Od. IV:

Jam te *premet* nox, fabulæque manes. B.

120. *Digitis*. *Digitus* Scriverii et Palatinus. — Idque retinendum, tum ex auctoritate trium edd. ant. tum quia poeticum magis et elegantius. Sunt qui *digitis*; nec male.

126. *Cum steteris urbis celsus in arce tuæ*. *Turbæ celsus in arce* Puteaneus; et emendatum postea *urbis in arce*: quomodo et septem alii. Lovaniensis: *urbis celsus in ore*. Octo, *turbæ celsus in arce*: totidem, *turbæ celsus in ore*: vere. Livius, lib. XXI, cap. 24: *Porta ea velut in ore urbis posita*. Florus II, cap. 15: *Classem sub ipso ore urbis incendit*: quinque, *in orbe*; et hoc bene: unus, *turbæ in urbe*. Heins.

127. *Tauri* et *viri*, i. e. Minotauri.

129. *Me quoque narrato sola tellure relictam*. Elegantior multo, quam vulgat. lectio *solam*. De hac nostra Catullus, Carm. laud. 57:

Desertam in sola miseram se cernit arena.

130. *Non ego sum titulis* etc. Non ea laudis tuæ pars omittenda; Ariadne scilicet derelicta. — *Excipienda*, Vatican. quod Heinsio non displicebat.

131. *Nec pater est Ægeus*. Apta exprobratio, quia Theseus Neptuni filius credebatur; Neptuni vero filii semper feroces et sævi a Poetis inducuntur. Ægea vero abjudicat ipsi patrem, quia ille pronus in amores, et Veneream voluptatem. Burm.

132. *Auctores saxa, fretumque tui*. Catullum simul et Virgilium æmulatur, quorum prior, 154:

Quænam te genuit sæva sub rupe læna?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?

Posterior vero, multo vehementius:

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,

Di facerent, ut me summa de puppe videres!
Movisset vultus mœsta figura tuos.
Nunc quoque non oculis, sed, qua potes, adspice mente,
Hærentem scopulo, quem vaga pulsat aqua.
Adspice demissos lugentis in ore capillos;
Et tunicas lacrimis, sicut ab imbre, graves.
Corpus, ut impulsæ segetes Aquilonibus, horret;
Literaque articulo pressa tremente labat.
Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro:
Debita sit facto gratia nulla meo;
Sed nec pœna quidem: si non ego causa salutis,
Non tamen est, cur sis tu mihi causa necis.
Has tibi, plangendo lugubria pectora lassas,

Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus. ÆNEID. IV, 365.

Ex Homero uterque: Γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα. Il. II, 34.

133. *Di facerent* etc. Tentat denuo Theseum miserando conditionis suæ aspectu movere; nec dubitat quin, si videat, mentem mutet et consilium. Sed *ignaris* nequicquam *auris conqueritur*, (Catull. ibid. 165:)

... Quæ nullis sensibus auctæ,
Nec missas audire queunt, nec reddere voces.

— *Summa de puppe. De rupe*, Junianus: quæ si vera lectio est, sensus esset; me videres, de rupe spectantem, vel sedentem in rupe. Heinsius corrigebat *e rupibus;* sed nihil hic movendum. BURM.

137. *Demissos lugentis in ore capillos.* Sic quatuor libri: at Leidensis *lugentum more;* ut Virg. III, 65:

... Iliades, crinem de more solutæ.

Propert. lib. II, Eleg. III:

Nec de more comæ per levia colla fluentes. H.

Ita confundi *more* et *in ore* patet e Quinctil. XI, Inst. Orat. 3.

139. *Corpus, ut impulsæ segetes* etc. Hac eadem comparatione iterum Noster, et de ipsa Ariadne, usus est, Art. Amat. I, 553:

Horruit, ut steriles, agitat quas ventus, aristæ;
Ut levis in madida canna palude tremit.

140. *Literaque articulo pressa tremente labat.* Et quam mitto tibi, Epistola tremulis e manibus elabitur, ut est incomposita, inordinata, et adposito vix sigillo.

141. *Adoro.* Regius, *adortor,* quod est pro *adhortor:* sed nihil muto; posset enim aliter legi *id oro:* sed *adoro* est positum pro simplici *oro.* Nec aliter accipiendum, apud Propert. I, Eleg. IV, 27: *Maneat sic semper, adoro.* Aut apud Virg. Æn. X, 677:

In rupes, in saxa, volens vos Turnus *adoro,*
Ferte ratem, sævisque vadis immittite Syrtis.

Scriverii quoque codex *male cessat:* quæ eadem varietas apud Statium, lib. XII, Theb. 713: *Cessit fiducia valli;* ubi codices *cessat.* Douza volebat, *quod jam male cessit.* BURM.

143. *Sed nec pœna quidem!* Non jam postulat ut *gratiam* ullam, licet *debitam* sane, pro beneficiis Ariad-

Infelix tendo trans freta longa manus :
Hos tibi, qui superant, ostendo mœsta capillos :
Per lacrimas oro, quas tua facta movent ;
Flecte ratem, Theseu ; versoque relabere vento :
Si prius occidero ; tu tamen ossa leges.

nes rependat Theseus : precatur hoc unum, ne in *pœnam* sibi vertat, quod tam bene de illo meruit. — *Si non ego causa salutis ;* etiamsi non te leto, et quidem certissimo eripuissem, sicque *salutis* tuæ *causa* extitissem, non est unde tu mihi necis horrendæ causa.

147. *Ostendo mœsta capillos.* Quomodo absenti tam longe Theseo ostendere poterat capillos? Puto *obtendo ;* enim, ut modo *tendere*, positum pro *porrigere*, *prætendere*, ut solebant supplices.

149. *Versoque relabere velo.* Sic legendum cum Basileensi codice ; vel, ut Gronovianus pro varia lectione habet, *versoque relabere cursu.* Sic supra dixerat, v, 36 : *Flecte ratem ;* et hic unus Moreti *flexoque* habebat ; et Ep. XIII, 134 :

Dum licet, Inachiæ vertite vela rates.

Ita *ventus* et *velum* confusa apud Tibul. III, Eleg. II. BURM.

150. *Tu tamen ossa feres.* Alter Mentelianus et præterea tres membranæ, *leges :* quo et unus alludit Mediceus, in quo *lege.* Noster Am. III, Eleg. VI, 73 :

O utinam mea *lecta* forent, patrioque sepulcro
Condita, dum potèrant virginis ossa *legi.*

Perperam ibi vulgo, *tecta* et *tegi.* Propert. IV, Eleg. I, 127 :

Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris, et in tennes cogeris ipse Lares. H.

— *Ossa feres.* Efferes, in sepulcro componenda. Tradit Pœon quidam Amathusius, Theseum, quum Ariadnen, navigatione defessam in insula reliquisset, eo reversum extinctam invenisse, et pecuniæ summam reliquisse, ut rite et cum pompa tumulo conderetur. Sed poeticus magis, ideoque præferendus, qui invaluit de Ariadne rumor, a Baccho adamata, et corona ab eo donata, quæ post ipsius mortem locum inter signa cælestia obtinuit. Narrat vero Plutarch. in Thes. Ariadnen, post Thesei discessum, Onaro cuidam, qui Bacchi sacris addictus erat, nupsisse ; et Ion, poeta Chius, filios e Theseo suscepisse, Œnopion et Staphylum.

EPISTOLÆ UNDECIMÆ

ARGUMENTUM.

Canace et Macareus, Æoli ventorum regis filii, quum nefando amori turpius indulsissent, filium Canace peperit, quem, quum e regia, nutricis ope, emitteret, ut clam aleretur, vagitu suo se prodidit; et filiorum scelere incensus pater infantem canibus jussit exponi, et gladium Canacæ misit, quo pro meritis uteretur. Sed priusquam moriatur, Macareo, qui jam in templum Apollinis Delphici confugerat, casus suos hac Epistola narrat; rogatque ut matris simul et pueri cineres colligat, et eadem urna curet componendos.

Vidend. Apollod. I, 7; Hygin. Fab. 238–242; Aristophan. Schol. ad *Nubes*, 1374; ad *Ranas*, 874; et Fragment. Euripid. apud Barnes., p. 444. Ed. Cantabrig. 1694.

EPISTOLA XI.

CANACE MACAREO.*

Si qua tamen cæcis errabunt scripta lituris,
  Oblitus a dominæ cæde libellus erit.
Dextra tenet calamum; strictum tenet altera ferrum,
  Et jacet in gremio charta soluta meo.
Hæc est Æolidos fratri scribentis imago;

* Æolis Æolidæ, quam non habet ipsa, salutem
Mittit, et armata verba notata manu.

Priscæ editiones, cum Excerptis Puteani, et libri ex nostris multi, ita ordiuntur hanc Epistolam, vulgatis auctiorem, sed interpolatoris beneficio: nam versu quarto hujus Epistolæ pro *charta soluta*, nonnulli *notata* denuo exhibent; quibus si auscultamus, *notanda* rectius omnino erit: sed *soluta* bene se habet, ut apud Juvenalem, Sat. XIII, 116. HEINS.

1. *Si qua tamen cæcis* etc. Verbatim fere, ex illis Propert. IV, El. III, 3:

Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Hæc erit a lacrimis facta litura meis.

Sed inest abruptum aliquid, incompositum et inordinatum in Ovidiana, quod animum scribendo perturbatum mire arguit. Hoc tamen ita parum intellexerunt quidam interpretes, ut deesse non nihil exordienti Epistolæ nasute præsumpserint. — Præterea, nullum hic verbum, quod non adnotandum videatur: si quæ partes, quam mitto tibi, Epistolæ, *errabunt*, non suum ordinem servabunt, nec ita facile legentur, propter *cæcas lituras*, causam senties: *libellus oblitus* erit, fœdatus, maculatus, a dominæ *cæde;* quia quæ scribit, vitam simul et opus absolvet.

3. *Dextra tenet calamum* etc. Vidimus jam in Didone, 186:

Scribimus; et gremio Troicus ensis adest.

Ita sui semper similis Ovidius, ut merito de operibus dicas, quod ipse de Doride et natis:

... Facies non omnibus una,
Nec diversa tamen. METAM. II, 13.

5. *Hæc est Æolidos fratri scribentis imago.* Servius ad Æneid. I, 75, scribit Macareum et Canacen non hujus Æoli, qui ventorum rex fuisse perhibetur, sed alterius Æoli, Etruriæ regis, filios fuisse. Sed hanc Servii opinionem quam facile in hac Epistola Ovidius evincat, nemo non videt. Hygin., CCXXXVIII: *Æolus Canacen, propter incestum cum fratre Macareo admissum, interfecit.* CIOF.

Sic videor duro posse placere patri.
Ipse necis cuperem nostræ spectator adesset,
Auctorisque oculis exigeretur opus.
Ut ferus est, multoque suis truculentior Euris,
Spectasset siccis vulnera nostra genis.
Scilicet est aliquid, cum sævis vivere ventis:
Ingenio populi convenit ille sui.
Ille Noto, Zephyroque, et Sithonio Aquiloni
Imperat, et pennis, Eure proterve, tuis.
Imperat, heu! ventis; tumidæ non imperat iræ:
Possidet et vitiis regna minora suis.
Quid juvat, admotam per avorum nomina cælo,
Inter cognatos posse referre Jovem?
Num minus infestum, funebria munera, ferrum
Feminea teneo, non mea tela, manu?
O utinam, Macareu, quæ nos commisit in unum,

7. *Ipse necis.* *Neci* alter Mentelianus: et deinde quinque libri *adesses;* sed tunc lege sequenti versu, *auctorisve.* Imitatus autem est Virgilium, X, 443:

... Cuperem ipse parens spectator adesset. H.

8. *Auctorisque oculis exigeretur opus.* Quod imperavit opus, ipso præsente, perficerem: id est, gladio me, quem misit, interimerem.

10. *Spectaret. Spectasset* libri. Puteaneus, *spectat sed.* HEINS.

12. *Populi sui.* Ventos intelligit, quorum imperium Æolo Homerus, Virgiliusque adsignant:

... Tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos; illa se jactet in aula
Æolus. ÆNEID. I, 143.

16. *Possidet et vitiis regna minora suis.* Nihil aliud, quam glossema quoddam versus præcedentis:

Imperat heu! ventis: tumidæ non imperat iræ.

17. *Quid juvat admotam* etc. Primus enim Æolus Hellenis filius fuit; Hellen, Jovis. Quare per seriem avorum, et ipsa ad Jovem genus suum referebat. — *Quid juvat admotam* etc. Est et hic manifesta Propert. imitatio, IV, Eleg. XI, 11:

Quid mihi conjugium Paulli? quid currus avorum
Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?

Et quod sequitur:

Num minus immites habui Cornelia Parcas?

19. *Num minus. Non minus,* scripti plerique, præter Puteaneum, qui recte *num minus.* HEINS.

21. *O utinam, Macareu* etc. Facti, sed serius, pœnitet Canacen, et scelus detestatur, quod frustra infectum velit. *Commisit in unum.* Nefando vinculo conjunxit. Edd. Aldi, Bersmanni et aliorum, *conjunxit;* contra MSS.

Venisset leto serior hora meo!
Cur unquam plus me, frater, quam frater amasti?
Et tibi, non debet quod soror esse, fui?
Ipsa quoque incalui; qualemque audire solebam,
Nescio quem sensi corde tepente Deum.
Fugerat ore color; macies adduxerat artus;
Sumebant minimos ora coacta cibos:
Nec somni faciles, et nox erat annua nobis;
Et gemitum nullo læsa dolore dabam.
Nec cur hæc facerem, poteram mihi reddere causam;
Nec noram, quid amans esset: at illud eram.
Prima malum nutrix animo præsensit anili:
Prima mihi nutrix, Æoli, dixit, amas.
Erubui, gremioque pudor dejecit ocellos;
Hæc satis in tacita signa fatentis erant.

26. *Nescio quem sensi* etc. Ingenuus hic candor fatentis invitam se amori cessisse, et quasi ignoto morbo correptam, facti horrorem quodammodo imminuit; efficitque ut illius nos misereat, quam primum, et merito quidem, cohorruimus. — *Corde tepente Deum.* Nimis languidum visum est viro doct. Observ. Miscell. vol. VI, tom. III, p. 532; qui inde *tremente*, vel *repente* emendandum censebat. Sed amoris sui primordia describit Canace; nec aliter loquitur Hor. I, Od. 4, in fine:

Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis, et mox virgines *tepebunt*. L.

27. *Adduxerat.* Vera lectio: frustra codices *abduxerat*, et editiones quædam *obduxerat*. Virgilius III, Georg. 483:

... Ubi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros *adduxerat* artus. H.

28. *Ora coacta.* Hæc probant, *adduxerat* legendum esse in præcedenti versu; idem enim notat: nam male Hubertinus exponit *compulsa*; Crispinus *invita*; est enim idem quod *contracta*, minora per maciem et ægritudinem facta. Sic *virus coactum*, Lucan. VI, 548, *coacta tempestas* Lucretio, lib. I, 762; ubi recte Gifanius, *densam* explicat, et observatione dignam phrasin notat. B.

31. *Nec cur hæc facerem, poteram mihi reddere causam.* Nulli secundus Noster, nec ipsi Virgilio, in secretioribus animi, præsertim fœminei, motibus exprimendis. Nihil hic quod non decenter, pudice, et exquisita verborum elegantia efferatur. *Prima malum* nutrix *præsensit; prima, dixit, amas!* Quam multa ad excusandam, si excusanda Canace!

33. *Præsensit.* Douza legebat *persensit.*

36. *Hæc satis in tacita* etc. Hoc ipso fatebar, quod non negarem.

Jamque tumescebant vitiati pondera ventris,
Ægraque furtivum membra gravabat onus.
Quas mihi non herbas, quæ non medicamina nutrix
Attulit, audaci supposuitque manu,
Ut penitus nostris, hoc te celavimus unum,
Visceribus crescens excuteretur onus?
Ah! nimium vivax admotis restitit infans
Artibus, et tecto tutus ab hoste fuit.
Jam novies erat orta soror pulcherrima Phœbi;
Denaque luciferos Luna movebat equos.

37. *Pondera. Pondere* Moreti; ut forte sit legendum: *Jamque tumescebam vitiati pondere ventris.*

38. *Ægraque furtivum* etc. Recte *ægra*, non *pigra*, ut censebat Burm. Secund. Propert. loco fretus, IV, Eleg. 1, 96, qui sic se habet:

Idem ego, quum Cinaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera *lenta* moram.

Sed loci non sunt similes, ut recte monet Lennep; illic enim de muliere sermo est jam jam paritura: hic vero, de ea, cui primum *tumescere* incipiebant *pondera.*

40. *Audaci supposuitque manu. Supponere* hic, quasi furtim *ponere, admovere:* unde paulo inferius, *admotis restitit infans artibus.*

42. *Visceribus crescens.* Palatinus et Leidensis, *Visceribus nostris;* et Francof. *exueretur:* frustra; eodem enim modo I, Fast. 623:

... Ictu temeraria cæco
Visceribus crescens excutiebat onus. BURM.

43. *Ah! nimium. At nimium* vere legendum docti viri conjecerunt. C. — Inest contra in hac exclamatione affectus vere maternus. *At* quippe, frigide ratiocinantis est: sed *ah! nimium* etc. matris, animo revocantis fatum lamentabile, quod vix natum infantem excepit!

44. *Tectus tutus.* Lego, *tecto tutus ab hoste*, cum Puteaneo, ut vitetur ejusdem soni in junctis vocabulis odiosa repetitio, et sensui consulatur. *Tectus* enim *hostis* est ipsa mater vel nutrix, quæ non aperta vi, sed clam herbis et medicaminibus excutere fœtum tentabat: vel *hostis* sit ipsum medicamen noxium, ut vult Micyllus, quod clam per membra serpebat; ut *ictum cæcum*, in loco Fastorum modo adducto, dixit. B.

46. *Denaque luciferos Luna movebat equos.* Sic libri veteres uno consensu: et recte. Epist. IV, 160:

Quod sit avus radiis frontem vallatus acutis,
Purpureo tepidum qui *movet* axe diem.

Sic et ibi codices antiqui: non *decimo mense*, ut est in vulgatis: quem locum receptam scripturam tueri in his Canaces contendit Burmannus, et evincere, pro *Dena Luna* non esse reponendum *Plena*, uti doctissimo Gronovio in Observationibus, lib. IV, c. 15, videbatur. Nec cum Puteaneo libro et aliis nonnullis, *Nona*, quod magnus Scaliger probavit. Nota illa:

Matri longa *decem* tulerunt fastidia menses.

Noster in Fastis, II, 175:

Luna novum *decies* implerat cornibus orbem:
Quæ fuerat virgo credita, mater erat.

Nescia quæ faceret subitos mihi causa dolores,
Et rudis ad partus, et nova miles eram.
Nec tenui vocem : quid, ait, tua crimina prodis?
Oraque clamantis conscia pressit anus.
Quid faciam infelix? gemitus dolor edere cogit;
Sed timor, et nutrix, et pudor ipse vetant.
Continuo gemitus, elapsaque verba reprendo,
Et cogor lacrimas combibere ipsa meas.
Mors erat ante oculos; et opem Lucina negabat :
Et grave, si morerer, mors quoque crimen erat.
Quum superincumbens, scissa tunicaque, comaque,
Pressa refovisti pectora nostra tuis.
Et mihi : vive soror, soror o carissima, dixti,
Vive; nec unius corpore perde duos.
Spes bona det vires : fratri nam nupta futura es :
Illius, es de quo mater, et uxor eris.
Mortua, crede mihi, tamen ad tua verba revixi;
Et positum est uteri crimen onusque mei.

47. *Nescia quæ faceret* etc. Supra jam laudata ingenuitate instantis partus dolores, qui sibi, ut *rudi ad partus*, erant ignoti, et partum ipsum enarrat. Quæ omnia, ex ipsa re, ad veritatem expressa.

50. *Conscia pressit anus.* Hanc quippe crimen meum non latebat, nec quod inde mox esset sequuturum : partus scilicet. — *Pressit. Clausit* Gronovii; non opus : idem enim notat, ex Art. Amat. II, 92.

54. *Et cogor lacrimas combibere ipsa meas.* Notanda vis hujus verbi : non *cohibere*, dixit, sed *combibere*, ita premere, ut nullum sui in ore vestigium relinquant.

56. *Si morerer. Si moriar*, multi. Puteaneus, et unus meus, *si morior.* Heins.

59. *Et mihi* etc. Plenus hic affectus sermo, et ad commiserationem excitandam aptissime compositus.

61. *Fratri nam nupta futura es.* Vetus lectio erasa erat in Puteaneo, cujus nullum appareret vestigium, ejusque loco repositum :

... Fratri es nam nupta futura.

Quidam ex nostris :

... Germano nupta futura es.

62. *Illius* etc. Mei scilicet, ex quo filium suscepisti.

64. *Et positum est.* Balliolensis, *depositumque uteri :* quod non displicet. Phædr. I, 18 :

Onus naturæ melius *quo deponeret.*

Ubi vide quæ notavimus; et ita Græcos uti verbo ἀποτίθημι docuit H. Stephan., ad Callim. Hym. in Jov. 15; et Dian. 25. Burm. — *Et*

Quid tibi grataris? media sedet Æolus aula:
  Crimina sunt oculis subripienda patris.
Frondibus infantem, ramisque albentis olivæ,
  Et levibus vittis sedula celat anus:
Fictaque sacra facit, dicitque precantia verba.
  Dat populus sacris, dat pater ipse, viam.
Jam prope limen erat: patrias vagitus ad aures
  Venit, et indicio proditur ille suo.
Eripit infantem, mentitaque sacra revelat
  Æolus: insana regia voce sonat.
Ut mare fit tremulum, tenui quum stringitur aura;
  Ut quatitur tepido fraxina virga Noto;
Sic mea vibrari pallentia membra videres;
  Quassus ab imposito corpore lectus erat.
Irruit; et nostrum vulgat clamore pudorem:

positum est uteri crimen onusque mei. Verba hæc duo Noster libens consociat; sed raro felicius; nam vere hic *crimen* onus, et quidem omnium maxime horrendum.

67. *Frondibus infantem.* Scaliger e codice suo annotaverat: *Frugibus infantem, ramisque albentis olivæ* etc. Dan. Heins. *Frugibus*, Puteaneus; optime. Molam salsam intellige, quam sacra facturæ in promptu esse oportebat. Quod ex sequentibus firmatur: *Dat populus* SACRIS, *dat pater ipse viam.* Et paulo post: *Mentitaque* SACRA *revelat.*

70. *Dat populus. Dant populi* Lovaniensis: forte *dant populus:* quod postea confirmavit alter Mentelianus et Francofurtensis. Heins.

72. *Proditur ille.* Melius cum MSS. *ipse.* II, Fast. 172:

Proditur indicio ponderis *ipsa* sui.

Epist. XVI, 8:

Lumine qui semper proditur *ipse* suo. H.

74. *Sonat.* Codex Basileensis, *tonat;* hoc melius iræ regiæ convenit: vid. Heins. ad Claud. II, Rap. 173. B.

77. *Sic mea vibrari membra* etc. Id est, *tremere, moveri;* quod fusius indicat, quum addit lectum ipsum *quati*, imposito trementis corpore. — *Pallentia membra. Pallentis* scribendum videatur: at unus regius, *sic mihi vibrari;* etiam non male.

78. *Quassus ab imposito corpore* etc. Burmann. Secund. ad hunc Propert. locum, II, Eleg. XXII, 35:

Adparent non ulla toro vestigia presso,

sententiæ istius loci aptius fore putabat, si legeretur:

Quassus *ab attonito pectore* lectus erat.

Nam, inquit, *ab imposito corpore* lectus *premitur;* sed ab *attonito pectore* corpus etiam, et cum illo lectus *quatitur* etc. Cur vero a vulgata recedamus, causam non videt Lennep., et jure quidem censet retinendam. Nos quoque retinuimus.

Et vix a misero continet ore manus.
Ipsa nihil, præter lacrimas, pudibunda profudi :
Torpuerat gelido lingua retenta metu.
Jamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
Jusserat ; in solis destituique locis.
Vagitus dedit ille miser ; sensisse putares,
Quaque suum poterat voce rogabat avum.
Quid mihi tunc animi credas, germane, fuisse ;
Nam potes ex animo colligere ipse tuo ;
Quum mea me coram silvas inimicus in altas
Viscera montanis ferret edenda lupis ?
Exierat thalamo : tunc demum pectora plangi
Contigit, inque meas unguibus ire genas.
Interea patrius, vultu mœrente, satelles
Venit, et indignos edidit ore sonos :
Æolus hunc ensem mittit tibi : tradidit ensem,
Et jubet ex merito scire, quid iste velit.
Scimus ; et utemur violento fortiter ense :
Pectoribus condam dona paterna meis.

80. *A misero.* Francius malebat, *a miseræ.*

88. *Nam potes. Tu,* Bersmannus, qui emphasin esse notat. *Concipere,* Farnesianus.

91. *Tum demum pectora planxi. Plangi* iidem libri cum Erfurtano : probe. Strozzæ *plango : denique* etiam nonnulli. Epistola Sapphus, 133 :

... Nec pectora *plangi*,
Nec puduit scissis exululare comis. Heins.

92. *Genas. Comas,* excerpta Gallicana, et plurimi alii : utrumque defendi potest : ipse Noster III, Am. IV :

Ungue notata *comas*, ungue notata *genas*.

93. *Interea patrius, vultu mœrente, satelles* etc. Nullus dubito quin omnia hæc Ovidius depromserit e Tragœdia, quam Euripides, Ἐρωτικὸς ἀνήρ, ut vocat Plutarch. apud Stob. *Æolum* inscripserat ; cujus fragmenta ad nos usque pervenerunt, apud Barness. p. 444 ; et amplissime illustrata a Cl. Viro Lud. Casp. Valckenaer. Bis meminit Comicus, ad Nub. 1374, et Ran. 874. — *Patrius satelles. Patruus,* Puteaneus. Sequenti versu, *prodidit ore* pro *edidit,* unus Mediceus : placet. H. Illud *prodidit* elegans, quod et in Helmæstadiensi exstat. Multi codices, *prode notam generis :* et alibi quoque hæc verba a librariis permutata fuerunt. B.

95. *Æolus hunc* etc. In Leidensi codice exstabat : .....

Æolus hunc, dixit, per me tibi tradidit ensem. B.

His mea muneribus, genitor, connubia donas?
Hac tua dote, pater, filia dives erit?
Tolle procul decepte faces, Hymenæe, maritas:
Et fuge turbato tecta nefanda pede.
Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atræ;
Ut meus ex isto luceat igne rogus.
Nubite felices, Parca meliore, sorores:
Admissi memores sed tamen este mei.
Quid puer admisit, tam paucis editus horis?
Quo læsit facto, vix bene natus, avum?
Si potuit meruisse necem, meruisse putetur.
Ah! miser admisso plectitur ille meo!
Nate, dolor matris, rapidarum præda ferarum,
Hei mihi! natali dilacerate tuo:

99. *His mea muneribus* etc. Apostrophe, et exclamatio dolentis simul et indignantis. — *Connubia donare muneribus*, dubito valde, an Latine dicatur, aut sit pro Ovidiana elegantia: forte legendum *dotas*; quod sequentia confirmant:

Hac tua *dote*, pater, filia dives erit?

101. *Tolle procul decepte.* Hoc est, abi hinc, Hymenæe decepte; id est, qui tanquam ad felices nuptias veneras cum tuis, hoc est, nuptialibus et felicibus tædis; et succedant Erinnyes, cum atris et feralibus facibus, quoniam hic circa mortem et funus laboramus, non circa nuptias, aut res felices. MICYL.

103. *Atræ.* Mallem *atras*, ut *infaustas* dixit Ep. VI, 46, et *Stygias*. Valer. Flac. II, 173; et Stat. IV, Theb. 133: *Furiarum lampade nigra*; et *facem atram* Virgilius quoque dixit, X, Æneid. 77; Lucan. II, 301. Furias tamen ipsas μελαινὰς vocat Æschyl. Agamemn 470; quo alludit Cicero in Vatin. 13. BURM.

106. *Admissi mei. Amissæ mei* Puteaneus, et etiam in aliis quibusdam exstat codicibus, et videtur probare ad Senecæ Medeam Gronov. V, 555. — Fatendum est a lectione *admissi mei* prorsus pendere sequentem illam, tenerrimi affectus plenam, exclamationem, *quid puer admisit* etc.; et hinc vulgatam etiam tuitus est V. D. Obs. Miscell. vol. VI, tom. III, pag. 534. LENNEP.

107. *Quid puer admisit... quo læsit facto* etc. Hi versus, et qui postea, ad v. usque 124, ex animo vere materno effluunt, nullo apparatu, ambitione nulla infucati; et, quod apud Nasonem rarissimum, nullus hic poetæ locus; totum mater occupat; quibus exagitatur sensus, in legentium animos sensim infundit, et lacrimas vel ab illis elicit, qui in nocentem acerrime erant invecturi. Eodem animi affectu senex ille, apud Luc. Phars. II, 108, Marianas cædes renarrans:

Crimine quo parvi cædem potuere mereri!

Nate, parum fausti miserabile pignus amoris;
Hæc tibi prima dies, hæc tibi summa fuit.
Non mihi te licuit lacrimis perfundere justis :
In tua non tonsas ferre sepulcra comas.
Non super incubui : non oscula frigida carpsi.
Diripiunt avidæ viscera nostra feræ.
Ipsa quoque infantis cum vulnere prosequar umbras :
Nec mater fuero dicta, nec orba diu.
Tu tamen, o frustra miseræ sperate sorori,
Sparsa, precor, nati collige membra tui :
Et refer ad matrem, socioque impone sepulcro :
Urnaque nos habeat, quamlibet arta, duos.
Vive memor nostri, lacrimasque in funere funde;
Neve reformida corpus amantis amans.
Tu, rogo, projectæ nimium mandata sororis
Perfer : mandatis perfruar ipsa patris.

115. *Non mihi te licuit lacrimis perfundere justis* etc. Quis hic non exclamet cum Euripide, in fragmentis Dram. jam memorati, 67 ? Τίς ἂν κλύων τῶν δ', οὐκ ἂν ἐκβάλοι δάκρυ;

117. *Oscula frigida carpsi.* Magna codicum hic varietas : Argentinensis *fixi*, alii *sumsi*, alii *junxi*; et omnium exempla competunt. Forte et *finxi*. HEINS.

119. *Ipsa quoque infantis cum vulnere persequar umbras. Prosequar*, Puteaneus et alii meliores : est autem verbum exequiale ; sic *funus prosequi*. Apulej. IV, Met. : *Toto* prosequente *populo, vivum producitur funus* ; et lib. VIII : *Funus vero, toto feralem pompam* prosequente *populo, deducitur ad sepulcrum* ; et lib. IX : *Peractisque feralibus officiis, frequentique prosequente comitatu, tradunt sepulturæ*. Silius II : *Ipsaque laudatas ad manes prosequar umbras. Infantes* præterea *umbras* scribendum monet Heinsius. *Infaustas*, Codex Douzæ.

124. *Urnaque nos habeat, quamlibet arta, duos* ! Quam vellem poetam hic substitisse ! sed hoc omnium minime novit Ovidius ; et illum dicas Horat. prænotasse, quum diceret : Omne supervacuum pleno de pectore manat.

125. *Lacrimasque in funere funde. In vulnere*, Puteaneus et multi alii ex castigatioribus. *Vulnera*, in excerptis Douzæ. HEINS.

127. *Tu, rogo* etc. Totum hoc distichon vix latinum Heinsio videbatur, nec adsurgens ad Ovidianam elegantiam. Offendebat in primis virum doctissimum *mandata perferre* : sed tuetur P. Burm. exemplo e Plin. XVIII, 3, petito. Videant, quibus res minoris, quam verba.

EPISTOLÆ DUODECIMÆ

ARGUMENTUM.

Jason, quum primum Colchon attigit, a Medea, Æetæ regis filia, receptus est et amatus; pactaque conjugii sponsione, illum edocuit, qua arte jussam auferret prædam. Aureo igitur vellere potitus, clam Jason cum Medea fugam arripuit. Quos quum insequeretur Æëta, Absyrti fratris, quem secum abduxerat, membra dispersit Medea, ut patrem, ossa filii legentem, sic moraretur. Incolumes igitur in Thessaliam pervenerunt, ubi Æsonem, Jasonis patrem, annis jam confectum, ad viridem ætatem reduxit. Sed Jason, Creusæ amore captus, Medeam repudiavit, ut uxorem duceret Creontis filiam. Ira igitur et furore amens, Epistolam hanc ad eum scribit, qua ingratum ejus animum graviter incusat, et ultionem, ni protinus recipiat, interminatur.

Apollod. I, 9. — Hygin. Fab. 21, 22, 23. — Euripid. et Senec. in Med. Diodor. Sicul. IV. — Æl. V. H. V, 21. — Apollon. et Valer. Flacc. Argonaut.

EPISTOLA XII.

MEDEA JASONI.

At tibi Colchorum, memini, regina vacavi,
Ars mea, quum peteres, ut tibi ferret opem.
Tunc, quæ dispensant mortalia fila, Sorores
Debuerant fusos evoluisse meos.
Tunc potui Medea mori bene : quidquid ab illo
Produxi vitæ tempore, pœna fuit.
Hei mihi ! cur unquam juvenilibus acta lacertis
Phryxeam petiit Pelias arbor ovem ?
Cur unquam Colchi Magnetida vidimus Argo ;
Turbaque Phasiacam Graja bibistis aquam ?

1. *At tibi* etc. Initio hujus Epistolæ rursus audiamus ingenia correctorum. Sic igitur illi :

Exul, inops, contempta novo Medea marito
Dicit : an a regnis tempora nulla vacant ?

Et hactenus quidem utcunque erant ferendi, nunc nimis impudenter ineptiunt. Præterea *At tibi* Puteaneus cum aliis nonnullis : optime. Ita enim indignantes aut mirantes exordiebantur plerumque. H. — *Regina vacavi.* Etsi Colchorum regina fuerim, et regis filia, meam tibi operam præstiti, quasi curis omnibus *vacua*, et tota in servando Jasone.

3. *Dispensant mortalia fila sorores. Facta* Puteaneus et alii nonnulli ; frustra : at Scaligeri excerpta cum multis nostris, *fila*, quod verum est.

7. *Hei mihi !* etc. Ex Euripide, in ipso Fabulæ exordio :

Εἰθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτᾶσθαι σκάφος, κ. τ. λ.

Quod verbatim Ennius in suam transtulit :

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes ;
Neve inde navis inchoandæ exordium
Cepisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo, qua vecti Argivi delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis,
Colchis imperio regis Peliæ per dolum !

Multo autem elegantius hæc eadem Phædrus, IV, 6 :

Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo
Pinus bipenni concidisset Thessala,
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladis ratem ! etc.

9. *Magnetida vidimus Argo ?* Thessalicam navem : Magnesia enim Thessaliæ contermina regio, cujus populi *Magnetes* dicebantur.

Cur mihi plus æquo flavi placuere capilli;
Et decor, et linguæ gratia ficta tuæ?
Aut, semel in nostras quoniam nova puppis arenas
Venerat, audaces attuleratque viros,
Isset anhelatos non præmedicatus in ignes
Immemor Æsonides, oraque adunca boum.
Semina jecisset; totidem sensisset et hostes:
Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.
Quantum perfidiæ tecum, scelerate perisset!
Demta forent capiti quam mala multa meo!
Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas:
Hac fruar: hæc de te gaudia sola feram.
Jussus inexpertam Colchos advertere puppim,
Intrasti patriæ regna beata meæ.
Hoc illic Medea fui, nova nupta quod hic est.
Quam pater est illi, tam mihi dives erat.
Hic Ephyren bimarem: Scythia tenus ille nivosa

14. *Audaces.* Perpetuum hoc nautis Epitheton, ut eleganter ostendit Torrentius ad Horat. 1, Od. 1, 14; sed præcipue Argonautis, qui primi finguntur æquora tentasse, aptum: ita Phædr. loco citato, *ad audacem mortis professæ viam*, fabricatam ratem dicit. Senec. Medea, 301:

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit. BURM.

15. *Isset anhelatos non præmedicatus in ignes Æsonides. Isset* Jason in ignes, quos naribus tauri efflabant, non præmunitus ope et *medicamentis* Medeæ, certam sic mortem inventurus! Inepte, qui *præmeditatus*: illa enim infra:

Ipsa ego, quæ dederam *medicamina*, pallida sedi.

17. *Totidem sensisset et hostes* Mendose quondam, *sumsisset et hostes.* Sed MSS. ope, et variis fretus lectionibus Cl. Heinsius, ad eam, quæ nunc exstat, et nihil habet quod non congruat, lectionem gradatim pervenit, probante, et in suam editionem admittente P. Burmann.

18. *Ut caderet cultu cultor ab ipse suo!* Id est, ut periret Jason, a viris armatis interemtus, qui ex ipsis, quos jecerat, draconis dentibus repentini extitissent!

25. *Hoc illic Medea fui* etc. *Illic*, in Colchis: quod *nova nupta*, Creusam intelligit: *hic est*, Corinthi, ubi regnabat Creon, et tunc degebat Jason, amore Creusæ irretitus. — *Medea fui. Fuit*, Puteaneus cum aliis quibusdam: sed male. HEINS.

27. *Hic Ephyren bimarem.* Apposite faciunt huc Velleji Paterculi verba, ex lib. 1: *Paullo ante Haletes*

Omne tenet, Ponti quà plaga læva jacet.
Accipit hospitio juvenes Æeta Pelasgos,
Et premitis pictos corpora Graja toros.
Tunc ego te vidi : tunc cœpi scire quid esses.
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Ut vidi, ut perii; nec notis ignibus arsi,
Ardet ut ad magnos pinea tæda Deos.
Et formosus eras, et me mea fata trahebant :
Abstulerant oculi lumina nostra tui.
Perfide, sensisti : quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.
Dicitur interea tibi lex, ut dura ferorum

sextus ab Hercule, Hippotis filius Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Aliter sentit Hyginus, CCLXXV : *Ephyre Nympha, Oceani filia, Ephyren, quam postea Corinthum* (a *Corintho*, Orestis, vel Jovis filio) *appellarunt, condidit.* C. — *Scythia tenus ille nivosa Omne tenet. Scythiam tenet ille nivosam*, quidam; vel, *Scythiæ nivosæ*. Scriverianus, *Scythia tenus ille nivosa Omne latus :* quid si sit : *Scythiæ tenet ille nivosæ Omne latus?* vel

Hic Ephyræ bimaris : Scythiæ tenet ille nivosæ
Omne latus. HEINS.

28. *Qua.* Id est, *ubi.* Pro *jacet*, conjecerat Heinsius *patet;* sed nihil opus.

29. *Accipit. Excipit*, quod in antiquis editionibus, sed in nullis Heinsii codicibus extat, probabat Francius ex Ep. XVI, 127. *Excepti hospitio* etiam apud Liv. lib. I, 22; ubi *hospitio*, auctore Codice Palatino, exturbari placet Gebhardo, non mihi : hic vero nihil muto. Livius, XXIX, 11 : *Tum curarent, ut eam, qui vir optimus Romæ esset, hospitio acciperet.* Plaut. Amph. I, 1, 8 : *Ita peregre adveniens hospitio publicitus accipiar;* et vers. 140 : *Certe adventurum me hic hospitio pugnæ accepturus est.*

30. *Corpora Graja.* Variant Codices. *Pectora Graja*, Gottorph. *Graia turba*, Vaticanus. *Graja juventa*, unus Moreti : sed elegantior vulgata lectio. BURM.

31. *Tunc cœpi scire quis esses. Quid esses* codices magna ex parte : quod sequor. Pont. I, El. VII :

Certe ego quum primum potui sentire quid essem:

Epistola Hermiones :

Tu mihi quod matri pater es;

quomodo Noster atque alii auctores passim. HEINS.

34. *Pinea tæda.* Quinque scripti *punica :* forte pro *prunea.* HEINS. Ita XII, Met. 272. *Prunitius torrens* ex MSS. : nihil tamen temere mutandum putem : ex pinu enim faces confectas quis nescit? BURM.

38. *Eminet. Enitet*, quædam editiones : quod magis poeticum puto.

39. *Dicitur interea tibi lex* etc. Quidam olim : *Dixerat interea tibi rex. Dicitur*, Puteaneus; unde le-

Insolito premeres vomere colla boum.
Martis erant; tauri plus, quam per cornua, sævi;
Quorum terribilis spiritus ignis erat.
Ære pedes solidi, prætentaque naribus æra:
Nigra per adflatus hæc quoque facta suos.
Semina præterea, populos genitura, juberis
Spargere devota lata per arva manu,
Qui peterent secum natis tua corpora telis.
Illa est agricolæ messis iniqua suo.
Lumina custodis, succumbere nescia somno,
Ultimus est aliqua decipere arte labor.

gendum omnino censuit Heinsius: Dicitur interea tibi lex.

Initio lib. VII, Met., in hac eadem narratione; v. 8:

Lexque datur numeris magnorum horrenda laborum.

Ita enim optime veterrimi libri. *Legem dicere*, elegans et latinum est.

40. *Vomere. Pondere* Barberinus; quod nescio an rectius: *Vomer* enim et aratrum *premi* centies a Poetis dicitur, non *premere*. Vid. ad Val. Flac. VII, 63: sed *pondus* est hic jugum; ut alibi: *Pressique jugo gemuere juvenci*. BURM.

41. *Martis erant, tauri* etc. Hoc distichon jure Heinsius Ovidianæ parum elegantiæ pronuntiat.

43. *Prætentaque naribus æra. Ora* Scriverii et Palatinus; ut supra, *aduncа ora* dixit: sed vulgata, ex illis Apollonii, lib. III, 230, defenditur:

Καὶ οἱ χαλκόποδας ταύρους κάμε· χάλκεια δὲ σφέων
Ἦν σόμαχ', ἐκ δὲ πυρὸς ἀτενὲς σέλας ἀμπνείεσκον.

HEINS. *Prætextaque* mallet Francius: male; est a geographicæ et militaris rei scriptoribus sumtum verbum. BURM.

46. *Lata.* Male editiones quædam priscæ et codices, *læta*: campus enim ille *longis annis horridus* dicitur Valerio Flacco, lib. VII, 62. Horatio etiam *latos campos* contra temeritatem Dacerii vindicavit eruditissimus Bentlejus, ad librum III, Od. II, v. 9. *Larga* hic habet unus Regius et alter Heinsii. BURM.

48. *Illa est agricolæ messis iniqua suo.* Vidimus jam v. 18, *ut caderet cultu cultor ab ipse suo.* Frequentes adeo recurrunt apud Nostrum eædem sententiæ, totidem sæpius verbis expressæ, non modo in una Epistolarum quaque, sed et in eadem, ut non raro ubertatem hanc tantopere laudatam, *divitias miseras* dicere vix dubites. Circumspecto tamen judicio de tanto poeta nobis pronuntiandum est; et miranda potius, quam incusanda felicitas, qua res fere semper easdem, novis adumbrat coloribus.

50. *Ultimus est aliqua decipere arte labor.* Summa hæc orationis quam habet Æetes ad Jasonem, apud Apollon. Rhod. III, 401; et Valer. Flacc. VII, 35, et sqq:

Orbe satos alio etc.

Dixerat Æetes : mæsti consurgitis omnes ;
Mensaque purpureos deserit alta toros.
Quam tibi nunc longe regnum dotale Creusæ,
Et socer, et magni nata Creontis erant!
Tristis abis : oculis abeuntem prosequor udis :
Et dixit tenui murmure lingua, Vale.
Ut positum tetigi thalamo male saucia lectum;
Acta est per lacrimas nox mihi, quanta fuit.
Ante oculos taurique truces, segetesque nefandæ;
Ante meos oculos pervigil anguis erat.
Hinc amor, hinc timor est; ipsum timor auget amorem.
Mane erat; et thalamo cara recepta soror,
Disjectamque comas, aversaque in ora jacentem

52. *Deserit alta.* Durior locutio, ut mensa dicatur *deserere toros*, quæ removetur : an dictum, ut *deserit hasta virum?* Stat. x, Theb. 742. *Desinit* erat in Moreti codice; sed neque hoc placet; neque etiam quod *mensa alta* dicatur, quum supra toros non multum eminere solerent mensæ, si non inferiores sæpe, et tori rectius *alti* dicantur; unde *sublimem jacere* dixit infra : latere puto ulcus. Burm. — Nullum hic *ulcus*, ut suspicatur vir eruditissimus; nec video cur non poetice dicatur *mensa*, quum removetur, *toros deserere*. Nihil in hac locutione durum; mendosum in versu nihil.

53. *Regnum dotale Creusæ.* Corinthum intelligas. — *Creusæ. Glaucen* vocant Apollodorus et Diodorus. C.

57. *Ut positum tetigi thalamo male saucia lectum* etc. Desumta hæc omnia ex Apollon. III, 673 et sqq. Qui quidem locus præclarissime exornatus, nec ipsi Virgilio visus indignus, ex quo plura in Didonem suam transferret. Adeas quoque Valerium, VII, 103. Nec mediocris utilitas voluptatem hic commendabit, quæ ex accurata tantorum scriptorum collatione enascatur necesse est.

58. *Acta est per lacrimas. In lacrimis* Basileensis; venuste : proximo autem versu, *ante oculos taurique truces;* duo Medicei, *ante oculos taurique meos.* Heins. Posset et legi, *acta inter lacrimas;* ut Virg. VI, Æneid. 513 :

Namque ut supremam falsa *inter* gaudia noctem
Egerimus, nosti. Burm.

62. *Thalamo cara recepta soror.* Chalciope, quæ furentem jam Medeam sororem, precibus consiliisque adduxit, ut ope sua Jasonem juvaret. Apollon. III, 717. Illius formam Juno induit, apud Valer. VI, 477, sqq., ut alia via finem eumdem assequatur.

63. *Aversaque.* Multi codices *adversa*, ut II, Fast. 845 : *Illa jacens adversa;* ut Heinsius volebat : sed pronam, et in faciem jacuisse puto, præ pudore et mæstitia; ut solent in hac animi affectione sæpe mutare corporis statum crebris jactationibus. Burm.

Invenit, et lacrimis omnia plena meis.
Orat opem Minyis : petit altera ; et altera habebit.
Æsonio juveni, quod rogat illa, damus.
Est nemus, et piceis, et frondibus ilicis atrum :
Vix illuc radiis solis adire licet.
Sunt in eo, fuerantque diu, delubra Dianæ :
Aurea barbarica stat Dea facta manu.
Nescio an exciderint mecum loca? venimus illuc;
Orsus es infido sic prior ore loqui :
Jus tibi et arbitrium nostræ fortuna salutis
Tradidit ; inque tua vitaque morsque manu.
Perdere posse sat est, si quem juvet ista potestas;
Sed tibi servatus gloria major ero.

65. *Petit altera ; et altera habebit.* Salmasius ad Capitol. Maximin. c. 1: *Alter petit, alter habebit* ex Puteaneo, quomodo et Gottorphianus. Nonnulli : *Petit altera, et alter habebit.* Si quid mutandum sit, ita rescripserim :

Orat opem Minyis soror altera, at altera flevit :
Æsonio juveni, quod rogat illa, damus.

Tò *soror* exciderat; pro quo male feriati correctores *petit* supposuerunt : *altera flevit*, vel *flebat*, facilis mutatio ex *alter habebit* aut *habebat*, quod in multis scriptis est, ut jam monui. Ceterum cur Chalciope Argonautis faverit, in promtu causa est, quod filii ejus quatuor ex Phrixo geniti in illorum essent numero. Vid. Hygin., Fab. III. H. — Sensus est : quam opem petit *altera* (soror mea) *Æsonio juveni, altera* (Creusa) *habebit;* non mihi, sed Creusæ Jasonem instantibus eximam periculis. Quod satis liquet, e sequenti versu; unde non video, cur tantopere doctissimi viri desudarint in explicando, quod per se satis explicatur.

67. *Est nemus.* Locum adeas, in Metam. VII, 75.

68. *Illuc. Illud* Moreti ; et ita volebat Francius.

69. *Sunt in eo, fuerant certe. Fuerantque diu* multi codices : quod admittendum videtur. Delubra enim a vetustate venerationem præcipue mutuabantur. Noster, Fast. IV, 649:

Silva vetus, nullaque diu violata securi,
Stabat, Mœnalio sacra relicta Deo. HEINS.

71. *Nescio an exciderint mecum loca.* In Puteaneo, *Nostin'*, a manu prima fuisse videtur, et *exciderunt.* Unus Mediceus *Nostis :* alii quinque *Noscis.. Noscis, an exciderant,* Helmæstadiensis : nam quod multi ex vulgatis habent, *Nescis an*, repugnat metro. *Nostin ?* eleganter. Sic *viden, scin, vin*, et similia pro *videsne, scisne, visne* apud veteres : *censen'* apud Persium. HEINS.

73. *Jus tibi* etc. Ex Apollon III, v. 1007; sic quoque V. Facl. VII, 418.

74. *Inque tua est.* Tollunt *est* quinque libri. HEINS.

75. *Ista potestas. Ipsa* Puteaneus

Per mala nostra precor, quorum potes esse levamen;
Per genus et numen cuncta videntis avi;
Per triplicis vultus arcanaque sacra Dianæ;
Et si forte alios gens habet ista Deos.
O virgo, miserere mei; miserere meorum!
Effice me meritis tempus in omne tuum.
Quod si forte virum non dedignare Pelasgum,
(Sed mihi tam faciles unde meosque Deos?)
Spiritus ante meus tenues vanescat in auras,
Quam thalamo, nisi tu, nupta sit ulla meo.
Conscia sit Juno, sacris præfecta maritis;
Et Dea, marmorea cujus in æde sumus.
Hæc animum, et quota pars hæc sunt? movere puellæ
Simplicis; et dextræ dextera juncta meæ.

et alii plerique. Idem *juvet* cum Lovaniensi. Amor. III, Eleg. IV, 9:

... Ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit. HEINS.

78. *Per genus et numen. Nomen* Puteaneus; nil temere tamen muto. HEINS. *Per lumen* volebat Francius, ex versu 191.

79. *Per triplices vultus. Triplicis* concinnius Puteaneus et duo Ambrosiani. Fast. I, 387:

Quod semel est triplici pro virgine cæsa Dianæ. H.

80. *Et si forte alios.* Male quidam *aliquos*: supervacaneum enim erat dubitare, si quos Deos haberent Colchi, quum jam Dianæ mentionem fecisset, et infra addat, *Et Dea, marmorea cujus in æde sumus.* Illud autem procedit, si roget, ecquos alios præter Dianam habeant. M.

82. *Effice me meritis* etc. Totum me tibi et in perpetuum devoveris, si, quam rogo, opem præstes.

83. *Quod si forte virum non dedignare Pelasgum* etc. Si me hominem Græcum non indignum censes, quem tuum virum habeas, prius moriar, quam tuo matrimonio aliam mulierem præponam. Apollonius quoque, III, 1128:

Ἠμίτερον δ' ἐλίχρος θαλάμοις ἐνὶ κουριδίοισι
Πορσανέεις· οὐδ' ἄμμι διακρινέει φιλότητος
Ἄλλο, πάρος θάνατον γὲ μεμορμένον ἀμφακαλύψαι.

84. *Sed mihi tam faciles* etc. Unde sperem Deos ita *faciles*, ita *meos;* id est, votis *meis* obsequentes, ut conjugem me, licet *Pelasgum*, non respuas! — *Sed mihi tam faciles unde, Deosque meos. Meosque Deos* Puteaneus et alii multi: quod Salmasio ad Historiam Augustam probatum: libri multi, *unde putabo Deos?* vel, *unde Deos habeam?* et similia: quæ interpolatorum figmenta. HEINS.

85. *Tenues vanescat in auras.* In Epistola Penelopæ:

... Et hoc crimen tenues vanescat in auras. C.

87. *Conscia sit. Scit Juno*, non male Argentinensis. HEINS. Elegantissime: ita Stat. II, Theb. 108: *Scit fama.*

Vidi etiam lacrimas : an et est pars fraudis in illis?
Sic cito sum verbis capta puella tuis.
Jungis et æripedes inadusto corpore tauros,
Et solidam jusso vomere findis humum.
Arva venenatis, pro semine, dentibus imples :
Nascitur, et gladios scutaque miles habet.
Ipsa ego, quæ dederam medicamina, pallida sedi,
Quum vidi subitos arma tenere viros;
Donec terrigenæ, facinus miserabile! fratres
Inter se strictas conseruere manus.
Pervigil ecce draco, squamis crepitantibus horrens,
Sibilat, et torto pectore verrit humum.
Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?

91. *An et est pars fraudis in illis. An pars est* scripti omnes et primæ editiones. Lege, *an pars et fraudis in illis?* Ita Lincolniensis ; aut quod malim Nasoniano more, *an pars sua fraudis in illis.* Metam. XIII, 350:

Desine Tydiden, vultuque et murmure nobis
Ostentare meum : pars est sua laudis in illo. H.

92. *Sic cito. Sic ego*, Regius : et ita Francius conjecerat.

93. *Inadusto corpore.* Sunt qui ad tauros referant; qui ad Jasonem, quod ego prætulerim. *Præmedicatus* enim ope Medeæ, tauros incolumis subegit, nec quid ab eis mali habebat formidandum.

94. *Et solidam. Insolitam* Gronovianus. HEINS. Ut supr. 40 : *Insolito premeres vomere colla boum :* erat enim ille ager, ut vidimus, *longis annis* incultus et *horridus.* Pro *jusso vomere,* Leidensis *presso,* ut passim. B.

97. *Ipsa ego.* Lucan. IV, 555:

Ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
Expavit Medea nefas.

98. *Arma tenere. Movere,* Vatican.

101. *Pervigil ecce draco.* Ita et in lib. Met. VII, v. 149, idem Epitheton:

Pervigilem superest herbis sopire *draconem.*

Scripti tamen tres, *Serpens ecce vigil :* unus Vatic. *Insomnis serpens.* At Puteaneus, *Insopor ecce vigil.* Scribe, *Insuper ecce vigil. Vigil,* pro *vigili draconè.* HEINS.

102. *Verrit. Vertit*, Puteaneus, Oxoniensis et tres alii. *Versat*, excerpta Puteani et unus Heinsii ; ut Ep. XIII, 98 : *Versare aquas ;* unus Heinsii, *vastat humum :* quod immani belluæ quidem accommodatum : sed vulgatam retineo. BURM.

103. *Dotis opes ubi erant? ubi erat tua regia conjux.* Supra jam, 53 :

Quam tibi nunc longe regnum dotale Creusæ,
Et socer et magni nata Creontis erant!

Idem fere iisdem. — *Tibi regia conjux* scripti plerique : *ubi tunc et regia* unus Palatinus : duo præterea Medicei, *Dotis opes ubi tunc.* Puto scribendum :

Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?

Vel *ubi nunc* Tibul. II, Eleg. III, 27 :

Delos ubi nunc, Phœbe, tua est? ubi Delphica Pytho? HEINS.

Quique maris gemini distinet Isthmos aquas?
Illa ego, quæ tibi sum nunc denique barbara facta,
Nunc tibi sum pauper, nunc tibi visa nocens!
Flammea subduxi medicato lumina somno:
Et tibi, quæ raperes, vellera tuta dedi.
Proditus est genitor: regnum patriamque reliqui:
Munus in exilio quolibet esse tuli.
Virginitas facta est peregrini præda latronis;
Optima, cum cara matre, relicta soror.
At non te fugiens sine me, germane, reliqui.
Deficit hoc uno litera nostra loco.
Quod facere ausa mea est, non audet scribere dextra:
Sic ego, sed tecum, dilaceranda fui.
Nec tamen extimui, quid enim post illa timerem?
Credere me pelago femina, jamque nocens.
Numen ubi est? ubi Di? meritas subeamus in alto,
Tu fraudis pœnas; credulitatis ego.

108. *Raperes.* Non moveo hanc lectionem, sed admodum tamen blanditur Heinsiani unius codicis scriptura, *quæ referas:* quia jussus erat Jason vellus domum *referre.* Vid. Valer. Flac. VII, 100. *Vellera fulva,* quod malebat Francius, est in Mediceo uno; sed *tuta* præstat, ut incolumis, *inadusto corpore,* et sine noxa ea rapere posset. BURM.

110. *Munus in exilio quolibet esse tuli.* Puto rescribendum:

Et minus exilio quidlibet esse tuli.

Hoc est, omnibus rebus exilium prætuli. — Vix video, qualis sensus ex emendatione Heinsii emergat, nec quo adducta exempla faciant: ego puto legendum:

Munus in exilio quolibet esse tuli.

Credidi me felicem etiam, si relicta patria et regnis quæ prodideram, exul modo essem; licet exilium esset miserum et infelix, beneficium tamen erat, quia tecum fore me semper fingebam. *Quo licet* erat in duobus scriptis et editione prima, et in margine Gryphii. BURM.

114. *Deficit hoc uno litera nostra loco.* Quam vellet et Absyrtum fratrem, cujus, ut insequentem patrem moraretur, lacerata membra huc et illuc dispersit, reliquisse, ut sororem et matrem dereliquit! Quod scelus ita horret meminisse, ut hoc unum sua in Jasonem merita referentem *deficiat.* Orph. Arg. 1028.

117. *Quid enim post illa timerem? Illa* scilicet quæ in parentes et in fratrem admiseram.

118. *Jamque nocens. Tamque* est in Francof. quod elegantius, quia nusquam præsentiorem vindictam divinam credebant veteres, quam in mari et aqua, si scelerati se illis cre-

Complexos utinam Symplegades elisissent,
Nostraque adhærerent ossibus ossa tuis!
Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos!
Debuit ingratis Scylla nocere viris.
Quæque vomit fluctus totidem, totidemque resorbet,
Nos quoque Trinacriæ supposuisset aquæ!
Sospes ad Hæmonias victorque reverteris urbes,
Ponitur ad patrios aurea lana Deos.
Quid referam Peliæ natas, pietate nocentes,
Cæsaque virginea membra paterna manu?
Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est,
Pro quo sum toties esse coacta nocens.
Ausus es o, justo desunt sua verba dolori,
Ausus es, *Æsonia*, dicere, *cede domo*.

derent. Vid. Hor. III, Od. II, 28. B.

121. *Utinam Symplegades elisissent!* Errantes scopuli, qui et *Cyaneæ insulæ* dicti, quorum egregia in Apollon. II, 317; et in Val. Flac. IV, 561, adeunda descriptio.

123. *Aut nos Scylla rapax.* Scyllæ et Symplegadum hic mentionem facit, vel quia, ut Orph. Arg. 1246, tradit, Argo illa loca penetravit; vel quia Ovidius finxit Medeam voventem, ut loca illa transisset, quo locus ipsi esset devotionum et dirarum horrorem augendi. BURM. — Hæc de Scylla Phorci filia, in scopulum conversa, quam sic describit Virgil.:

Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo,
Pube tenus; postrema immani corpore pristis,
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Sed et illam hic Ovidius confundit, cum Nisi filia, de qua Georg. I, 406: quæ quum a Minoe, quem perdite deamabat, cujusque in gratiam patrem, cives et urbem prodiderat, spreta, desertaque fuisset, merito dicitur *ingratis nocere viris*.

125. *Quæque vomit fluctus* etc. Chrysybdem designat, quæ

... Imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidera verberat unda.
VIRG. Æneid. III, 421.

127. *Urbes. Arces* Hasniensis; solemni permutatione. Mox pro *aurea lana, aurea præda* quinque: tres, cum excerptis Douzæ, *Barbara præda*. Argentinensis, *barbara lana*: efficta hæc omnia ex Epist. I, 129:

Ponitur ad patrios barbara præda Deos. B.

132. *Esse coacta nocens.* Francius conjiciebat:

Pro quo sum toties facta nocente nocens.

Nos nihil mutamus: *coactam* enim se ad scelus decentius dicit, quam si sponte nocens esset facta. Expressit Ovidium Seneca, Medea, 280:

Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi.

134. *Cede domo.* Formula repudii apud Romanos; talis et illa abdicationis apud Quinctilianum, Declam. CCLVIII, ubi pater ad filium: *discede de domo mea*. HEINS.

Jussa domo cessi, natis comitata duobus,
Et, qui me sequitur semper, amore tui.
Ut subito nostras Hymen cantatus ad aures
Venit, et accenso lampades igne micant,
Tibiaque effundit socialia carmina vobis,
At mihi funerea flebiliora tuba;
Pertimui; nec adhuc tantum scelus esse putabam:
Sed tamen in toto pectore frigus erat.
Turba ruunt; et, Hymen, clamant; Hymenæe, frequentant.
Quo propior vox est, hoc mihi pejus erat.

135. *Jussa domo.* Non damno; sed vehementer puto, *pulsa domo cessi.* III, Fast. 559: *Pellitur Anna domo.*— *Comitata duobus.* Mermero et Pherete; quibus Thessalum et Thessandrum addunt. Quatuor enim filios e Jasone Medea susceperat.

136. *Et qui me sequitur* etc. Amore scilicet, qui tui causa, quantumvis ingrati et perfidi, invitam me sequitur. *Hæret lateri letalis arundo!*

137. *Ut subito* etc. Sic et Catullus, producta syllaba prima *Hymen*, pronuntiavit eo versu, *Hymen o Hymenæe*, quod imitatus Græcos fecit: nam et Theocritus in Helenes Epithalamio, 56:

Ὑμὲν ὦ Ὑμέναε γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.

Ego tamen libentius correpta legerem; sed nusquam aliter inveni, neque quidquam ex me addere audeo. NAUG.

138. *Lampades.* Faces nuptiales explicant: posset tamen et capi de pensilibus lychnis, quibus domus festa illuminabatur. Terent. Adel. v, 5, 9: Missa hæc face: Hymenæum, turbas, *lampadas.* Et sic infr. Epist. XIV, 25:

Undique collucent præcinctæ *lampades* auro.

Etsi probe sciam, *lampadas* de facibus, et quidem nuptialibus dici. B.

139. *Effudit. Effundit* Puteaneus et sex alii; puto *offundit*: idem sequenti versu, *et mihi funesta.* H.

141. *Nec adhuc tantum scelus esse putabam.* Senec. in Med., 116 et sqq:

Occidimus! aures pepulit Hymenæus meas!
Vix ipsa tantum, vix adhuc credo malum.
Hæc facere Jason potuit? etc.

143. *Turba ruunt; et, Hymen, clamant; Hymenæe, frequentant.* Duplex hujus versus lectio est: vulgaris habet, *Hymenæa frequentant.* Quam qui defendunt, *Hymenæa* alii pluralem casum faciunt, a neutro in *um*, ut sit adjective positum, pro *Hymenæa sacra*, sive solemnia; perinde ut nuptialia sacra dicuntur. Alii autem metaplasmum faciunt, ut sit *Hymenæa* pro *Hymenæon* positum, singulari casu: quæ tamen figura Græcis familiarior, quam Latinis est. Altera autem lectio eorum est, qui *Hymenæe* vocativo casu legunt, ut sit ellipticῶς dictum. *Hymenæe*, pro, te, *Hymenæe* etc.; aut etiam citra figuram, pro *frequentant* hanc vocem *Hymenæe*. Neque facile dixerim utra lectio potior sit; quando (ut nunc quidem in vulgatis editionibus habetur,) utriusque exempla reperiuntur. Nisi quod posterior lectio grammatice defendi melius potest: eoque et doctis quibusdam magis

Diversi flebant servi, lacrimasque tegebant.
  Quis vellet tanti nuntius esse mali?
Me quoque, quidquid erat, potius nescire juvabat:
  Sed tanquam scirem, mens mihi tristis erat.
Quum minor e pueris jussus studioque videndi,
  Constitit ad geminæ limina prima foris.
Hic mihi: Mater, abi; pompam pater, inquit, Iason
  Ducet; et adjunctos aureus urget equos.
Protinus abscissa planxi mea pectora veste;
  Tuta nec a digitis ora fuere meis.
Ire animus mediæ suadebat in agmina turbæ,
  Sertaque compositis demere rapta comis.
Vix me continui, quin sic laniata capillos

probatur : sed tamen et illud non obscurum, Poetas veteres plus auribus aliquando, quam Grammaticorum præceptis ac regulis dedisse. M.

145. *Diversi flebant. Divisi* vel *dispersi* malebat Francius : sed nihil opus. *Diversi* enim hic est ab oculis meis se removentes; ut ita passim *diversus* orbis, *diversæ* terræ, et similia Poetis dicuntur. Virg. XI, 855 : Cur, inquit, *diversus* abis?

Livius, IX, 2 : *Diversi, alius alio, abiere.* Et sic ille sæpe, et alii, ubi in diversas partes abire aliquos inducunt. BURM.

148. *Mens mea.* Basileensis, *mens mihi*, quod Ovidianum magis et poeticum. Vid. sup. Epist. III, 124; et XI, 77; et alibi. IDEM.

149. *Quum minor e pueris jussu studioque videndi.* Lege *jussus*, non *jussu.* Non semel testatus sum, quam sæpe librarii veteres in literis aut frustra geminandis, quum similes occurrerent, aut omittendis peccaverint : aliquot exempla notavi in meis ad Metamorphos. observationibus. CIOF. — *Jussu*, multi ex libris scriptis et priscæ editiones. Tres, *visus :* duo, *visu :* totidem, *lusu :* unus, *missus :* Gronovianus, *cursu.* HEINS. — Ego præferrem *jussus*, *studione videndi :* incertum an jussus fuerit, an vero studio, quale esse puerorum solet, videndi, sponte eo iverit. BURM.

150. *Constitit ad geminæ* etc. Hafniensis, *ad dominæ.*

151. *Hinc mihi. Huic* prima editio. Scribe, *Hic mihi*, ut est in quatuor calamo exaratis. Unus Vaticanus, *Qui mihi :* sequenti versu *ducet*, pro *ducit*, bene Puteaneus. HEINS.

152. *Adjunctos. Adductos* Regius, et tres alii : duo etiam, *auratos :* sed nihil mutandum. I, Am. Eleg. II, 26 : ... *Adjunctas* arte movebis aves. BURM.

Ibid. *Aureus.* Explicat Crispinus, aureis vestibus ornatus : ego de curru aurato malim capere, ut I, Art. 214 : Quatuor in niveis *aureus* ibis equis. IDEM.

157. *Quin sic laniata capillos.* Puto, *quin dilaniata.* Amor. lib. III, Eleg. IX, 52, de sorore Tibulli : Venit inornatas *dilaniata* comas. HEINS.

Vulgat. multo præferendam censeo.

Clamarem: Meus est! injiceremque manus.
Læse pater, gaude; Colchi gaudete relicti;
Inferias, umbræ fratris, habete mei.
Deseror, amissis regno, patriaque, domoque,
Conjuge, qui nobis omnia solus erat.
Serpentes igitur potui, taurosque furentes,
Unum non potui perdomuisse virum?
Quæque feros pepuli doctis medicatibus ignes,
Non valeo flammas effugere ipsa meas?
Ipsi me cantus, herbæque, artesque relinquunt?
Nil Deà, nil Hecates sacra potentis agunt?
Non mihi grata dies: noctes vigilantur amaræ:
Nec tener in misero pectore somnus adest.
Quæ me non possum, potui sopire draconem!

158. *Clamarem: Meus est! injiceremque manus.* Manus in ipsum Jasonem immitterem, ut, qui *meus est*, novæ conjugi præriperem.

159. *Læse pater, gaude* etc. Sermonem animumque convertit ad patrem quem prodidit, ad patriam quam deseruit, et ad miserum fratrem quem non dubitavit interficere, ut illum sequeretur, a quo nunc deserta gemit. Sic et apud Euripidem, 797:

Τί μοι ζῆν κέρδος; οὔτ' ἐμοὶ πατρὶς,
Οὔτ' οἰκός ἐστιν, οὔτ' ἀπορρύσῃ κακῶν.
Ἥμάρτανον τόθ', ἡνίκ' ἐξελίμπανον
Δόμους πατρῴους, ἀνδρὸς Ἕλληνος λόγοις
Πεισθεῖσ', ὃς ἐμὲν ξὺν θεῷ τίσει δίκην.

164. *Unum non potui perdomuisse virum.* Alludere videtur Ovidius ad carmen illud celebre, quod in sua Medea cecinerat:

Servare potui; perdere an possim rogas? C.

165. *Quæque feros pepuli. Pepuli* bene duo Medicei, et pro diversa lectione Sarravianus; quomodo et Scaliger in ora codicis sui castigarat, et ego in vetusta editione Lugdunens. ita offendi. Excerpta Puteanei et Jureti cum aliis nonnullis, *rapui*: tres *domui*. Sic Claudianus, lib. III, de Raptu:

Scilicet hæc caris *pepulit* te Delia silvis. H.

166. *Non valeo flammas* etc. Quanto vehementius apud Senec. 27. sqq:

Non ibo in hostes? manibus excutiam faces,
Cæloque lucem? Spectat hoc nostri sator
Sol generis! et spectatur etc.

169. *Non mihi grata dies.* Virgil. de Didone, Æneid. IV, 451:

... Tædet cæli convexa tueri.

170. *Nec tener in misero pectore somnus adest. Nec teneram misero pectore somnus habet*, Puteaneus et ceteri castigatiores magno numero. Quinque:

Nec tenero miseram pectore.

Unus Ambrosianus:

Nec teneram misero pectore somnus alit. H.

171. *Quæ me non possum, potui.* Duo libri, *Quæ me non potui, potui*, Sic sequenti Epistola, 19:

Ut te non poteram, poteram tua vela videre. H.

Utilior cuivis, quam mihi, cura mea est.
Quos ego servavi, pellex amplectitur artus;
Et nostri fructus illa laboris habet.
Forsitan et, stultæ dum te jactare maritæ
Quæris, et injustis auribus apta loqui,
In faciem moresque meos nova crimina fingis.
Rideat, et vitiis læta sit illa meis;
Rideat, et Tyrio jaceat sublimis in ostro;
Flebit, et ardores vincet adusta meos.
Dum ferrum flammæque aderunt, succusque veneni,
Hostis Medeæ nullus inultus erit.
Quod si forte preces præcordia ferrea tangunt;
Nunc animis audi verba minora meis.
Tam tibi sum supplex, quam tu mihi sæpe fuisti:
Nec moror ante tuos procubuisse pedes.
Si tibi sum vilis, communes respice natos:
Sæviet in partus dira noverca meos.
Et nimium similes tibi sunt, et imagine tangor;
Et, quoties video, lumina nostra madent.
Per superos oro, per avitæ lumina flammæ,

177. *Fingis.* Bene *fingas* Puteaneus: sequentia confirmant. Heins. Vid. ad Epist. IV, 53.

179. *Jaceat.* Variant MSS. Leidensis *niteat;* Scriverii membranæ *sedeat:* sed vulgata non sollicitanda. Senec. Agam. 877:

... Ostro lectus Iliaco *nitet*,
Merumque in auro veteris Assaraci trahunt,
Et ipse picta veste sublimis *jacet*. Heins.

Recte: nam inepte hic Crispinus explicat in solio sedens: agitur enim de epulis: quis enim jacet in solio? B.

183. *Quod si forte.* Francius volebat, *At si forte.*

184. *Animis verba minora.* Hoc est verba humilia, et qualia supplices facere solent, quæque animum generosum et regalem dedeceant.

188. *Dira noverca meos. Noverca manus*, Puteaneus: forte scriptum fuerat primo:

Sæviet in *parcas* dira noverca *manus*. H.

189. *Et nimium.* Francius volebat:

Ut nimium similes tibi sunt, ut imagine tangor.

In imagine tangor, Lovaniens.; sed illud *et* eleganter repetitur. Supr. vers. 35:

Et formosus eras, et me mea fata trahebant.

191. *Lumina.* Modo præcessit *lumina:* quare forte a Nasone scriptum fuerit, quod in Venetis, Aldina priore et Bersmanni editionibus, et in uno Regio est, *numina.*

Per meritum, et natos, pignora nostra, duos:
Redde torum, pro quo tot res insana reliqui.
Adde fidem dictis, auxiliumque refer.
Non ego te imploro contra taurosque virosque;
Utque tua serpens victa quiescat ope.
Te peto, quem merui, quem nobis ipse dedisti;
Cum quo sum pariter facta parente parens.
Dos ubi sit, quæris? campo numeravimus illo,
Qui tibi, laturo vellus, arandus erat.
Aureus ille aries, villo spectabilis aureo,
Dos mea: quam, dicam si tibi, redde; neges.
Dos mea, tu sospes: dos est mea, Graja juventus.
I nunc, Sisyphias, improbe, confer opes.
Quod vivis, quod habes nuptam socerumque potentem,
Hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum est.
Quos equidem actutum..... sed quid prædicere pœnam

192. *Et natos, pignora nostra, duos.* *Pignora cara*, duo scripti. Sed Ausonius videtur imitatus in Parentalibus, IX, 26:

Liquisti natos, pignora nostra, duos.

In aliis *tuos*, quod τῷ *nostra pignora* videtur opponi; et profecto Seneca, in Medea, 478, *Tuorum* agnoscere videtur:

Per spes tuorum liberum, et certum larem.

Nisi *duorum* illic legendum. HEINS.

194. *Fidem dictis. Pactis* malebat olim Heinsius: sed perperam. Ter. Adel. V, I, 10: *Dictum inter nos fuit;* et ita Noster sæpe. Vid. IV, Met. 95. Male etiam Regius, *exiliumque refer.* Senec. Med. 482: *Redde supplici felix vicem.* BURM.

199. *Dos ubi sit, quæris.* Forte, *Dos ubi si quæras. Quæras* enim Moreti. Epist. VII, 83:

Si quæras, ubi sit formosi mater Iuli. BURM.

— *Campo numeravimus illo. Numeramus in illo* scripti plerique; quod Gronovio, lib. IV, Observ. 20, arridebat. Quatuor, *numeremus in illo*, etiam recte: sed tum sequenti versu scripserim:

Qui tibi laturo vellus arandus erit. HEINS.

203. *Dos est mea Graja juventus.* Socii tui, quos omnes ab imminente et certa pernicie servavi.— Incalescit tandem et fervet oratio, quæ paulo adhuc frigidior, seu rei, seu personæ respectu: sed Medeam hic agnoscas, quæ totam se explicat in ultimo Ep. versu: *Nescio quid* etc.

204. *I nunc, Sisyphias* etc. Enumeratis quæ Jasoni præstiterat officiis, quæ *dotem* suam haud immerito jactat, hortatur ironice, ut quas opes Creon, Sisyphi filius, natæ in dotem confert, cum Medeæ *opibus* comparet.

207. *Quos equidem actutum...* Indignantis est, nec raro contemnen-

Attinet? ingentes parturit ira minas.
Quo feret ira, sequar. Facti fortasse pigebit ..... ?
Et piget infido consuluisse viro.
Viderit ista Deus, qui nunc mea pectora versat:
Nescio quid certe mens mea majus agit. *

tis, verba præcidere, modo nihil inde sensus detrimenti capiat. Sic Medea, dum ultionem animo parat, et quidem horrendam, ne verbum quidem *ulcisci* profert; sed dat satis intelligendum, quum addit: *Quo feret ira, sequar.* Quo tulerit, notum omnibus.

208. *Parturit.* Eleganter: ita apud Senec. Med. 25: *Parta jam, parta ultio est. Peperi;* ubi Glossa codicis Trajectensis: *Peperi scilicet ultionem, quod per filios, quos peperi, me vindicavi.* BURM.

209. *Quo feret ira sequar.* Ex Euripide:

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δ' ῥᾴθυμον μέλλω κακὰ·
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

Unde sane Gallicus poeta:

Le destin de Médée est d'être criminelle;
Mais son cœur était fait pour aimer la vertu.
(QUINAULT. *Thés.*)

211. *Viderit ista Deus. Videris*, Puteaneus: et tunc in sequentibus rescribe: *Qui nunc mea pectora versas.* HEINS.

212. *Nescio quid certe* etc. Haud ingratum legentibus fore existimavi, si quid huc adducerem e scena quam instituit Seneca Medeam inter et Nutricem, quæ hortatur, ut saluti suæ consulat. v. 168 et sqq:

Nut. Rex est timendus. *Med.* Rex meus fuerat pater.
Nut. Moriere. *Med.* Cupio. *Nut.* Profuge.....
Med. Medea fugiam? *Nut.* Profugere dubitas?
Med. Fugiam; at ulciscar prius.
Nut. Vindex sequetur. *Med.* Forsan inveniam moras!

Quæ verba eo majori terrore implent animos, quo notum magis spectantibus, qua jam arte insequentem patrem *morata* fuerit; nec oblitus lector, quæ supra dixerit, not. 208:

... Parta jam, parta ultio est:
Peperi.

— *Agit. Alit* rescribebat Francius, ut respiciat τὸ *parturit.* Sic Terent. Andr. 1, 5: *Aliquid monstri alunt;* sed nihil opus. Senec. Med. 46:

Tremenda cælo pariter ac terris mala
Mens intus *agitat.* BURM.

* Quæ deinde evenerunt, eo nota minus, quo rara magis inter se Mythographorum concordia. Si quosdam enim audierimus, is fuit exitus rei, quod, quum Jasonem Medea precibus et minis frustra tentasset a Creusa ad se ipsam revocare, et contra Corintho statim discedere jussa fuisset, a Creonte efflagitavit unius diei dilationem; quo quidem facile impetrato, totam nocte sequenti regiam incendit, radicis cujusdam ope quam Circe invenerat, et cujus ea vis erat, ut, quem accenderat, ignis nequaquam posset exstingui. In hac conflagratione periisse Creontem et natam ferunt; Jasonem vero incolumem evasisse, qui postea, iisdem

testibus, Medeæ pepercit, nupsitque in Colchide Hæc quidam. Narrant vero alii Medeæ filios vestes quasdam venenis imbutas, jubente matre, ad Creusam dono detulisse; quibus vix indutis, tota conflagravit, ipseque parens, qui ad opem ferendam advolaverat. Neque satis hæc Medeæ majus aliquid animo moventi: quos e Jasone susceperat filios trucidavit, quo patrem miserum acriori doloris sensu torqueret; deindeque Athenas, ad Ægeum Thesei patrem confugit, cui nupsisse dicitur, atque Medum ex eo suscepisse, qui suum Mediæ regioni, cui imperavit, nomen postea dedit. Sed quum non ita multo post viam tentaret Theseus, qua a patre agnosceretur, ipsum veneno tollere Medea decrevit; quo, antequam patraretur, comperto scelere, Athenas rursus fugere coacta est, ut instanti sceleris pœnæ sese eriperet; et in Phœniciam delata, unde superioris Asiæ partes fertur peragrasse. Si tamen Solino fides, Buthroti a Jasone fuit sepulta: si Justino, in patria sua obiit, in gratiam, cum patre suisque omnibus, postquam rediisset. Illam a parricidii crimine purgat omnino Ælianus, et parum abest, quin optimam effingat mulierum. Tradit quippe Jasonis filios a Corinthiis ipsis, non a Medea trucidatos fuisse, quibus nec profuerat quidem in Junonis ædem confugisse. Quam labem Corinthii ut diluerent, quum accepissent Euripidem poetam argumentum hoc Τραγικώτατον tractandum suscepisse, quinque ipsi talenta obtulerunt, ut ficta res rei veritatem exciperet, et suos ipsa filios Medea in fabula jugularet. Nec certior de Jasone scriptorum inter se consensus. Dicitur illi prædixisse Medea, fore quondam, ut omni calamitatum genere vexatus fractusque, ipsius navis, quæ ad Phasin Argonautas devexerat, ruina periret; sicque evenit. Quum enim forte in maris litore jacens obdormiret, e dicta nave trabs forte elapsa, in dormientis caput incidit, illiusque ruina oppressus periit. Sunt autem qui in Colchida Jasonem reducant, ubi, postquam diu feliciterque regnum obtinuisset, honoribus post mortem cumulatus est, qui heroibus solent persolvi. Tot denique fere sensus, quot scripta et scriptores.— Adeas, quos adeundos in argumento auctores indicavimus.

EPISTOLÆ DECIMÆ-TERTIÆ

ARGUMENTUM.

Quum, ventis adversantibus, Protesilaus in Aulide cum cæteris ducibus detineretur, exterrita somniis Laodamia illius uxor, scribit, ut oraculi memor a bellis abstineat. Responsum quippe ab oraculo fuerat, eum qui primus e classe in Trojanum litus exiluisset, periturum. Nec suus oraculum eventus fefellit.

Vid. Iliad. B, 698, sqq. — Hygin. Fab. CIII.

EPISTOLA XIII.

LAODAMIA PROTESILAO.

MITTIT, et optat amans, quo mittitur, ire salutem,
Æmonis Æmonio Laodamia viro.
Aulide te fama est, vento retinente, morari:
Ah! me quum fugeres, hic ubi ventus erat?
Tum freta debuerant vestris obsistere remis:
Illud erat sævis utile tempus aquis.
Oscula plura viro, mandataque plura dedissem;
Et sunt quæ volui dicere multa tibi.

1. *Mittit et optat amans.* Ordo verborum est: amans Æmonis Laodamia mittit salutem viro Æmonio; et optat eo ire, quo mittitur, salutem; hoc est *Epistolam.* Versus sunt satis intricatæ constructionis; et qui, nisi recepti ab omnibus forent, similes superioribus quibusdam censeri poterant, quoniam inter subdititios referuntur. MICYL.

2. *Æmonis Æmonio* etc. Quod est, Thessala, Thessalo; ut in Epist. Hermiones Orestæ, 122:

... Tantalidæ Tantalis uxor ero.

Æmonia autem dicebatur Thessalia, ab Æmonia, una e Deucalionis filiabus, quæ nomen suum parti cuidam regionis hujus indiderat.

3. *Aulide te fama est* etc. Aulis, Bœotiæ portus et oppidum, ubi, propter cervam Dianæ sacram ab imprudente Agamemnone interfectam, Græci in Trojam navigaturi, vento morante, detenti sunt, donec ad placandum Deæ numen, filiam Iphigeniam regum rex immolaverit. Vid. Euripid. drama, quod *Iphig. in Aulid.* inscribitur. Lucret. I, 84, et sqq. Virg. Æn. II; 116; et Nostrum, Met. XII, 27, et sqq.

4. *Ah! me. A me* Puteaneus et octo alii: forte recte. Sup. Ep. VIII, 110:

Quæque licet fugio, sicut ab hoste, virum.

Heinsius malebat, *at me.* BURM.

7. *Plura viro. Meo*, Aprosianus; ut sæpe *meus*, *tuus*, et *suus* Nostro.

8. *Dicere multa. Plura*, magna libror. pars: quod arridet, ut superiorum sit repetitio. H.—*Arrident* multa, quæ non ideo temere accipienda.

Raptus es hinc præceps; et, qui tua vela vocaret,
  Quem cuperent nautæ, non ego, ventus erat.
Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti.
  Solvor ab amplexu, Protesilae, tuo;
Linguaque mandantis verba imperfecta relinquit;
  Vix illud potuit dicere triste, Vale!
Incubuit Boreas, abreptaque vela tetendit;
  Jamque meus longe Protesilaus erat.
Dum potui spectare virum, spectare juvabat:
  Sumque tuos oculos usque secuta meis.
Ut te non poteram, poteram tua vela videre:
  Vela diu vultus detinuere meos.
At postquam nec te, nec vela fugacia vidi;
  Et quod spectarem, nil, nisi pontus, erat;
Lux quoque tecum abiit; tenebris exsanguis obortis
  Succiduo dicor procubuisse genu.
Vix socer Iphiclus, vix me grandævus Acastus,

13. *Linguaque mandantis* etc. Sic emenda, quum hactenus *mandatis* legeretur. Egnat. Melius, quod in margine codicis a se collati adscripserat Gruterus: *Linguaque mandantis verba imperfecta reliquit.* Et quæ fuerint mandata, postea exprimit:

Et facito ut dicas, quoties pugnare parabis,
Parcere me jussit Laodamia sibi.

Ceteraque, quæ ibidem partim præcedunt, partim sequuntur. D. H.

14. *Potuit.* Sic ex quatuor scriptis; non *potui.*

15. *Incubuit Boreas.* Pro quolibet vento propitio euntibus e Græcia in Phrygiam. Alioqui *Boreas* contrarius est. Ciof. — *Arreptaque. Abreptaque* Puteaneus et alii præstantiores. Heins. Nihil muta. *Arrepta*, scilicet a vento. — *Ereptaque* Junii, Douzæ et Palat. *Adflataque*, Basil. Burm. — Male: non enim *in Phrygiam* statim Protesilaus, sed e portu quodam Thessaliæ, in Bœotiæ portum Aulidem, ubi conventus indictus erat Græcorum classi, navigabat. Boreas igitur omnino *secundus* erat ventus. Lennep.

17. *Dum potui spectare* etc. Similis prope locus est in Epist. Œnones; 55:

Prosequor infelix oculis abeuntia vela. Ciof.

19. *Poteram tua vela videre.* Francius volebat, *Poteram dum vela videre, Vela diu* etc.

23. *Lux quoque tecum abiit, tenebrisque exanguis obortis Succiduo dicor procubuisse genu.* Plautus in Curculione II, III, 30: *Tenebræ oboriuntur; genua inedia succidunt.* Id.

25. *Vix me grandævus Acastus.* Dubitat Burmann. in Catalogo Argonaut. quem Valerii Flacci edi-

Vix mater gelida mæsta refecit aqua;
Officium fecere pium, sed inutile nobis:
Indignor miseræ non licuisse mori.
Ut rediit animus, pariter rediere dolores;
Pectora legitimus casta momordit amor.
Nec mihi pectendos cura est præbere capillos:
Nec libet aurata corpora veste tegi.
Ut quas pampinea tetigisse Bicorniger hasta
Creditur, huc illuc, quo furor egit, eo.
Conveniunt matres Phylaceides, et mihi clamant:
Indue regales, Laodamia, sinus.
Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes:

tioni præmisit, utrum hic idem sit Acastus cum Acasto Peliæ filio et Jasonis socio; an sit ab eo diversus reputandus. Vix enim jam Vopisco visus ille vitæ tempus ad Trojana usque tempora perducere potuisse; sed patet ex Euripidis loco in Troad. Acastum Peliæ filium ultra etiam Trojani belli tempora vixisse. Adde quod et hic patria Thessalus; et Thessalus quoque Laodamiæ pater. — *Vix socer Iphiclus.* Iphicli plures: hic Phylaci filius, Dejonis ex Clymene nepos: interfuit Argonautis, pedum velocitate clarus. Apoll. I, 45.

26. *Mæsta refecit. Membra*, Moreti et tres alii: sed nihil opus. B. — *Vix mater.* Astydamia, quæ Laodamiæ mater.

29. *Utque animus rediit.* Alii aliter: sed veram puto lectionem, quam Puteaneus præfert, cum septem aliis. *Ut rediit animus*, dictum jam Epist. VI, V, 31. HEINS.

33. *Bicorniger.* Bacchus, qui cornuta fronte depingebatur, seu quia fortis et potens, seu quia inter obeundum hircina pelle induebatur. Dictus quoque ab Euripide, Ταυρόκερος.

34. *Qua furor egit, eo. Quo furor egit*, priscæ editiones et multi ex scriptis codices. Sic Epist. IX, 145:

... Quo me furor egit amantem?

Et Epist. XII, 209:

Quo feret ira, sequar. HEINS.

35. *Conveniunt matres Phylleides. Phylleides* cupidius ab Heinsio, admiratione vocabuli, huc intrusum, quam verius, censet Hemsterhusius, ad Lucianum Dialog. Mort. XXIII. Causam autem Heinsius rejectæ ab se vulgatæ, hanc attulit, quod primam in derivatis a Φυλάκη Ovidius alibi plerumque producat, geminato *l*. Sed non fugiebat virum in Ovidio versatissimum, locus, Trist. V, El. XIV, 39: *Ut vivat fama conjux* PHYLACEIA. Nimirum a Φυλάκη, quam urbem Phylacus condiderat, gentile est Φυλακεῖος, Ionice Φυλακήϊος, unde femininum, *Phylaceia;* et alterum gentile Φυλακεύς, unde femin. Φυλακήϊς, quo usi Apollon. I, 47; et Statius, Silv. V, Carm. III, 272. L.

37. *Murice vestes.* Basileensis *lanas*, et ita Gronovianus pro diversa lectione. Forte *lanas:* nam mox *vestes* sequitur iterum. BURM.

Bella sub Iliacis mœnibus ille gerat?
Ipsa comas pectar: galea caput ille prematur?
Ipsa novas vestes; dura vir arma ferat?
Qua possum, squalore tuos imitata labores
Dicar; et hæc belli tempora tristis agam.
Dux Pari Priamide, damno formose tuorum,
Tam sis hostis iners, quam malus hospes eras.
Aut te Tænariæ faciem culpasse maritæ,
Aut illi vellem displicuisse tuam.
Tu, qui pro rapta nimium, Menelae, laboras,
Hei mihi! quam multis flebilis ultor eris!
Di, precor, a nobis omen removete sinistrum:

39. *Ipsa comas pectar, galea caput ille premetur? Ipsa novas vestes, dura vir arma feret?* Antitheta quam pulcherrima, ad summum dolorem excitandum. Cior. Alter membranaceus Moreti codex, *pectar;* eleganti Græcismo. Superiora confirmant: Nec mihi pectendos cura est præbere capillos. Hoc enim ancillarum officium, quæ *ornatrices* hinc dictæ. Heins.

43. *Dux Pari.* Male legitur hic textus, *Dux Pari:* neque enim convenit, ut irata et turbata *ducem* appellet Paridem. Et ex verbis Homeri, Iliad. Γ, 39, apparet legendum esse *Dyspari.* Dicit enim: Δύσπαρι εἶδος ἄριστε etc.; id est, *o male et infelix Pari, formam optime.* Alludens igitur poeta Ovidius ad illa verba Homeri, facit iratam Laodamiam loqui de Paride contumeliose, sic: *O Dyspari!* id est, o male et infelix Pari! nam δυς apud Græcos in compositione *malum* aliquod significat, vel difficultatem, vel impossibilitatem, ut notum satis, vel ipsis litterarum græcarum tironibus. Hubert. — Sic et in uno regio pro varia lectione, et in duabus editionibus Venetis deprehendi; et ita etiam Martinus Crusius, in Germano-Græcia, lib. 1, p. 17, corrigebat; et hodie esse scio, quibus non displiceat: sed ego tam docte Ovidium vix scripsisse puto; et quum *Duces* passim a poetis dici heroas et reges sciam, retineo vulgatam. — *Tuorum.* In Gronoviano erat pro varia lectione, *virorum;* ut ad suum quoque virum, in quem Paridis noxa redundaverit, respiciat, et qui non solum Trojanis damna, sed et Græcis intulerit. B. — Et ea quoque Lennepii sententia est, qui, licet non motus mediocriter rationibus quas afferunt Hubertianus, Egnat. et Micyll. in textum tamen recipere non ausus est; et vulgatam, Burmanno duce, retinendam censuit.

48. *Hei mihi! quam multis flebilis ultor eris!* Sic Ulixis desiderio confectus Eumæus, apud Hom. Odyss. Ξ, 68, in Helenam, quæ toti Græciæ adeo *flebilis*, invehitur:

Ὡς ὤφελλ' Ἑλένης ἀπὸ φίλον ἦλίτθαι
Πρόχυν, ἐπεὶ πολλῶν ἀνδρῶν ὑπὸ γούνατ' ἔλυσεν.

Et sua det reduci vir meus arma Jovi.
Sed timeo; quotiesque subit miserabile bellum,
More nivis lacrimæ sole madentis, eunt.
Ilion et Tenedos, Simoisque, et Xanthus, et Ide,
Nomina sunt ipso pæne timenda sono.
Nec rapere ausurus, nisi se defendere posset,
Hospes erat: vires noverat ille suas.
Venerat, ut fama est, multo spectabilis auro,
Quique suo Phrygias corpore ferret opes;
Classe virisque potens, per quæ fera bella geruntur;
Et sequitur regni pars quotacunque sui.
His ego te victam, consors Ledæa gemellis,
Suspicor: hæc Danais posse nocere puto.

50. *Et sua det reduci vir meus arma Jovi.* Homerus, Iliad. H, 82, de Hectore, qui Ajacem interficere cupiebat:

Τεύχεα συλήσας, οἴσω πρὸς Ἴλιον ἱρὴν,
Καὶ χρεμάσω πρὸτὶ νηὸν Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο.

Et infra in hac ipsa Epistola:

... Referas ista face arma Jovi.

Vide et Horatium Epist. 1, lib. 1. Solebant milites, confecto bello, quæ gesserant arma ad Deos suspendere. Ovid. lib. IV. Trist. El. 8, v. 22:

Miles ubi emeritis non est satis utilis annis,
Ponit ad antiquos quæ tulit arma lares. C.

Ut sua det, Douzæ excerpta.

51. *Sed timeo, quotiesque subit miserabile bellum.* Libri veteres, præter unum Vaticanum, constanter: *Sed timeo quoties subiit.* Existimo scribendum, *Sed timidæ quoties subiit*, vel *timidam;* ut Fast. II, 753:

... Quoties pugnantis imago
Me subit. HEINS.

Sed simpliciter *subire* etiam dixit infr. vers. 123: quare nihil muto.

54. *Timenda. Tremenda* mallet Francius.

58. *Quique suo Phrygias corpore ferret opes.* Notum omnibus et vulgatum quam sui curiosus et ostentator esset Paris: quam muliebriter cutem et ornamenta curaret. Vide quibus eum verbis indignans Hector increpitet, Iliad. I, 58 et sqq.

59. *Per quæ.* Malim *per quos:* ut milites intelligantur: sed vide Vossii opus Grammaticum, libro de Constructione, cap. IV. HEINS.

60. *Et sequitur regni pars quota quemque sui.* Recte *quotacunque* Puteaneo, pro diversa lectione. Sarravianus *quotaquæque*, vel *quotaquamque: quotaquæque* etiam multi alii ex scriptis. HEINS. — *Quem sequitur* etiam Francius conjiciebat: *quotaquæque* vero recte; et legendum per interrogationem. Ita Quinct. Decl. CCCXXXV: *Dum membra sufficiunt, dum in officio vires sunt; quotam quamque partem habeo viventis?* B.

61. *Consors Ledæa gemellis. Ledæi* censeo castigandum, ut et initio Epistolæ Paridis. Græcis enim patronymicis impense delectatur Noster. Sic lib. I, Met. 504:

Nympha, precor, Penei mane.

Hectora nescio quem timeo : Paris Hectora dixit
  Ferrea sanguinea bella movere manu.
Hectora, quisquis is est, si sum tibi cara, caveto.
  Signatum memori pectore nomen habe.
Hunc ubi vitaris, alios vitare memento ;
  Et multos illic Hectoras esse puta.
Et facito dicas, quoties pugnare parabis,
  Parcere me jussit Laodamia sibi.
Si cadere Argolico fas est sub milite Trojam;
  Te quoque non ullum vulnus habente cadat.
Pugnet, et adversos tendat Menelaus in hostes,
  Ut rapiat Paridi, quam Paris ante sibi.
Irruat; et causa quem vincit, vincat et armis.
  Hostibus e mediis nupta petenda viro est.
Causa tua est dispar : tu tantum vivere pugna,

Pro quo *Penea* in vulgatis libris legebatur, et similia passim : ita *Sesti puella*, Epist XVIII, ut ibi scribimus.

65. *Hectora... caveto.* Et recte quidem monebat ; nam ab Hectore Protesilaus, sub ipsum e navibus escensum, oppressus est. Dictys Cret. II, ab Ænea ; alii ab aliis occisum ferunt. Vid. Schol. ad Hom. Il. B, 698.

69. *Et facito dicas.* Si hæc prædicaret publice Protesilaus, ut ignavus et segnis ab aliis jure argueretur. Forte scripserit, et *tacito*, vel *tacite, dicas :* ita *secum loqui*, et similia obvia. Proferunt quidem Lexicographi, ex Cicer. pro Quinct. 15 : *Huic ne perire quidem tacito obscureque conceditur :* sed alii ediderunt *tacite;* et II, Verr. 73 : *Vos jam, me tacito, intelligetis :* sed ibi est ablativus, a *tacitus*. BURM.

72. *Te quoque* etc. Lovaniensis, *te quoque, sed nullum vulnus habente :* non ineleganter, vid. Epist. XII, 116. Francius conjiciebat, *Te voveo nullum*, vel *te modo non ullum*. BURM.

73. *Pugnet, et adversos* etc. Videas apud Homer. Iliad. Γ, 97, et sqq. singulare certamen Menelaum inter et Paridem.

74. *Ut rapiat.* Hic versus cum sequenti absunt a Puteaneo et Lovaniensi : sunt tamen Ovidiani ; si quid video, offendit fortasse delicatas aures τὸ *sibi*, pro *illi* positum. Atqui sic solent optimæ latinitatis auctores. Cicer. apud Non. in verb. *Apud : Cujus etiam focum Cato ille noster, quum venerat* ad se *in Sabinos, visere solebat.* Fast. III, 656 :

Et celebrant largo seque diemque mero. H.

75. *Et causa quem vincit, vincat et armis. Causa* enim meliore *vincit* Menelaus, ut qui graviter offensus, iniquum aggressorem insequatur. Optat igitur merito Laodamia, ut *armis* quoque *vincat ;* sed velit, ut non ad vincendum, Protesilai cæterorumque auxilio indigeat.

77. *Causa tua est dispar.* Scrip-

Inque pios dominæ posse redire sinus.
Parcite, Dardanidæ, de tot, precor, hostibus uni:
Ne meus ex illo corpore sanguis eat.
Non est, quem deceat nudo concurrere ferro,
Sævaque in oppositos pectora ferre viros.
Fortius ille potest multo, qui pugnat amore.
Bella gerant alii; Protesilaus amet.
Nunc, fateor, volui revocare; animusque ferebat:
Substitit auspicii lingua timore mali.
Quum foribus velles ad Trojam exire paternis,
Pes tuus offenso limine signa dedit:
Ut vidi, ingemui; tacitoque in pectore dixi:
Signa reversuri sint, precor, ista viri!
Hæc tibi nunc refero, ne sis animosus in armis:
Fac meus in ventos hic timor omnis eat.

serat, puto, Ovidius, *Causa tuæ dispar:* nam *Tu est* abest a duobus scriptis. Epistola Acontii, 156:

Non erit idcirco par tua causa meæ. HEINS.

Nihil muto; alibi enim:

Caussa mea est melior. TRIST. II, 51.

83. *Fortius ille potest, multo qui pugnat amore. Cui pugnat* unus Vaticanus. *Quam pugnat amare* Puteaneus. Scribe, *quum pugnat amore.* Pergit de Protesilao loqui. Sequenti versu, *Protesilaos*, Puteaneus. H. Recte Heinsius; nisi forte legendum sit:

Fortius ille facit multo, quum pugnat amore. B.

— Nescit Lennep. an non præferenda lectio codicis Puteanei, *Fortius ille potest multo, quam pugnat, amare;* quæ quidem probatur etiam viro docto, in Miscell. Obs. vol. II, t. I, p. 23. Sed quamcumque sententiam aut lectionem amplectaris, detrimenti nihil sensus capiet, qui per se satis, ex antecedentibus, et pone sequentibus, apertus elucet. Omnis in hoc Laodamiæ mens et sententia: *Bella gerant alii: Protesilaus amet.*

85. *Hunc fateor volui. Nunc,* scripti omnes. Met. XIII, 189:

Nunc equidem fateor, fassoque ignoscat Atrides,
Difficilem tenui sub iniquo judice causam. H.

89. *Ut vidi, ingemui.* Sex scripti, *Ut vidi gemui:* unus Patavinus. *Et vidi et gemui.* Lege *Ut vidi, ut gemui.* H.

90. *Reversuri.* Palatinus unus, *recursuri;* quod probavit Gebhardus ad Tibul. I, III, 20, et non immerito: de navigantibus enim hoc verbum proprie et eleganter dicitur; et *reversuri* a glossatoris manu profectum est. Epist. VI, 19:

Abstrahor Hypsipyle; sed, dent modo fata *recursus,*
Vir tuus hinc abeo, vir tibi semper ero. B.

92. *Fac meus.* In Vossii excerptis erat:

Irritus in ventos fac timor omnis eat.

Sors quoque nescio quem fato designat iniquo,
  Qui primus Danaum Troada tangat humum.
Infelix, quæ prima virum lugebit ademtum!
  Di faciant, ne tu strenuus esse velis!
Inter mille rates tua sit millesima puppis;
  Jamque fatigatas ultima verset aquas.
Hoc quoque præmoneo: de nave novissimus exi.
  Non est, quo properes, terra paterna tibi.
Quum venies, remoque move, veloque carinam;
  Inque tuo celerem litore siste gradum.
Sive latet Phœbus, seu terris altior extat,
  Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte, venis:
Nocte tamen, quam luce, magis. Nox grata puellis,
  Quarum suppositus colla lacertus habet.
Aucupor in lecto mendaces cælibe somnos:
  Dum careo veris, gaudia falsa juvant.
Sed tua cur nobis pallens occurrit imago?
  Cur venit a verbis multa querela tuis?

93. *Sors quoque nescio quem* etc. Hygin. Fab. CIII: « Achivis fuit responsum, eum, qui primus litora Trojanorum attigisset, periturum. Quum Achivi classes applicuissent, ceteris cunctantibus, Iolaus, Iphicli et Diomedeæ filius, primus e nave prosiluit, qui ab Hectore confestim est interfectus, quem cuncti appellarunt *Protesilaum*, quoniam primus ex omnibus perierat. Quod uxor Laodamia Acasti filia quum audisset eum periisse, petiit a Diis, ut sibi cum eo tres horas colloqui liceret: quo impetrato a Mercurio reductus tres horas cum eo collocuta est: quod, iterum quum obiisset Protesilaus, dolorem pati non potuit Laodamia. »

98. *Jamque fatigatas ultima verset aquas.* Optat Laodamia ut Græcorum *ultimus* conjux Trojanum litus tangat, ut oraculum effugiat, quod mortem illi minatur:

Qui *primus* Danaum Troada tangat humum.

105–6. *Nox grata puellis, quarum suppositus colla lacertus habet.* Suavis est admodum pictura hæc dormientis minus, quam somniantis puellæ, et meditanti similis, capite *in lacertum* molliter reclinato. — Nescio quis *mariti lacertum*, intelligendum contendebat! Qui vero sic interpretatur, poetam se occidisse merito jactaverit. Notandus in sequenti, *lectus cælebs*.

109. *Sed tua cur nobis pallens* etc. Nescio quid mali præsagit; præsagit tamen, et valde turbatur. Expressum vere e genio amantium.

Excutior somno; simulacraque noctis adoro:
Nulla caret fumo Thessalis ara meo;
Tura damus, lacrimamque super; qua sparsa relucet,
Ut solet adfuso surgere flamma mero.
Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacertis,
Languida lætitia solvar ab ipsa mea?
Quando erit, ut, lecto mecum bene junctus in uno,
Militiæ referas splendida facta tuæ?
Quæ mihi dum referes, quamvis audire juvabit,
Multa tamen rapies oscula, multa dabis.

111–12. *Simulacraque noctis adoro.* Somnia intelligit, quæ suum illi Protesilaum inter dormiendum sæpius offerebant. — *Nulla caret* etc. Nulla est ara, quæ non adolescat ture meo, pro reditu Protesilai.

113. *Tura damus, lacrimasque super: quæ sparsa relucent.* Videtur esse ἀσύντακτον, quamvis ferri possit, ut ad tus cum lacrimis referatur. Scaliger e suo codice annotarat: *Tura damus, lacrimamque super, qui ora relucet.* E quo fortasse veram lectionem feceris:

Tura damus, lacrimasque super, queis ara relucet,
Ut solet affuso surgere flamma mero.

Dan. Heins. *Lacrimamque* iidem. Sic θάκρυ pro θάκρυα, sæpe apud Poetas Græcos. Deinde *quæ sparsa relucet*, veteres omnes, præter Puteaneum, in quo *quæsa relucet*, et emendatum, *quis ara*. Lego, *qua sparsa relucet*, flamma nimirum, quod sequitur: *qua* subintellige lacrima. Apud Lucanum, lib. II, 30; et *lacrimis sparsere Deos*. Heins. — *Adfuso. A fuso* Douræ excerpta, et multi editi, et scripti.

114. *Sparsa relucet* (*ara*), *Ut solet* etc. *Relucet;* iterum lucet atque iterum, nec sine crepitu, *ut solet* fieri, quum liquor quilibet in ignem infunditur. Sic Aristæi mater, apud Virgil. Georg. IV, 384:

Ter *liquido* ardentem perfudit *nectare* Vestam:
Ter *flamma* ad summum tecti subjecta *reluxit*.

116. *Languida lætitia solvar ab ipsa mea.* Male *tristitia* quidam: quamquam apud Virg. Æn. l. II, 26:

Ergo omnis longo *solvit* se Teucria *luctu*.

Et apud Tibull. lib. I, Eleg. VIII, 39:

Bacchus et agricolæ, magno confecta labore
Pectora *tristitiæ dissoluenda* dedit.

Ubi tamen *lætitiæ* legi omnino malim, neque aliter Muretus, et vetus exemplar Angeli Colotii apud Achillem Statium. Sic *mero solvi*, et *solvi gaudio:* contra, *adstricta dolore pectora* apud Nostrum, Artis Amatoriæ, lib. I, 361. Heins. — Recte dicitur aliquis, ut *languore*, sic *lætitia* solvi. Conf. Burmann. ad Petronium, c. 131; ubi magis est audiendus, quam in adnotatis ad hunc locum. Lennep.

120. *Multa tamen rapies oscula, multa dabis.* Libri septem veteres, *capies:* optime, hoc est, accipies, quod respondet τῷ *dabis*. Oscula non rapiuntur, nisi ab invitis. Art. Amat. I, 667:

Tantum ne noceant, teneris male *rapta* labellis
Neve queri possit dura fuisse, cave. Heins.

Semper in his apte narrantia verba resistunt:
  Promtior est dulci lingua referre mora.
Sed quum Troja subit, subeunt ventique, fretumque;
  Spes bona sollicito victa timore cadit.
Hoc quoque, quod venti prohibent exire carinas,
  Me movet: invitis ire paratis aquis.
Quis velit in patriam, vento prohibente, reverti?
  A patria pelago vela vetante datis.
Ipse suam non præbet iter Neptunus ad urbem.
  Quo ruitis? vestras quisque redite domos.
Quo ruitis, Danai? ventos audite vetantes:
  Non subiti casus, numinis ista mora est.
Quid petitur tanto, nisi turpis adultera, bello?
  Dum licet, Inachiæ vertite vela rates.
Sed quid ego revoco hæc? omen revocantis abesto,

122. *Promtior est dulci* etc. *Promtior*, paratior est *lingua* ad illuc redeundum, unde diverterat, quum *dulci mora*, osculis scil. datis invicem et exceptis, aliquandiu fuit detenta. — *Lingua referre mora*. Margo Micylli, cum tribus nostris codicibus, *lingua retenta mora*. Vid. sup. vers. 86. Heins. I. Amat. VII, 20: *Pavido lingua retenta metu*. Francius malebat, *refecta mora*.

129. *Ipse suam non præbet iter* etc. Negat iter ad Trojam Neptunus ipse, quam *suam* merito dicit, cujus muros, socia Apollinis ope, exstruxerat.

131. *Vetantes*. *Sonantes*, Sarravii: quatuor alii *tonantes*: quod elegans, ut Epist. XIX, 81, ubi vide; et modo præcessit *pelago vetante*. Burm. — Hoc ipso servandum *vetantes*; nec inconsulte Laodamia verbum ingeminat, quo facile magis, tot reipsa *vetantibus*, Protesilaum a proposito deterreat.

133. *Turpis adultera*. Famosa Helena: *Turpis* enim hoc loco ad mores, non ad faciem semper refertur, ut jam monuimus. Ciof. — Bellum hoc Cyclops Euripid. v. 282, ἀισχρὸν στράτευμα vocat.

134. *Vertite*. *Flectite*, ut superius.

135. *Sed quid ego revoco hæc*. Vulgo sic editur; sed nusquam producit ultimam in *ego* Noster. Ex elegia in Drusum, v. 193, hæc producuntur: *Quid ego jam credulus, inquit*; sed aliter ibi scripti. Putavit id sibi licere Ausonius non uno loco, atque illum secuti; de quibus Voss. Art. Gram. lib. II, cap. 27. — *Omen revocantis abesto*, Irritum cadat, quidquid mali et infausti ominis in *revocatione*. Cæterum, infinita prope lectionum hic varietas, quas omnes Heinsius diligenter, suo more, collegit; non omissis, quæ ipsi, dum colligeret, conjicienda sagaciter obvenerant.

Blandaque compositas aura secundet aquas.
Troasin invideo; quæ si lacrimosa suorum
Funera conspicient, nec procul hostis erit.
Ipsa suis manibus forti nova nupta marito
Imponet galeam, barbaraque arma dabit.
Arma dabit: dumque arma dabit, simul oscula sumet;
Hoc genus officii dulce duobus erit;
Producetque virum; dabit et mandata reverti:
Et dicet: Referas ista, face, arma Jovi.
Ille, ferens dominæ mandata recentia secum,
Pugnabit caute, respicietque domum.
Exuet hæc reduci clypeum, galeamque resolvet,

137. *Troasin invideo.* Σολοικίζει vulgata lectio *Troadas;* nam nihil ad rem facit, quod ex Tacito adduxit Ciofanus, lib. I: *Ne hostes quidem sepulturam invident;* ubi *hostibus* subintelligendum: multo minus Plauti loca a Gebhardo annotata: Bacch. Act. IV, sc. IV, 32: *Bacchidem atque hunc suspicabar* etc.; et Mostell. Act. I, sc. III, 34: *Unum inservire amantem.* Neque magis faciunt omnes illæ locutiones, *ignoscere alicui; male loqui alicui; nocere alicui* etc. et similia. Hæc enim non in Nasonem conveniunt: Acciano aut Pacuviano ævo valuisset hæc locutio, *Troadas invideo:* ex Accii enim Menalippe citat hunc versum Cicero, libri III, Tusc. Quæst 9: *Quis nam florem liberum invidit meum?* Sed addit: *Male latine videtur, sed præclare Accius: ut enim* videre, *sic* invidere *florem rectius, quam flori; nos consuetudine prohibemur. Poeta jus suum tenuit, et dixit audacius.* Frustra ergo grammatici recentiores tuentur hanc scripturam: nunc videamus codices manuscriptos. *Troas invideo* Puteaneus: unde Salmasius, τῷ *in* geminato, feliciter, teste Gronovio in Observationibus, lib. III, c. 3, reponebat, *Troasin invideo:* tertio casu Græco plurali. Sic et in Tristibus idem, lib. V, Eleg. V, 43:

Edidit hæc mores illis *heroisin* æquos.

Emendabat etiam vere: nam perperam vulgo *heroibus* legitur. H.

139. *Ipsa suis manibus* etc. Simile quid apud nostratem Voltaire, (*Henriade*, in medio lib. VIII,) ubi *nova nupta* maritum armis induit, in pugnam prorumpentem, neque heu! reversurum!

Ce jour, sa jeune épouse etc.

143. *Producetque.* Crispinus explicat, *longa mora detinebit; retardabit:* quod quin *producere* aliquando notet, nullum est dubium; sed tunc fraudis fere significationem habet: hic est, honoris causa comitabitur, et prosequetur extra domum; ut recte Hubertinus. Burm.

147. *Exuet et reduci. Hæc reduci* Puteaneus: mox *pectora lassa*, non *corpora*, quatuor scripti. Heins. — *Clypeum galeamque.* Multi codices et editiones quædam, *galeam cly-*

Excipietque suo pectora lassa sinu.
Nos sumus incertæ : nos anxius omnia cogit,
Quæ possunt fieri, facta putare, timor.
Dum tamen arma geres diverso miles in orbe,
Quæ referat vultus est mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus : amplexus accipit illa meos.
Crede mihi : plus est, quam quod videatur, imago.
Adde sonum ceræ : Protesilaus erit.
Hanc specto, teneoque sinu, pro conjuge vero :
Et, tanquam possit verba referre, queror.
Per reditus, corpusque tuum, mea numina, juro ;
Perque pares animi conjugiique faces ;
Perque, quod ut videam canis albere capillis,

peumque : sed rectius *galeam* cum τῷ *resolvet* proximo loco jungunt : illa enim aperiebatur et claudebatur. Stat. VIII, 163 :

... Qui fletus galeis cecidere *solutis*.

Hinc Antigone fratri suo armato apud eumdem, lib. XI, 372 :

... Saltem ora trucesque
Solve genas, liceat vultus fortasse supremum
Noscere dilectos. BURM.

151. *Dum tamen arma geres* etc. Videatur hæc Ovidius, inprimisque, *amplexus accipit illa meos*, ex Euripidis loco, Alcest. 349, desumsisse, ubi tam vere Admetus conjux ad Alcesten :

Σοφῇ δὲ χειρὶ τεκτόνων θέμις τὸ σὸν
Εἰκασθὲν ἐν λέκτροισιν ἐκταθήσεται,
Ὥστ' προσπεσοῦμαι, καὶ περιπτύσσων χέρας,
Ὄνομα καλῶν σὸν, τὴν φίλην ἐν ἀγκάλαις
Δόξω γυναῖκα, καίπερ οὐκ ἔχων, ἔχειν.

Tales erant, cereæ scilicet, majorum imagines, quas, ut ait Val. Maximus, lib. v, cap. 8, §. 3 : « cum titulis suis idcirco in prima ædium parte ponere solebant, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur. » Describit Plinius, XXXV, 2.

155. *Crede mihi : plus est, quam quod videatur, imago.* Amantium certe oculis, quibus non vultus modo absentis, et expressa referunt delineamenta ; sed et ipsum animum mentemque ; ita ut vox una desit, quæ errorem compleat dulcissimum.

156. *Adde sonum ceræ.* Fac ut colloquatur. — *Protesilaus erit.* Quam venuste, quam vivide Anacreon, in lepidissimo carmine, de dominæ effigie, Od. XXVIII, 33, artificem alloquens :

Λπέχει· βλέπω γὰρ αὐτὴν
Τάχα, κηρὲ, καὶ λαλήσεις.

158. *Et tamquam possit.* Malo rescribi :

Huic, tamquam possit verba referre, queror. H.

161. *Perque quod ut.* Excerpta Gallicana ; *perque quod videam :* forte, *perque quod o videam.* Ep. Dejaniræ :

Virque, sed o possis! et puer Hyllè, valè.

Vid. ad Epist. I, 101. HEINS.

Quod tecum possis ipse referre, caput :
Me tibi venturam comitem, quocunque vocaris;
Sive, quod heu timeo! sive superstes eris.
Ultima mandato claudetur epistola parvo :
Si tibi cura mei, sit tibi cura tui.

162. *Quod tecum possis.* Lego, *O tecum possis*, vel *Huc.* Nam Vossianus, *Ut tecum.* HEINS. *Τὸ ipse* non vacat hic; quia virorum, qui bello ceciderant, cadavera in patriam ab aliis solebant referri, ut notissimum. Laodamia vero vovet, ut ipse salvus referat caput. BURM.

164. *Sive, quod heu timeo! Morieris*, subaudit; sed reticet aptissime, ne ex ipsa *mortis* mentione, infaustum omen fiat. BURM.

166. *Sit tibi cura tui.* Sed Diis aliter visum. Audita vero conjugis morte, Laodamia in amplexu cereæ imaginis dicitur dolore oppressa expiravisse. Rem paulo aliter Servius, ad VI Æneid.; ibique narrat optasse Laodam., ut extincti Protesilai umbram sibi liceret intueri; quod quum a Diis impetrasset, in amplexibus animam efflavit. Comitem hanc Virgilius Phædræ et aliis addit, Æn. loc. dict. v. 447.

EPISTOLÆ DECIMÆ-QUARTÆ

ARGUMENTUM.

Quinquaginta filias Danaus pluribus e conjugibus susceperat, quas Ægyptus illius frater, cui totidem obtigerant filii, in nurus postulavit. Danaus vero, quum ex oraculi responso compertum habuisset, manibus se generi periturum, filias primum petenti Ægypto denegavit. Quod quum ille impatienter ferret, filios cum exercitu misit, qui Danaum obsidione premerent, cogerentque, ut filias daret. Dedit quidem; sed accepto a patre unaquæque gladio, suum unaquæque, prima nocte, conjugem immaniter jugulavit. Sola Hypermnestra Lynceo pepercit, unde iratus pater in vincula miseram conjecit, mortem comminatus. Hac ergo Epistola maritum rogat, qui ad Ægyptum patrem confugerat, ut opem ferat quam primum, et veniat uxorem carcere liberaturus.

Pausan. II, 19. — Apollod. II, 1.

EPISTOLA XIV.

HYPERMNESTRA LYNCEO.

MITTIT Hypermnestra de tot modo fratribus uni :
Cetera nuptarum crimine turba jacet.
Clausa domo teneor, gravibusque coercita vinclis :
Est mihi supplicii causa, fuisse piam.
Quod manus extimuit jugulo demittere ferrum,
Sum rea : laudarer, si scelus ausa forem.

1. *De tot ... fratribus uni.* Qui solus e quinquaginta fratribus superstes exstitit. — *Cetera turba.* Hæ voces, *turba* et *populus* frequenter usurpantur, quum agitur de quadam multitudine. Sic in Dejaniræ ad Herculem Epist., supra vidimus, v. 51. — Codex Strozzæ, *Hypermnestre,* ut et infra vers. 53. Sed et similia nomina licet in *a* exeant, ultimam sæpe producunt apud Nostrum; ut *Leda, Phædra, Hybla* etc., quarum multa utroque modo efferuntur. *Electra,* apud Propert. II, XI, 5. BURM.

2. *Nuptarum crimine.* Sororum Hypermnestræ, quæ Lyncei fratribus nupserant, et Danao patri male obsequentes, suum quæque conjugem occiderant. Cujus quidem rei meminit Horatius, III, Od. VI, v. 30, his verbis :

Impiæ sponsos potuere duro
Perdere ferro.

Una de multis face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis ævum.

3. *Domo. Domi* meus chartac. H. *Durisque coercita vinclis* etiam Gronovianus et tres alii. Sic *duræ catenæ*, I, Amor. VI, 47.

4. *Est mihi supplicii causa fuisse piam.* Si elegantias capio Nasonianas, scripserat ille, *fuisse piæ.* Sic alibi :

... Vobis immunibus hujus
Esse mali dabitur. HEINS.

5. *Demittere ferrum.* Scripti *dimittere.* H. — Sed, mea sententia, rectius est *demittere ;* ferrum enim in jugulum descendens, et vulnus inferens, rectius *demitti,* quam *dimitti* dicitur. Si ex manibus mitteretur, *dimitti* dicendum foret; eadem vero varietas in omnibus fere locis poetarum, ubi hæc locutio occurrit, deprehenditur. BURM.

Esse ream præstat, quam sic placuisse parenti;
Non piget immunes cædis habere manus.
Me pater igne licet, quem non violavimus, urat;
Quæque aderant sacris, tendat in ora faces;
Aut illo jugulet, quem non bene tradidit, ense;
Ut, qua non cecidit vir nece, nupta cadam:
Non tamen, ut dicant morientia, *Pœnitet*, ora,
Efficiet: non es, quam piget esse piam.
Pœniteat sceleris Danaum, sævasque sorores:
Hic solet eventus facta nefanda sequi.
Cor pavet admonitu temeratæ sanguine noctis;
Et subitus dextræ præpedit orsa tremor.

7. *Esse ream præstat.* Ex Æschyli Prometh. 866, adumbratum:

... Δυσὲν δὲ θάτερον βουλήσεται,
Κλύειν ἄναλκις μᾶλλον, ἢ μιαίφονος. B.

9. *Me pater igne* etc. Hunc locum longius quidam referunt, videlicet, ut de eo igne accipiatur, quem nova nupta cum aqua, ex more nuptiali, tangere solebat: de qua re Plutarchus in Problematibus meminit. Sed ego hæc non ita anxie perquirenda existimo; ignemque nuptialem simpliciter intelligo, ut sint παραλλήλως dicta, *ignis* et *faces*, de quibus in sequenti versu dicitur. Quæ figura poetis familiarissima. M.

13. *Ut dicant morientia, Pœnitet, ora.* Qui e nostris poeta argumentum hoc vere tragicum, haud invita Melpomene, tractavit (*Le Mierre*), Hypermnestram inducit ipsi Danao respondentem:

Moi! mériter qu'un jour, avec mes sœurs cruelles
L'univers me confonde en son horreur pour elles;
Et maudissant mon nom sans cesse avec le leur,
Dise: Hypermnestre aux fers a souillé son malheur:
Par un lâche retour elle s'est démentie;
Elle a sauvé Lyncée, et s'en est repentie!
(Act. IV, Sc. 2.)

14. *Non es, quam piget esse piam.* Elliptice et eleganter. Si sensus ad Lynceum referatur: is es sane, cujus in gratiam non me pigeat fuisse piam. Si vero ad Hypermnestram, ipsam se alloquentem: *Non es ea, quam* etc. Sed ambitiosius credo, quam quod dicentem deceat.

16. *Hic solet eventus* etc. Scilicet *pœnitendi* locus, et causa, quæ *nefanda* licet non semper sequatur, *sequi* tamen debet, et *solet* plerumque.

17. *Admonitu.* Codex Junii, *attonitu*, ut sup. Epist. IX, 135. Idem codex, *mens fugit attonitu.*

18. *Præpedit orsa tremor. Ossa* nostri constanter. Naugerius *orsa* malit ex suis: quod et Christiano Daumio se probabat; perperam *concutit*, quatuor libri. Male etiam Gebhardus conatur mutare *præpedit* in *præcipit.* Sic et Plaut. Casin. III, 5, 27: *Timor præpedit dicta linguæ*; et 62: *Timor præpedit verba.* HEINS. — Si *ossa* retinendum, intelligenda certe digitorum ossa et articuli, quibus

Quam tu cæde putes fungi potuisse mariti,
Scribere de facta non sibi cæde timet.
Sed tamen experiar : modo facta crepuscula terris ;
Ultima pars noctis, primaque lucis erat :
Ducimur Inachides magni sub tecta Tyranni ;
Et socer armatas accipit æde nurus.
Undique collucent præcinctæ lampades auro :
Dantur in invitos impia tura focos.

calamum tenebat ; sed an recte hoc dicatur, dubito ; et melius puto *orsa dextræ*, id est cogitata, nunc scribenda per dextram ; quæ modo inceperat chartæ committere : ut in Plauti loco, *dicta præpedire*. BURM.

19. *Cæde... mariti. Cæde marita* magis Heinsio arridebat, innumera, pro more, exempla referenti, quæ opinionem tuerentur. Sed quia contra scriptos, vulgatam Burmannus censuit retinendam, et nos quoque retinuimus.

22. *Ultima pars noctis* etc. Puteaneus et sex alii : recte. In multam enim noctem protracta cœna, sub exortum lucis sponsos cum novis nuptis in thalamum vult ductos. Hæc post cœnam facta hic describuntur. *Crepusculum* etiam de matutino tempore dixit Avienus in Prognost. :

At decedentis postrema crepuscula noctis. H.

Protractum convivium ad instantem auroram, apparet ex vers. 71 : sed hæc narratio a vespera inchoatas nuptias potest continere, et perducere ad auroram : vide vers. 33 ; et hoc, *modo facta crepuscula* volunt, quæ de vespertino crepusculo debent capi : nam deductionem in domum incipit narrare, quæ sub vesperam fiebat ; ideo prætuli Ciofani lectionem :

Ultima pars lucis, primaque noctis erat. B.

23. *Tyranni. Pelasgi*, quidam ; quis vero ille *magnus Pelasgus* ? Danaum vel Ægyptum certe Pelasgos fuisse non legi : et Danaum non recte Pelasgum dici posse puto, licet ita Heinsius ad lib. II, Art. 421 ; sed ex Ægypto venisse narratur, et quum populi illi antea Pelasgi vocarèntur, *Danaos* postea a suo nomine dictos habuisse ; quare non absurda Regii et quatuor aliorum codicum lectio, qui *Tyranni* habent, ut passim Noster ita reges vocat. Sic I, Metam. 218 :

Arcados hinc sedes, et inhospita tecta *Tyranni*
Ingredior, traherent quum sera crepuscula noctem.

Alii capiunt de domo antiqui regis, qui olim Argis imperaverat ; vel ipsius Inachi, vel Pelasgi ejus filii. B.

24. *Et socer armatas* etc. Et Ægyptus nurus *accipit* gladiis instructas, quos jam Danaus illis tradiderat. — *Ille*, complures ; rectius *æde*, unus Ambrosianus, quem sequuti Heins. et Burm.

26. *Invitos*. Quidam codices *antiquos focos* exhibent : hic vero, sequentia de Junone quæ fugiebat, confirmant *invitos focos* : nisi quis iterum *antiquos focos*, regis prisci Pelasgi capiat, vel ipsius olim Inachi. Nam Ovidius Argis hanc cædem accidisse tradit, ut mox videbimus. B.

Vulgus, Hymen, Hymenæe, vocant : fugit ille vocantes.
Ipsa Iovis conjux cessit ab urbe sua.
Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,
Flore novo madidas impediente comas,
In thalamos læti, thalamos, sua busta, feruntur;
Strataque corporibus, funere digna, premunt.
Jamque cibo vinoque graves somnoque jacebant;

27. *Vulgus, Hymen, Hymenæe, vocat* etc. Non abs re mentio hic *Hymenæi*, qui cantus his nuptiis primum inventus est, Hygino teste, Fab. CCLXXIII. — *Fugit ille vocantes.* Sic et in Metamorph. X, 3 :

... Orpheia nequiquam voce vocatur.
Adfuit ille quidem; sed nec solennia verba,
Nec lætos vultus, nec felix adtulit omen etc.

28. *Ipsa Jovis conjux cessit ab urbe sua.* Ab Argis, scilicet, ubi nuptiæ celebrantur Danaidum cum Ægypti filiis; quo quidem loco *Jovis conjux* inprimis delectabatur, quia ibi nata ferebatur, ideoque *suam urbem* poeta vocavit. — *Urbe sua.* Sequitur illos auctores Naso, qui hoc Argis factum esse narrant : vid. Hygin. Fab. 168; et Scholiast. Æschyli Prom. 852. Sed Libanius, in narrationibus ab Allatio editis, cap. XXII, dicit Danaum post hoc perpetratum facinus fugisse, et in Peloponnesum advectum, potitum Argivo regno. BURM.

29. *Clamore frequentes.* Nescio an sana hæc sint, et an latine dicatur, *frequentes clamore comitum.* Hubertinus exponit, densati et circumdati : sed exempla talis locutionis desidero: nam quod legitur VI, Metam. 165 : *Comitum Niobe celeberrima turba*, hoc recte posset explicari. Vlitium hic quoque hæsisse apparet, quia illum voluisse refingere, *comitum clamore frequenti*, notavit Heinsius: in Gronoviano erat *clamore fremen-tes* : in uno Heinsii *comiti* : forte *comitum clamore sequente*, vel *fremente* : sed et *frequenti*, ut Vlitius volebat, admitti potest, ut repetitionem Hymenæi indicet. BURM. — *Ecce mero dubii* etc. Mente scilicet et corpore, et utriusque jam non satis compotes : inter ebrietatem et ebriositatem medii. — *Comitum clamore frequentes*, pro, non sine multo *comitum clamore*; etsi paulo dictum audacius Lennepio videatur, præferendum tamen existimat eruditorum virorum conjecturis quas affert Burmannus.

31. *In thalamos læti, thalamos* etc. Non sine causa verbo huic instat poeta, quia longe alia, quam solet, Lynceum et fratres in *thalamis* sors expectabat. — Cur autem ea Lynceo narret Hypermnestra, quæ ipsum certe non fugerent, poetæ concedas uberrimo, qui describendi occasionem nactus, elabi non voluit.

32. *Strataque corporibus.* In uno Moreti, *funera* : in Basileensi, *funeribus corpore digna.* Forte :

Strataque funeribus corpore dicta premunt.

Premunt corpore strata, quæ dicta et destinata erant eorum funeribus. B.

33. *Jamque cibo, vinoque graves.* Dicitur enim Danaus pocula soporifero medicamine infecisse, quo graviori somno oppressos conjuges filiæ facilius aggrederentur. Legen-

Securumque quies alta per Argos erat :
Circum me gemitus morientum audire videbar ;
Et tamen audibam ; quodque verebar, erat.
Sanguis abit ; mentemque calor corpusque relinquit ;
Inque novo jacui frigida facta toro.
Utque levi Zephyro fragiles vibrantur aristæ ;
Frigida populeas ut quatit aura comas ;
Aut sic, aut etiam tremui magis : ipse jacebas ;
Quæque tibi dederant vina, soporis erant.
Excussere metum violenti jussa parentis :
Erigor ; et capio tela tremente manu.
Non ego falsa loquar ; ter acutum sustulit ensem,

dum itaque paulo infr. 42, cum antiquior. edd. :

Quæque tibi *dederat* vina, soporis erant.

De hac autem locutione *vina soporis*, pro *quæ soporem facerent*, viderint docti, an non paulo sit insolentior, quam ferat hoc scribendi genus.

36. *Et tamen audieram. Audibam* Puteaneus : et sequenti versu *relinquit*, quomodo et alii nonnulli : lego præterea, *quodque vererer*, *erat* : infra, *quod metuas non est*. Heins.

39. *Utque levi Zephyro graciles vibrantur aristæ. Ut leni Zephyro*, Puteaneus, cum septem aliis. Comparationem autem mutuatus est ab Homero, Iliad. B, 147 :

Ὡς δ' ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθὼν,
Λάβρος ἐπαιγίζων, ἐπὶ τ' ἠμύει ἀςαχύεσσιν.

Nisi quod λάβρον hic Zephyrum ; Noster *lenem* vocat : nisi melius *tenui*, ut alibi *tenues ventos* dixit. Hoc primum. Deinde *fragiles aristæ* Junianus et meus Mentelii : quæ lectio etiam arridet, etsi locus Ovidii ex Amoribus jam adductus alteram scripturam tueri videatur : sed et illic *fragilis arundo*, forte ponendum. Heins. — *Agitantur*, multo mihi magis arridet. Horat. I, Od. IX : *Nec cupressi*, *nec veteres agitantur orni*. II, Od. X : *Sæpius ventis agitatur ingens Pinus*. Burm.

42. *Quæque tibi dederant*. Non damnarem hanc lectionem, nisi libri meliores magno numero, *dederam* agnoscerent. Heins. In prima editione est :

Vinaque quæ dederant, signa soporis erant

Forte :

Vinaque quæ dederant, vina soporis erant. B.

45. *Ter acutum sustulit ensem, Ter male* etc. Videtur hoc observasse, hoc *ter* positum, ubi frustra aliquid tentatum est. In Epist. ad Hippolytum : *Ter tecum conata loqui*, *ter inutilis hæsit Lingua ; ter in primo destitit ore sonus*. Virg. l. II. Æn. 792 :

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago.

Et Homerus, Iliad. Σ, non longe ab initio, v. 155, de Hectore, qui ter tentavit Patrocli cadaver arripere raptandum : Τρὶς μέν μιν μετόπισθε ποδῶν λάβε φαίδιμος Ἕκτωρ. Ciof. — *Male sublato* : quem invita sustuleram.

Ter male sublato decidit ense manus.
Admovi jugulo; sine me tibi vera fateri;
Admovi jugulo tela paterna tuo.
Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis;
Castaque mandatum dextra refugit opus.
Purpureos laniata sinus, laniata capillos,
Exiguo dixi talia verba sono:
Sævus, Hypermnestra, pater est tibi: jussa parentis
Effice; germanis sit comes iste suis.
Femina sum, et virgo, natura mitis, et annis:
Non faciunt molles ad fera tela manus.
Quin age, dumque jacet, fortes imitare sorores:
Credibile est cæsos omnibus esse viros.
Si manus hæc aliquam posset committere cædem,
Morte foret dominæ sanguinolenta suæ.
Quid meruere necem, patruelia regna tenendo,
Quæ tamen externis danda forent generis?

46. *Decidit ense manus. Concidit* ex scriptis non pauci: unus Patavinus *cecidit*. Puteaneus mendose *tetendit*. Emenda *recidit*. Est enim ambigua prima syllaba, ut Giphanius in Indice Lucretiano jam monuit. HEINS.

47. *Admovi jugulo* etc. Sic Puteaneus et quidam alii; dum antea editi:

At rursus monitis jussuque coacta parentis,
Admovi etc.

Lincoln. locum sic exhibebat:

Admovi jugulo; sine me tibi vera fateri;
Mente sequi dira jussa paterna volens.
Tandem victa mei sæva formidine patris,
Audeo per jugulum tela movere tuum.

Quod vix tolerandum; unde putabat Cl. Heinsius totum hoc distichon esse expungendum, ut pote confictum a sciolo, qui superiora cum sequentibus arbitrabatur non cohærere. — At mihi quidem in recepto disticho nihil tantopere displicet, ut potius ad correctionem recurrere, quam illud admittere malim. Ipsa enim illa *tautologia*, *non ego falsa loquar. — Sine me tibi vera fateri*, ex Hypermnestræ persona veritatem habet. Nam et *falsa* loqui nolebat, et tamen etiam timebat, ne fatendum *vera*, animum a se mariti alienaret. LENNEP.

60. *Dominæ*. Moreti, *domini sui*; et posset de Danao capi, qui tradiderat ensem: sup. vers. 11.

61. *Quid meruere necem. Quo* Puteaneus: bene. Alii codices, *Haud*, *An*, et *Non*. Valer. Flacc. 1, 519:

Quo Minyæ meruere queri? HEINS.

62. *Quæ tamen externis danda forent generis*. Præter morem Ovidianum est, ut in trisyllabum exeat

Finge viros meruisse mori : quid fecimus ipsæ?
Quo mihi commisso non licet esse piæ?
Quid mihi cum ferro? quid bellica tela puellæ?
Aptior est digitis lana colusque meis.
Hæc ego; dumque queror, lacrimæ sua verba sequuntur,
Deque meis oculis in tua membra cadunt.
Dum petis amplexus, sopitaque brachia jactas;
Pæne manus telo saucia facta tua est.
Jamque patrem, famulosque patris, lucemque timebam.
Expulerunt somnos hæc mea dicta tuos :
Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus;
Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.

pentameter, cujus exempla aliquot sunt in ultimo ejus poematum tomo: sed nulla, quod sciam, in hoc primo, nisi hoc; et Epist. XIX, 204 : quæ Ovidio a multis abjudicatur : sed corruptum esse ostendunt variæ lectiones. In Puteaneo erasus totus, qui prius legebatur, versus, et ille suppositus, qui nunc legitur. In Gronoviano est : *Quæ tamen externis regna tenenda forent.* In Moreti et duobus aliis : *Quæ tamen externis accipienda forent.* Quod non displicet, et vocem *generis* a glossatore adscriptum esse puto, qui illud Virgilii in animo habebat, lib. VII, 98: Externi veniunt generi.

Francius volebat, *externis danda fuere viris*; vel *Externis generis quæ modo danda forent.* BURM.

64. *Quo mihi commisso non licet esse piam. Esse piæ* Puteaneus; optime : alterum minus elegans, et quo perquam rari optimæ latinitatis scriptores usi sint. Cæsar, lib. VI Bell. Gall. 35 : *Quid vos hanc miseram, ac tenuem sectamini prædam, quibus licet esse fortunatissimis.* Initio lib. III Bell. Civil. quoque scribendum videtur : *Is enim erat annus, quo illi per leges consuli esse licebat*, non *consulem.* Auctor Belli Hispanici : *Petiit ab oppidanis, ut ei liceret legato ad Cæsarem proficisci.* Horatius, Sat. II, lib. I, ut in veterrimis libris legitur, *Munifico esse licet*; et Sat. I :

... ... Atqui licet esse beatis. HEINS.

65. *Quid bellica tela puellæ. Quo* Puteaneus et Argentinus : recte. H.

69. *Dum petis amplexum.* Puto *amplexu*, ut Metam. VI, 604 :

Oraque develat miseræ pudibunda sororis;
Amplexuque petit.

Ita enim illic vetusti codices. Epistola Leandri : *Excipis amplexu.* H.

72. *Expulerant somnos. Expulerunt* Puteaneus : probe. Vide Notas ad Epist. VII, vers. 166. HEINS.

73. *De tot modo fratribus unus.* Hoc fere hemistichium infra positurus est. CIOF.

74. *Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.* Simile illi Catullino, Carm. V, 6 :

Nox est perpetua una dormienda.

— *Ni properes. Ni properas*, meliores. HEINS.

Territus exsurgis : fugit omnis inertia somni :
  Adspicis in timida fortia tela manu.
Quærenti causam : Dum nox sinit, effuge, dixi :
  Dum nox atra sinit, tu fugis : ipsa moror.
Mane erat : et Danaus generos ex cæde jacentes
  Dinumerat : summæ criminis unus abes.
Fert male cognatæ jacturam mortis in uno ;
  Et queritur facti sanguinis esse parum.
Abstrahor a patriis pedibus ; raptamque capillis,
  Hæc meruit pietas præmia, carcer habet.
Scilicet ex illo Junonia permanet ira,
  Quo bos ex homine est, ex bove facta Dea.

76. *In timida. In tremula,* Gronov.

78. *Tu fugis : ipsa moror.* Res ipsa oculis subjicitur : vividus adeo narrantis impetus !

79. *Mane erat : et Danaus.* Malim, *at Danaus.* Pro *in cæde,* scripti fere omnes, *ex cæde.* HEINS.

80. *Summæ criminis unus abes.* Unus deeras, qui, si fratribus interemtis *additus*, criminis *summam* cumulasses. Ductum a computantibus.

82. *Et queritur factum sanguinis esse parum. Facti,* præstantiores omnes. *Facere sanguinem*, ut *facere cædem*, apud Livium. Cicero, lib. I, Epist. XIV, ad Atticum : *Nihil a domesticis vulneris factum sit.* Seneca, ex optimis membranis, Medea, V, 993 : *Nil adhuc facti reor*, non *factum.* HEINS. Ita et Græci πράσσειν αἷμα. Euripid. in Oreste :

Κακῆς γυναικὸς, οὔτις' αἷμ' ἐπραξάμην.

83. *A patriis manibus. Pedibus* iidem. Fast. II, 832 :

Et cadit in patrios sanguinolenta pedes.

Sed Scriverianus et Hafniensis, cum Erfurtano, *laribus.* Sic Remedii Amoris, 237 :

Nec te lar patrius, sed amor revocabit amicæ.

85. *Scilicet ex illo Junonia permanet ira* etc. Non tam intempestiva mihi videtur narratio hæc, quam visa quondam magno Scaligero, qui alienam prorsus argumento hujus Epistolæ judicabat. Dolenti enim præsentis fati acerbitatem, vel invitæ recurrit præteritarum recordatio calamitatum, quæ, quamquam amara, habet tamen nescio quid quod animos tum ipsius narrantis, tum audientium *tristitia solvit*, quæ non sine voluptate. Judicent, qui aliquando experti. Non ego tamen negaverim Ovidium forte libentius ingenio indulsisse, in enarranda Ius fabula ; sed versus adeo sunt lepidi, ita molles et delicati, ut durior mihi, ne dicam omnino barbarus, qui exulare faciat, videatur.

86. *Ex bove facta Dea.* Regius *de bove.* Ita Just. VII, 2 : *Captivum de rege facturi videbantur.* Flor. II, 6 : *Libertate donati fecerant de servitute Romanos.* Et mox, *mediam jam de Italia Africam facerent* :

Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul ;
Si volet hæc eadem, fies de consule Rhetor.
JUVEN. Sat. VII, 197.

At satis est pœnæ teneram mugisse puellam :
Nec, modo formosam, posse placere Jovi.
Adstitit in ripa liquidi nova vacca parentis,
Cornuaque in patriis non sua vidit aquis ;
Conatoque queri mugitus edidit ore,
Territaque est forma, territa voce sua.
Quid fugis, infelix? quid te miraris in unda?
Quid numeras factos ad nova membra pedes?
Illa Jovis magni pellex, metuenda sorori,
Fronde levas nimiam cespitibusque famem.
Fonte bibis, spectasque tuam stupefacta figuram;
Et, te ne feriant, quæ geris, arma, times.
Quæque modo, ut posses etiam Jove digna videri,
Dives eras; nuda nuda recumbis humo.

87. *Mugisse. Mugire*, Gronovianus, quod non displicet, quia sequitur *posse*. Burm.

89. *Adstitit. Constitit*, Gronov.

91. *Conatoque queri. Et conata queri*, Putean. *Conata eloqui* : unus Regius, *Conatoque queri*, quod verum est : sic et Met. I, 637, in hac eadem fabula est peccatum, ubi similiter ex antiquis libris scribendum :

Conatoque queri mugitus edidit ore.

Oscitantia librariorum loco corrumpendo utrique causam haud dubie dedit, qui τὰ *que* geminare neglexerant, ut sæpe alibi. Heins.

93. *Quid fugis, infelix? — Quid furis?* libri plerique : quo verbo designat εἰςρηλασίαν Ius, a poetis tantopere decantatam : de fuga mox agitur. *In umbra* etiam Puteaneus, cum altero Moreti; recte. Nam de unda jam dixerat. Heins.

95. *Ipsa Jovis magni pellex. Illa* Puteaneus et quinque alii; venuste.

96. *Fronde levas*. Huc pertinet versus Calvi antiqui poetæ in Io, quem citat Servius ad Virgil. VI, Eclog. 47 :

Ah! virgo infelix herbis pasceris amaris.

Ex quo eodem poemate Servius, ad Eclog. VIII, 4, citat :

Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus. Burm.

97. *Spectasque tuam*. Cod. Douzæ, *Spectasque novam*, quod illi non displicebat, propter illa lib. I, Metaph. :

... Novaque ut conspexit in unda
Cornua, pertimuit.

Sed præcessit modo, *nova membra*.

98. *Et ne te feriant. Te ne* meliores; ut in illo Virgilii X, Eclog. 48 :

... Ah! te ne frigora lædant!

Et sequenti versu pro *posses*, iidem *possis*. Heins.

100. *Nuda nuda recumbis humo. Dura humo*, aut *uda*, aut *gelida*, aut *solida* quidam scripti : nil muta, lib. IV, Metam. 261 :

... Et sub Jove nocte dieque
Sedit humo nuda, nudis incomta capillis. H.

Per mare, per terras, cognataque flumina curris;
Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.
Quæ tibi causa fugæ? quid, Io, freta longa pererras?
Non poteris vultus effugere ipsa tuos.
Inachi, quo properas? eadem sequerisque fugisque;
Tu tibi dux comiti; tu comes ipsa duci.
Per septem Nilus portus emissus in æquor
Exuit insanæ pellicis ora bovi.
Ultima quid referam, quorum mihi cana senectus
Auctor? dant anni quod querar, ecce, mei.
Bella pater patruusque gerunt; regnoque domoque
Pellimur: ejectas ultimus orbis habet.

103. *Quid, Io, freta longa pererras?* An hic, ut in Ibin, primam hujus dictionis corripuit? an vero vox est exclamantis? EGNAT. Lovan. *vel quid freta longa.* Moreti, *quæ, dic, freta longa pererras.*

107. *Portus. Portas*, Lovaniensis: sed nihil muta. II, Amor. XIII, 10:

Per septem portus in maris exit aquas.

Ita citat etiam Scholiastes Statii ad lib. III, Theb. 383, loco mutilo. B. — *Demissus in æquor. Emissus* præstantiores: sed versum nimius spondæorum concursus languidiorem facit, idque præter Nasonis morem. Opinor a Nasonis manu esse:

Ostia per septem Nilus dimissus in æquor.

Portibus non video quis hic sit locus. HEINS. — Nihil mutari debere, et de voce *portus* videbimus ad lib. II, Amor. XIII, 10. *Diffusus in æquor*, Gronov. pro varia lectione. BURM.

108. *Exuit insanæ pellicis ora bovi, Nilus*: latebant ora *pellicis* sub bove; operta erant, superinducta bovis forma; sed ea tandem *exuit*, exseruit, tegmine liberata rursus in conspectum protulit *Nilus*. *Exuit* autem ea *bovi insanæ*, id est, filiæ Inachi, sub figura bovis insanienti. LENNEP.

109. *Ultima quid referam* etc. Sensus est: cur a prima origine stirpis meæ casus revolvam, quum ipsa quam degeo ætas, amplam satis questibus meis materiem suppeditet? — Imo *refero* censeo reponendum, vel contra librorum auctoritatem. Quid, inquit, calamitatem domus nostræ ultima ab origine recenseo, e senibus intellectam, quum ne nunc quidem desit, quod lugeamus. Sic auctor Elegiæ in obitum Drusi:

Prisca quid hinc repetō? Marcellum Octavia flevit.

Quanquam, ne quid dissimulem, distichon hoc mihi suspectum est non uno nomine, nec Nasonem omni ex parte refert. HEINS. — Nescio an malæ notæ sit distichon; certe *anni* recte pro temporibus possunt sumi, ut II Fast. 537:

Talibus ut *nostros* dictis descendit in *annos*. B.

112. *Ejectas ultimus orbis habet. Ejectos* scripti ferme omnes, ut etiam de patre intelligatur. HEINS. — *Ultimum orbem.* Ægyptum hic intelligit, ex veterum sententia Brouk-

Ille ferox solus solio sceptroque potitur:
Cum sene nos inopi turba vagamur inops.
De fratrum populo pars exiguissima restas;
Quique dati leto, quæque dedere, fleo.
Nam mihi quot fratres, totidem periere sorores!
Accipiat lacrimas utraque turba meas.
En ego, quod vivis, pœnæ crucianda reservor:
Quid fiet sonti, quum rea laudis agar?
Et, consanguineæ quondam centesima turbæ,
Infelix, uno fratre manente, cadam.
At tu, si qua piæ, Lynceu, tibi cura sororis,

husius ad Propert. II, XIII, 40; et ita *extremum Nilum* Claudianus I, in Eutr. 36, dicit: sed ex Ægypto profugus Danaus, et ejus filiæ Argos venere, quos *ultimum orbem*, id est, remotissimum a patria jure vocat Hypermnestra; ut ita aliæ partes orbis *ultimæ* et *extremæ* dici soleant, ex affectu scribentis, qui patria pulsus in peregrinas et longe diversas defertur terras. BURM.

113. *Ille ferox* etc. Ægyptum designat, qui, pulso primum fratre Danao, quocum in Ægypto regnum tenuerat, solio solus potitus est. — *Cum sene inopi*; cum Danao patre, qui, quum navem, comitantibus natis, ascendisset, Rhodum primum, Peloponnesum deinde devenit, ubi a Gelanore, qui Argis imperabat, honorifice exceptus est: sed illum mox e solio deturbasse, seque illius in locum suffecisse dicitur. Apollod. II, I.

115. *Pars exiguissima.* In hanc formam dixit Cicero in Bruto: *Assiduissime mecum fuit Dionysius Magnes.* CIOF.

116. *Quæque dedere, fleo.* Sorores scilicet quæ tanto se in posterum crimine commaculaverunt. Quo sensu vere Hypermnestræ *perierant.*

119–120. *En ego, quod vivis* etc. Quia scilicet tibi peperci, ideoque *vivis*, supplicio reservor! quænam igitur sors *sontem* maneat, quum id insonti mihi in crimen vertatur, quod in laudem sane verti debeat! — *Quid fiet sonti. Fieret*, septem libri; duo *fiat*: utrumque bene. H. — *Quum rea laudis agar?* Notanda vis locutionis simul et sententiæ. Simile quiddam apud Terentium, in Andria; Act. I, Sc. I, 115.

121. *Quondam centesima turbæ.* Quinquagesima quidem, si Danai filias spectaveris; *centesima* vero, si quinquaginta Ægypti natos numero addideris.

122. *Uno fratre manente, cadam.* Uno Lynceo superstite; quasi dicat, centum numero utrinque complebamus; nec quisquam tanto e populo mox supererit, nisi unus Lynceus, quum ego sim certæ morti jam devota.

123. *At tu, si qua piæ remanet tibi cura sororis.* Pro *remanet*, primæ editiones et scriptorum plurimi, *Line est.* Scribe *Lynceu*; et ita Her-

Quæque tibi tribui munera, dignus habes;
Vel fer opem, vel dede neci; defunctaque vita
Corpora furtivis insuper adde rogis;
Et sepeli lacrimis perfusa fidelibus ossa;
Scriptaque sint titulo nostra sepulcra brevi:
Exsul Hypermnestra, pretium pietatis iniquum,
Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit.
Scribere plura libet: sed pondere lassa catenæ
Est manus; et vires subtrahit ipse timor. (*)

culan. Codex; Lynceus enim Hypermnestræ maritus dictus, non Linus. Ita eum Pindarus appellat, et Pausanias, et Apollodorus, et Hyginus, Servius et Scholiastes Statii non uno loco. Apud Scholiastem Germanici tamen et Horatii, Statii quoque uno in loco, *Linus* mendose appellatur. HEINS.

124. *Quæque tibi tribui munera, dignus habes.* Si *dignum* te præstiteris, quem, meo ipsius vitæ periculo, instanti fato eripuerim.

125. *Vel fer opem, vel dede neci.* Neutrum evenit: iratus quippe Danaus, quod una inter sorores conjugi suo Hypermnestra pepercisset, in judicium vocavit apud populum, a quo quum fuisset omni crimine liberata, ligneam statuam Veneri νικηφόρῳ dicavit, quam vidisse se Pausanias testatur, Corinthiac. c. 19. — In gratiam deinde Lynceus fertur cum Danao rediisse, et Hypermnestræ suæ nupsisse, ex qua filium Abanta suscepit, qui pater Præti et Acrisii. Apollod. II, 1, 2.

126. *Corpora furtivis insuper adde rogis.* Duplici sensu accipiendos censeo *furtivos* rogos: nam intumulatam sane iratus pater velit; quam si tumulantem Lyncea deprehenderit Danaus, quis eum furenti eripiet? *Furtivi* vero illi rogi non admodum placent. *Finitimis* erat in Leidensi. Forte, *fraternis*; ut velit se addi rogis fratrum ejus. Francius pro *adde*, vellet *abde* vel *ure*. BURM.

128. *Scriptaque sint titulo.* *Sculptaque* scripti nostri omnes cum primis editionibus. HEINS. — *Scripta* probat Burm. et exemplis tuetur e Suet. in Cæs. 86; in Aug. 7 etc.

129. *Exsul Hypermnestra* etc. Ipsa sunt verba, quæ suo tumulo Hypermnestra inscribi velit. — *Pretium pietatis iniquum tulit.* Mortem nimirum, quæ *iniquum* sane *pietatis* in conjugem *pretium*!

131. *Scribere plura libet, sed* etc. Causas adfert geminas, cur non plura scribat, quamquam velit. Quia scilicet *catenæ*, quibus constringuntur manus, scribendi facultatem; *timor* vero ne scribens deprehendatur, eloquentiam *subtrahunt*.

(*) Non a proposito nostro alienum unquam reputavimus, si quid, inter adnotandum, nobis occurreret haud infeliciter a nostris imitatum, adponere, non modo ad illustrationem rei, sed ad ornamentum etiam operis, quod a Gallis institutum, Gallicum quiddam sapere decuit;

sicque interdum natalis soli genium et indolem referre. Quum igitur mentio jam facta fuerit de Gallico dramate *Hypermnestra*, quod dum scriberet, auctorem certe ad Ovidium adtendisse nemo non crediderit, insignem adferemus locum, qui ad versus potissimum Ovidianæ Epist. 21 et sqq. spectare videtur.

EROX A LYNCÉE.

Le lit de l'hyménée est l'autel de la mort.

. . . . . .

Je frémis, et j'accours : dans son sang chacun nage :
L'un pousse un cri plaintif; l'autre, un soupir de rage.
Celui-ci se relève, et retombe expirant :
Cet autre est étendu, le poignard dans le flanc.
Un seul, presque échappé de ce carnage impie,
Traînait d'un pas tremblant les restes de sa vie;
Je vole à son secours; mais sa femme en fureur
L'entend, court, me devance, et lui perce le cœur.
Il tombe; il reconnaît son épouse homicide,
Pleure, et d'un œil mourant suit encor la perfide.
Toutes courent en foule à leur père inhumain,
L'entourent; le poignard fume encor dans leur main!
Le tyran les embrasse, applaudit à leurs crimes :
Lui-même, impatient de compter ses victimes,
Il accourt; il repaît ses yeux étincelans
Du spectacle cruel de tant de corps sanglans.....
Venez; suivez mes pas : trompez sa perfidie.

(Act. III, Sc. 2.)

EPISTOLÆ DECIMÆ-QUINTÆ

ARGUMENTUM.

Duas olim feminas Sappho nomine, et utramque laude poeseos insignem exstitisse narrant Suidas, Ælianus et alii; nec ulla ea de re disputatio est. Sed multum doctos inter ambigitur, an illa Sappho, cujus fragmenta merito adhuc celebrantur, ea sit quæ, quum Phaonem quemdam perdite adamasset, seque ab illo sensisset negligi, *saltus ingressa viriles*, ut cum Papinio loquar, Silv. v, Carm. III, v. 155, sese in mare, ex Leucate, Epiri promontorio, immisit præcipitem. Ex utraque unam eamdemque videtur fecisse Ovidius in hac Epistola, quam ad absentem amicum scripsisse fingitur, quum jam certa mori, Leucadios saltus meditaretur. Ob oculos carmen Ovidium habuisse quidam existimant, quo navigantem in Siciliam Phaonem ipsa Sappho prosecuta fuerat.

Herodot. II, 165. — Plin. XXII, 8. — Palæphat. de Incredibil. Histor. — Athenæus, XIII, 7.

EPISTOLA XV.

SAPPHO PHAONI.*

ECQUID, ut inspecta est studiosæ litera dextræ,
Protinus est oculis cognita nostra tuis?
An, nisi legisses auctoris nomina Sapphus,
Hoc breve nescires unde moveret opus?

* SAPPHUS ad PHAONEM Epistola in nullis Heroidum Ovidianarum exemplaribus, nisi recentissimis, apparet, neque hoc loco, sed ut plurimum rejecta in calcem operis. In qua tamen emendanda usi sumus libro Bodlejano, tribus Lincolniensibus, Scriveriano, Palatino, Regio, Sarraviano, Mazariniano, quinque Mediceis, totidem meis, Patavino, Vaticano, Farnesiano, Arundeliano, quorum omnium pars major non in membranis, sed charta, fuit exarata. Hujus Epistolæ optimo exemplari usus est Naugerius, cujus ope instructus multa feliciter castigavit. H.

1. *Ecquid ut* etc. Sic emendarunt: sed ipsi viderint; mihi vetus lectio *Numquid*, non immutanda est visa: ubi præsertim auribus illa obsequatur magis, et consensu etiam probetur eruditorum. EGNAT. — *Studiosæ*. Explicant doctæ, literis eruditæ, quæ tam docte et accurate scribit: sed vellem simili exemplo hoc probari. Ego simpliciter capio te amantis, tibi studentis et faventis, ut millies. Ita III, Art. Am. 421: *Studiosa placendi*; et 663: *Quæ præbet lectum studiosa locumque*. Sic in alia re, III, Am. 2: *Non ego nobilium sedeo studiosus equorum*; et passim. BURM.

3. *An, nisi legisses auctoris nomina* etc. Ironice, et ita se a Phaone despectam existimantis, ut dubitet, nisi inscriptum Sapphus *nomen* præferret Epistola, dubium hæsitasse *unde veniret*.

4. *Unde moveret*. Ego latiniorem puto lectionem Sarraviani et Francofurtensis codicis, *unde veniret*: quod et Francius conjecerat, qui tamen *moveret* præferebat. BURM. — Ad hæc vir Cl. Jacob. Frider. Eusinger. in excerptis e codd. Guelpherbytanis: « Quum priores edidissent *unde moveret opus*, Burmannus *veniret* reposuit: de quo vix dubito quin alterius scripturæ sit interpretamentum. Mihi satis placet, quod in utroque Gudiano et in Scriv.

Forsitan et quare mea sint alterna requiras
Carmina, quum lyricis sim magis apta modis.
Flendus amor meus est : Elegeia flebile carmen.
Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas.
Uror, ut, indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accensis messibus ardet ager.
Arva Phaon celebrat diversa Typhoïdos Ætnæ :
Me calor Ætnæo non minor igne coquit.
Nec mihi, dispositis quæ jungam carmina nervis,
Proveniunt; vacuæ carmina mentis opus.

codice, etiam in vetustis impressis reperio, *unde movetur opus*. Verbum *movere* sæpe significat *parare, incipere, machinari, moliri*. Ipsa formula *opus movere* Ovidius frequenter usus est. Modi indicativi in oratione indefinita usurpati tam crebra, tam certa exempla apud optimos, non poetas solum, sed apud oratores etiam, occurrunt, ut frustra sint critici, qui constructionem illam, tamquam parum latinam, exagitant.

5. *Forsitan et quare mea* etc. Obvia respondet quærenti cur a lyricis ad elegos versus transierit; quia nihil non flendum scriptura, *flebile* carminis genus, Elegeiam scilicet, debuit usitato præponere.

8. *Non facit ad lacrimas Barbitos.* Instrumenti quoddam genus, πολύχορδον, ut vocat Theocr. ad cytharam, vel ad ipsam lyram proxime accedens. *Lesboum* dicit Horat. 1, Od. 1, 34, propter Sappho et Alcæum, qui ex insula Lesbo. Ad vocem Βάρβιτος, Etymol. Magn. Εἶδος μουσικοῦ ὀργάνου, ψαλτήριον, ἢ κιθάρα. Εἴρηται δὲ οἱονεὶ βαρύμετος τὶς ὤν, ὁ βαρεῖαν τὴν φωνὴν καὶ τὸν ῥόθγγον ἀφιείς· μέτους γὰρ τὰς νευρὰς ἔλεγον· ἐπειδὴ πρὸ τῆς χρήσεως τῆς νευρᾶς, λινοῖς ῥάμμασιν ἐκέχρηντο· ὅθεν καὶ οἱ Αἰολεῖς βάρμιτον αὐτὸ, διὰ τοῦ μ, φασί.

11. *Celebrat.* Frequentat, incolit, et diu immoratur. Ab Ætna autem monte *Ætnæus* deducitur : ab Enna vero, quæ urbs est, et umbilicus Siciliæ, *Ennensis*, et *Ennæus*, in prima syllaba per *e*, et duplex *nn*, ut alibi docui. Atque hoc dicendum fuit, ne quem Domitius hic fallat, qui id nominis uno eodemque modo scribit. C. *Celebret* Scriverii codex.

12. *Igne tenet. Coquit* alii ex suis notant : quod damnare Ciofanus non debuit : ego certe amplector. Noster de Hercule Œtæo, l. IX, Met.

... Coquiturque ardente veneno.

Apposite Seneca, et ad imitationem Nostri satis manifeste, *Hercule furente*, 105 :

... Acrior mentem *excoquit*,
Quam qui caminis ignis Ætnæis furit.

14. *Proveniunt.* Lib. et Elegia 1, Trist. : *Carmina proveniunt animo deducta sereno.* — *Vacuæ carmina mentis opus.* Ostendit se ad pangenda carmina aptam non esse, quum ea tranquillitatem, vel inprimis requirant : ipsa autem amore correpta huc atque illuc, mentis inops, agitabatur. Crop.

Nec me Pyrrhiades Methymniadesve puellæ,
Nec me Lesbiadum cetera turba juvant.
Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydno:
Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis;
Atque aliæ centum, quas non sine crimine amavi.

15. *Nec me Pyrrhiades* etc. Quærit Egnat. quomodo a *Pyrrhæus*, ac *Methymnæus*, quæ sunt possessiva a *Pyrrha* ac *Methymna* deduci potuerint? Qua ratione ab ἀχαιάς patronymica ducuntur feminini generis, primo ἀχαιὶς, deinde ἀχαϊάς: a πελασγος, πελασγὶς, πελασγιάς. Nam certe nihil obstat, quo minus a πύῤῥα, duæ formæ fuerint patronymicæ, πυῤῥαῖος, et πύῤῥιος; nec mirum si a Μήθυμνα, tam Μηθύμνιος in usu fuerit, quam Μηθυμναῖος, quum a Κάλυδνα, teste Stephano, in voce, ὁ πολίτης Καλυδναῖος καὶ Καλύδνιος; unde Καλυδνὶς, Καλυδνιάς; ut a *Methymnius*, *Methymnias*, *Methymnis*. LENNEP.

16. *Turba juvat. Juvant*, optimi codices, et editiones.

17. *Vilis Anactorie.* Cur *Anactorie* non male in quibusdam codicibus legatur, docuit Bersmannus: quod, nimirum, inter ceteras a Maximo Tyrio, a Sapphone amatas, ponatur. DAN. HEINS. *Vilis Amythone, vilis mihi candida Cydno*, Naugerius: at primæ editiones cum scriptis quibusdam, *Vilis Amatorie;* alii *Amintorie*, vel *Ametorie.* Pro *Cydno*, scripti, *Cydro*, *Credo*, *Clio*, et similia: in loco tamen Maximi Tyrii pro Γῦρινναν, opinor scribendum Ἡρινναν. Erinna enim et coæva Sapphus, et ab illa amata quoque. Sic Suidas in Ἡρινναν: sed et Eustathius in Iliad. B. de Erinna, Ἦνθε ἑταίρα Σαπφοῦς, καὶ ἐτελεύτησε παρθενος. Suidas ex puellis a Sappho adamatis tres recenset, Atthidem, Telesippam, Megaram, nulla Gyrinnæ mentione facta. Erinnæ tamen mirum a Nasone mentionem non fieri: sed multa ad Eretriam Sappho pertinentia, ad hanc Mitylenæam referuntur. At de Alcæo Sapphus æmulo, inter scriptores convenit: sed quum Erinnam Olympiade CVI, claruisse Eusebius in Chronicis contendat, non potuit eam novisse Sappho; nisi duas fuisse Erinnas concedimus. De ejus certe patria varias opiniones Suidas recenset, quum tamen Teniam plerique faciant, ut et Stephanus Byzantius in Τήνος. H.

18. *Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis.* De hac Atthide, amica, sic ipsa Sappho, apud Hæphestion.:

Ἔρως δ' αὖτε μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ,
Γλυκύπικρον, ἀμάχανον ὄρπετον·
Ἀτθίς, σοὶ δ' ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο,
Φροντὶς δ' ἦν ἐπὶ δ' Ἀνδρομέδαν ποτέ.

Γλυκύπικρον felicitèr satis æmulatus est Catullus, Eleg. ad Mall. 18, ubi de Venere:

Quæ *dulcem* curis miscet *amaritiem.*

19. *Quas hic sine crimine. Quas non sine crimine amavi;* sic vetus lectio, ac mea sententia recte; et inferius etiam, *Lesbides infamem quæ me fecistis amatæ.* Et nemo nescit quid de Sapphus in puellas amoribus dicatur. NAUGER. *Quas hic sine crimine* fere omnes scripti: sed recte *nec* repositum, sic Met. II, 433: *Nec se sine crimine prodit.* Stat. IX, Theb. 757: *Male dilectum miseræ Cydona sorori* dixit; ubi vid. Scholiasten. BURM.

Improbe, multarum quod fuit, unus habes.
Est in te facies, sunt apti lusibus anni.
O facies oculis insidiosa meis!
Sume fidem et pharetram; fies manifestus Apollo.
Accedant capiti cornua; Bacchus eris.
Et Phœbus Daphnen, et Gnosida Bacchus amavit.
Nec norat lyricos illa, vel illa modos;
At mihi Pegasides blandissima carmina dictant:
Jam canitur toto nomen in orbe meum.
Nec plus Alcæus, consors patriæque lyræque,
Laudis habet, quamvis grandius ille sonet.
Si mihi difficilis formam natura negavit;
Ingenio formæ damna rependo meæ.
Sum brevis; at nomen, quod terras impleat omnes,

20. *Improbe* etc. *Improbus* hic intelligendus, cui sua numquam satis *probantur;* qui licet *unus* habeat *quod multarum fuit*, nondum satiatur. Eo ferme sensu *laborem improbum* Virgilius vocat, qui *indefessus* et *continuus.*

23. *Et pharetram. Et pharetras, ut eris* Scriverii codex. Recte vero Bersmannus esse imitationem Propert. ex lib. IV, Eleg. II, 31, notavit:

Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi;
Furabor Phœbi, si modo plectra dabis.

26. *Nec norat. Norant* malo. H.

29. *Nec plus Alcæus..... quamvis grandius ille sonet.* Hunc ipsa sic notat in fragmentis:

Πίῤῥοχος ὡς ὅτ' ἀοιδὸς ὁ λίσβιος ἀλλοδαποίσιν.

Illum *aureo plectro* donat Quintil. X, 1; *Plurimumque Homero similem* dicit. — *Grandius sonet.* Eam Alcæi operum partem intelligit, quæ ad domesticas seditiones et tyrannos præcipue pertinebant; et quæ Horatius in mente habebat, quum ipse plene caneret, lib. II, Od. XIII, 26:

Et te *sonantem plenius* aureo,
Alcæe, plectro, etc.

Citat Aristotel. Rhet. I, 9, percelebre Sapphus responsum ad eumdem Alcæum, qui ipsi dixerat: Θέλω τε τ' ἰπῆν· ἀλλά με κωλύει αἰδώς. Cui statim Sappho: Αἴ δ' ἦχες ἐκ ἐσθλῶν ἵμερον, ἢ καλῶν, Καὶ μήτ' εἰπῆν γλῶσσ' ἐκύκα κακόν, Αἰδώς κέν σ' οὐκ ἔιχεν ὄμματα· Ἀλλ' ἔλεγες περὶ τῷ δικαίω.

30. *Ille sonet. Ille sonat* Regius et unus Heinsii. Vid. sup. ad Ep. VII, 29.

32. *Ingenio formæ damna rependo meæ.* Καλὴν eamdem Sappho dixit Socrates, διὰ τὴν ὥραν τῶν μελῶν, καίτοι μικρὰν οὖσαν καὶ μίλαιναν. Max. Tyr. Dissert. XXIV, Sect. 7. Jure igitur, quum *illam legeret* Phaon, *formosa* ipsi videbatur; nec merito minus exclamat unus e Comicis nostris: *Les personnes d'esprit sont-elles jamais laides!* — *Damna rependo meæ.* Malim *malæ;* toties enim *mea* et *mala* confusa.

33. *Sum brevis* etc. *Nec me des-*

Est mihi : mensuram nominis ipsa fero.
Candida si non sum; placuit Cepheia Perseo
Andromede, patriæ fusca colore suæ.
Et variis albæ junguntur sæpe columbæ;
Et niger a viridi turtur amatur ave.
Si, nisi quæ facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est; nulla futura tua est.
At, me quum legeres, etiam formosa videbar :
Unam jurabas usque decere loqui.
Cantabam; memini; meminerunt omnia amantes,
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.
Hæc quoque laudabas; omnique a parte placebam;

picias, si sum tibi corpore parva; Mensuramque brevis nominis ipsa fero. Hanc habent lectionem Vaticanus et Maffeianus libri. Alii viri docti legunt, ex aliis antiquis : *Sum brevis; at nomen, quod terras impleat omnes, Est mihi : mensuram nominis ipsa fero.* Qui versus sunt plane elegantiores. Atque ita se Sappho pulchram non esse fatetur, quum sit parvo corpore. Mulieres, quæ ejusmodi sunt, non pulchræ, sed venustæ dicuntur. Pulchritudo enim, ut sentit Aristoteles, consistit in magno corpore; quæ, ut ait M. Tullius, lib. IV. Tuscul. Disput., est apta membrorum figura cum corporis suavitate. CIOF.

34. *Fero. Gero*, Scriverian. *Mensuram parvi nominis ipsa fero.* Trag.

36. *Andromede.* Apud Fulv. Ursin. pag. 4. Illustr. Femin. Poemat. Philodemi Epigramma est :

Εἰ δ' ὀπαὴ, καὶ φλωρὰ καὶ οὐκ ἄδυσα
τὰ Σαπφοῦς,
Καὶ Περσεὺς Ἰνδῆς ἠράσατ' Ἀνδρομέδης.

Sic et Athenæus, lib. I, cap. 18, Andromeden a Sappho versibus notatam scribit : inter autem puellas a Sappho amatas etiam Maximus Tyrius *Andromeden* quandam recenset; ut et ipsa Sappho in fragmento quod supr. not. 18. — *Fusca colore. Calore* malebat Francius, ut et erat in Lincoln. solemni permutatione harum vocum.

37. *Et variis albæ.* Vossius ad Catul. Epigr. LXIX ad Mallium, notat columbas diversi coloris improbiora decerpere oscula, quam faciunt ejusdem coloris.

38. *A viridi.* Psittacum intelligebat post Bersmannum Francius, ex Amor. II, 6; 21 :

Tu poteras virides pennis hebetare smaragdos.

39. *Quæ facie. Quæ facies.* Mazar. et Palatin.

45. *Hæc quoque laudabas* etc. Spirant hic vere, et *vivunt* adhuc *fidibus commissi calores* puellæ Lesbiæ. Habuit certe ob oculos, quum hæc et alia ejusmodi, in hac ipsa Epist. scriberet Ovidius, luculentissimum et tantopere decantatum Sapphus carmen :

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν etc.

Sed tum præcipue, quum fit Amoris opus.
Tunc te plus solito lascivia nostra juvabat,
Crebraque mobilitas, aptaque verba joco;
Quique, ubi jam amborum fuerat consumta voluptas,
Plurimus in lasso corpore languor erat.
Nunc tibi Sicelides veniunt, nova præda, puellæ.
Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.
At vos erronem tellure remittite nostrum,
Nisiades matres, Nisiadesque nurus.

Quod non luculenter minus vertit Catullus, carm. 57:

Ille mi par esse Deo videtur,
Ille, si fas est, superare Divos,
Qui sedens adversus, identidem te
Spectat et audit
Dulce ridentem etc.

Quam Oden suavissimam cum ipso textu conferre nec inutile, nec injucundum erit conferenti. Viderit quid de suo addendum, quid græco detrahendum censuerit imitator elegantissimus. Vid. Longin. de Subl. Sect. x, 2, et quæ ibi de hoc carmine Rhetor peritissimus. — *Omnique a parte. Omnique in parte,* Mazar. *Omni tibi parte*, Francof.

47. *Juvabat. Juvabant* Vaticanus, Regius et duo ex meis: bene. H.

48. *Verba joco.* Quidam, *membra joco:* alii codices, *verba loco:* quod damnat Gronov. III, Obs. 21, contra Salmasium, *verba jocis.* Sarrav. et Lincoln. *verba sono*, Francof.; sed nihil movendum: *jocus* est opus amoris: Am. Art. II, 724:

Et dulces gemitus, *aptaque verba joco.*

IV, Fast. 868:

Poscite blanditias, dignaque verba *joco.* B.

49. *Atque ubi jam amborum.* Scripti nonnulli, *At simul*, vel *Ac:* majori tamen ex parte, *Atque ubi jam:* lego *Quique*, *ubi jam* etc. Librarius *que* expresserat solummodo pro *quique*, solemni errore: hinc *Atque*, postea natum. HEINS.

51. *Sicelides.* Regius codex *Sicilides*, et mox *Sicilis:* quod non temere repudiandum; quum ita et in novem codicibus apud Virgil. IV, Ecl. *Sicilides Musæ*, quos Heinsius vidit, exstet, et Pierius testetur in plerisque antiquis reperiri, licet repudiet. Non autem *voluisse* modo esse *Sicilidem* Sappho, sed etiam sibi exsilium indixisse, et relicta patria abiisse in Siciliam, ut Phaone suo frui posset, Archonte Aristocle, docet nos Marmor Arundelianum in Epocha, 37, a Seldeno editum; quod nescio an quisquam præterea memoriæ prodiderit. BURM.

52. *Sicelis esse volo.* Fingit Phaonem ita loquentem.

54. *Nisiades matres* etc. *Nisiades* dictæ Megarenses, et universæ Siculæ, propter conditam urbem Megara Siciliæ, ab incolis Atticæ urbis Megarorum, quæ et *Nisea* dicta antiquitus ab rege *Niso. Nesiades* olim, vel a *Neside* insula Campaniæ, vel a *Nesia* regione circa Ætnam. Aliquanto tamen probabilius *J. Ph. d'Orville*, ad Charitonem, p. 541, *Nesiades* apud Nostrum dictas Siculas existimavit, quod Sicilia ipsa per

Neu vos decipiant blandæ mendacia linguæ:
Quæ dicit vobis, dixerat ante mihi.
Tu quoque, quæ montes celebras, Erycina, Sicanos,
Nam tua sum, vati consule, Diva, tuæ.
An gravis inceptum peragit Fortuna tenorem,
Et manet in cursu semper acerba suo?
Sex mihi natales ierant, quum lecta parentis
Ante diem lacrimas ossa bibere meas.
Arsit inops frater, victus meretricis amore;
Mixtaque cum turpi damna pudore tulit.

excellentiam vocata νῆσος et νᾶσος. L.

55. *Neu vos decipiant blandæ mendacia linguæ.* Causa, cur Phaon a Siculis mulieribus recipiendus non sit. Ciof.

57. *Tu quoque, quæ montes.* Hæc a Naugerio: nam nostri omnes, *immites Sicanos*, ut ad Palicos respiciat, qui humanis hostiis placabantur. Sed præstat Naugeriana lectio, ut Eryx subintelligatur, a quo *Erycina* hæc Dea dicta est Poetis. H. — Recte emendatum *montes*: ut et habet Francof. codex: templum enim Veneris Erycinæ in monte positum; ut exhibent nummi veteres, quos vide apud Illustr. Spanhem. Dissert. VI, pag. 577, de præstantia et usu Numism. Burm.

58. *Nam tua sum, vati consule Diva tuæ.* Jure *suam* iterum iterumque prædicare poterat, quæ totam se Veneri ita quasi addixerat, ut qui amandi, et vivendi finis ipsi fuerit. Veneris quoque *vates* dici debuit, quæ Deam toties et tam digne carminibus celebraverit. Ut enim omittam Oden celeberrimam *in Venerem*, ut quæ lectori erudito nota satis, quid suavius, quid Anacreonticum magis, aut Catullianum, quam quæ sequuntur:

Ἐλθὲ Κύπρι χρυσείαισιν
Ἐν κυλίκεσσιν ἁβρῶς
Συμμεμιγμένον ἡδέϊ νέκταρ
Νίκταρ οἰνοχοοῦσα,
Τούτοισι τοῖς ἑταίροις
Ἐμοῖς γε καὶ σοῖς.

59. *Tenorem.* Lincolniensis *laborem*; sed male. Epist. III, 43:

An miseros tristis fortuna *tenaciter* urget.

Ut Epist. VII, 112: *Fati tenor.* B.

61. *Sex mihi natales ierant* etc. Septimum vix ætatis annum attigeram, quum patrem amisi. Hanc vero sentent. quam eleganter περιῤῥάζει.

63. *Victus meretricis amore. Victus*, codex Wittianus, non male; sed Lincoln. Francof. et quatuor alii, *captus*: quod verius puto, et meretriciis fallaciis, et illecebris convenientius. Meretrix vero illa *Rhodopis* dicebatur, teste Herodoto, II, 135; conserva Æsopi, et a Charaxo magna pecunia redemta: unde possumus intelligere, cur fratrem ad *inopiam* delapsum Sappho hic dicit. Athenæus vero, lib. XIII, cap. 7. *Doricam* vocatam ait; sed Dorica a patria potuit dici. — Francius malebat, *arsit amans frater*: sed male, ut ex dictis apparet. Melius Broukhusius, *arsit egens*, quia mox *inops* sequitur. Burm.

Factus inops agili peragit freta cærula remo;
Quasque male amisit, nunc male quærit opes.
Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit:
Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.
Et tanquam desint, quæ me sine fine fatigent,
Accumulat curas filia parva meas.
Ultima tu nostris accedis causa querelis.
Non agitur vento nostra carina suo.
Ecce jacent collo positi sine lege capilli:
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veste tegor vili: nullum est in crinibus aurum:
Non Arabo noster rore capillus olet.
Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus auctor abest.
Molle meum levibus cor est violabile telis:

65. *Peragit freta.* Innuit vero piratam factum. Piratæ enim ἀπὸ τοῦ πειρᾶν, a *peragendo* et pervagando maria dicti: et hinc addit *male quærit opes*, turpi quæstu, non, ut Domitius, multis incommodis et labore; nisi statuere velimus illum remigem factum. Burm.

70. *Filia parva.* Cleis filia.

72. *Non vento suo.* Adverso.

73. *Ecce jacent collo positi sine lege capilli.* Lib. veteres, *sparsi*, non *positi* habent: quomodo legisse videtur Domitius. Ciof. *Passi*, Regius. Heins.

76. *Non Arabo noster* etc. *Non Arabum noster dona capillus olet*, Naugerius: nostri omnes, *Arabo rore*: quod temere mutare nolim. Nam et lib. v, Metam. 405: *olere* cum sexto casu conjunxit: ubi habes *olentia sulphure stagna Palicorum*; quo nomine a Diomede grammatico notatur, tanquam improprie locutus: at Valerius Flaccus, lib. viii: *olentes sulphure crines* quoque dixit. Martial: *Atque oluere lares comessatore Lyæo.* Propert. l. iv, El. vii:

Cur nardo flammæ non oluere meæ? Burm.

78. *Auctor abest. Abes* malim. H.

79. *Molle meum levibus cor est violabile telis.* Τὸ cor producitur, contra quam solet. Certe Noster, Trist., libro v, Eleg. viii, 28:

Molle cor ad timidas sic habet ille preces.

Nam in illa ejusdem libri Elegia prima, anceps est scriptura, v. 63:

Strangulat inclusus dolor, atque cor æstuat intus.

Quum in potioribus membranis sit, *atque exæstuat intus*: sed corripitur quoque Pont, lib. i, Eleg. iv, ad Rufinum; et libro v, Met. Fab. vi. Ciceroni etiam in versione loci Homerici: *Ipse suum cor edens.* Martiali etiam libro x, Ep. 15; et Ausonio in epigrammatis. Quare a Nasonis manu opinor esse:

Molle mihi, levibusque cor est violabile telis.

Et semper causa est, cur ego semper amem.
Sive ita nascenti legem dixere Sorores;
Nec data sunt vitæ fila severa meæ;
Sive abeunt studia in mores; artisque magistra,
Ingenium nobis molle Thalia facit.
Quid mirum, primæ si me lanuginis ætas
Abstulit, atque anni, quos vir amare potest?
Hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam;
Et faceres : sed te prima rapina tenet.
Hunc si conspicias, quæ conspicis omnia, Phœbe;
Jussus erit somnos continuare Phaon.
Hunc Venus in cælum curru vexisset eburno;
Sed videt et Marti posse placere suo.
O nec adhuc juvenis, nec jam puer; utilis ætas!

Nisi quis mavult accedere Mycillo castiganti :

Molle meum levibusque corest violabile telis. H.

— Ubi Mycillus ita castiget, nescio ; sed in Francof. codice erat :

Molle meum levibusque corest violabile telis. B.

82. *Et data sunt vitæ.* Imo, *Nec data*, quicquid obnituntur libri veteres : olim reponi placebat, *Nec data sunt.* Nunc contendo castigari oportere, *Nec rata sunt. Ratum opus Parcarum* in Ibide dicet. Heins. — Rectissime ab Heinsio restituta hæc lectio est. Nam *severa fila* hæc dicuntur, quæ alienam ab amore vitam ejus facerent, ut sæpe numero *severus* opponitur *molli*, voluptatibus et amoribus dedito. Sic Ep. xviii, 83 : *Non sinat Endymion te pectoris esse* severi. Fluctuavit tamen ipse Heinsius, pro *data*, postea legendum arbitratus *rata*. Sed in Advers. quidem, iii, 17, *et rata;* in notis vero, *nec rata :* quorum neutrum supra laudatæ correctioni antepono. Lennep.

83. *Sive abeunt studia in mores* etc. Ante Heinsium edd.:

Sive abeunt studia in mores, *artesque magistræ :*
Ingenium nobis molle Thalia facit.

Nullo prorsus sensu, vel certe non satis idoneo. Dedit inde Heinsius,

Sive abeunt etc... *artesque magistræ.*

Melius aliquanto, necdum satis probabiliter. Durius enim dicuntur *artes magistræ in mores abire.* Quod si cum Burmanno *sunt* (*artes magistræ*) subaudias, ea quidem multo etiam durior erit ratio. Sed rectissime ipse Heinsius posse tamen et legi ait, *artisque magistra*, ut ad *Thaliam* referatur ; quam unice veram lectionem ex Art. Am. iii, 540 : *Et facit ad mores ars quoque nostra suos;* aliisque locis recte confirmavit Burmannus; neque tamen, quod mireris, in textum recepit. Probavit quoque vir doct. Miscell. Observ. vol. v, tom. iii, p. 74. Lennep.

93. *Nec adhuc juvenis.* Ita quoque, sed alio sensu Seneca, Epist. xii : *Est alter, qui annos adolescen-*

O decus, atque ævi gloria magna tui!
Huc ades: inque sinus, formose, relabere nostros;
Non ut ames, oro, verum ut amare sinas!
Scribimus, et lacrimis oculi rorantur obortis.
Adspice, quam sit in hoc multa litura loco.
Si tam certus eras hinc ire, modestius isses;
Et modo dixisses: Lesbi puella, vale.
Non tecum lacrimas, non oscula summa tulisti;
Denique non timui, quod dolitura fui.
Nil de te mecum est, nisi tantum injuria: nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantis habes.
Non mandata dedi: neque enim mandata dedissem
Ulla, nisi ut nolles immemor esse mei.
Per tibi, qui nunquam longe discedat, Amorem,

tiæ excludit, est qui totam pueritiam ambitu suo adstringit.

96. *Non ut ames, oro, verum ut amare sinas.* In libro Maffeiano, *sed ut amare sinas*: in quo τὸ *te* a librario omissum esse putaverim, hoc videlicet modo: *sed te ut amare sinas.* Vaticanus perspicue habet, *Non quod ames oro, sed quod amare sinas;* fortasse non male. Non desunt tamen, qui legant e bonis libris, *verum ut amare sinas.* C. — Scripti plerique, *sed quod amare sinas: sed te ut amare*, ex veteri libro notarat Politianus: alii, *sed ut amare.* Forte:

Non ut ames, oro: me sed amare sinas. H.

99. *Modestius isses.* Non ita durus, ut ne *vale* quidem dixeris; nec *amanti*, sed *puellæ!*

101. *Oscula nostra tulisti. Oscula summa* plerique veteres. Sic *extrema oscula, suprema oscula, ultima oscula*, et *oscula prima*, passim apud Poetas. Trist. lib. I, Eleg. III:

Sæpe vale dicto rursus sum multa locutus,
Et quasi discedens *oscula summa* dedi.

Mox malo, *quæ dolitura fui.* HEINS.

104. *Admoneat quod te.* Douza volebat *injuria, quæ me admoneat.* Bersmannus edidit: *Admonuit, quamvis pignus amantis habes.* Contrario, ac Poeta voluit, sensu: nobis *Admoneat* placet, et distinctione esse juvandum locum credimus:

... Nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantis habes.

Nullum tecum pignus habes, quod te admoneat mei amantis. In alia lectione sensum nullum video: si oscula, si lacrimas discedens a me tulisses, ea tibi pignus essent, quod te admonere, et in memoriam Sappho revocare posset: nunc tu nullum *pignus* habes, *quod te admoneat:* et recte Gronovius vim verbi *admonere* illustravit, quod τῷ *oblivisci* opponitur. BURM.

107. *Discedat.* Alii omnes *discedit.* Nos ex affectu optantis fœminæ illum modum substituimus; ac si dicat, qui ut *numquam discedat* et abeat a me, opto. EGNAT.

Perque novem juro, numina nostra, Deas;
Quum mihi nescio quis, fugiunt tua gaudia, dixit;
Nec me flere diu, nec potuisse loqui.
Et lacrimæ deerant oculis, et lingua palato :
Adstrictum gelido frigore pectus erat.
Postquam se dolor invenit; nec pectora plangi,
Nec puduit scissis exululare comis.
Non aliter, quam si nati pia mater ademti
Portet ad exstructos corpus inane rogos.
Gaudet, et e nostro crescit mœrore Charaxus
Frater; et ante oculos itque reditque meos.
Utque pudenda mei videatur causa doloris;

108. *Numina nostra.* Liber Maff. *sancta :* est autem appositio.

113. *Postquam se dolor* etc. Alii, *nec pectora plangi :* ubique tamen Ovidius priore verborum forma hanc sententiam contexuit, ut Canace :

Exieram thalamo, tum demum pectora planxi.

Et Medea :

Protinus abscissa planxi mea pectora veste.

Adde quod vix dicatur, nec *puduit plangi pectora*, sed *plangere*, ut *exululare*. EGNAT. — *Postquam se dolor invenit.* Optime, ut observationum libro secundo, cap. XXI, jam monuit præstantissimus Gronovius. Petronius : *diu vocem neuter invenit :* et *de Bello Civili :*

... Quærit se natura, nec invenit. H.

114. *Scissis.* Libri quidam *raptis.*

116. *Portet.* Quidam codices *ferret :* sed rectum est prius. Catull. Epithal. 63, v. 83 :

Funera Cecropiæ nefunera portarentur.

Juven. Satyr. III, 32 :

... Portandum ad busta cadaver. HEINS.

Portet in exstructos, cod. Meriani. Duo alii : *ad extremos.* Lincoln. *ad exstinctos.*

117. *E nostro crescit mœrore.* Eleganter Seneca in Med. 990 :

Quid misera feci? misera, pœniteat licet,
Feci : voluptas magna me invitam subit :
Ut, ecce, crescit!

Sic emendo : nisi malis, *Et e cæde crescit*, vel *ex scelere.* Vulgati, *Et ecce crescit.* Glossarium MS. Vossianæ Bibliothecæ, *Ovare, crescere, gaudere.* Est autem gaudio exultare, et invidorum proprium est. H. — Cicero sæpius hac eleganti locutione usus, et aliquando paullo alia significatione, pro gloria, fama, opibus, honoribus augeri : pro Cluentio, cap. 28 : *Oblatam sibi occasionem putavit, ut ex invidia Senatoria posset* crescere. v. Verrin. 67 : *Denique si videor hic, id quod ego non quæsivi, de uno illo voluisse* crescere, *isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit.* Livius, XXXV, 19 : *Itaque si quibus tuorum meis criminibus apud te* crescere *liceat, aliam materiem* crescendi, *quam ex me quærant.* B. — *Incrementa de aliquo quærere*, dixit Justinus, XXV, 3.

Quid dolet hæc? certe filia vivit, ait.
Non veniunt in idem pudor atque amor : omne videbat
Vulgus; eram lacero pectus aperta sinu.
Tu mihi cura, Phaon : te somnia nostra reducunt;
Somnia formoso candidiora die.
Illic te invenio, quamquam regionibus absis :
Sed non longa satis gaudia somnus habet.
Sæpe tuos nostra cervice onerare lacertos,
Sæpe tuæ videor supposuisse meos.
Blandior interdum, verisque simillima verba
Eloquor : et vigilant sensibus ora meis.
Oscula cognosco, quæ tu committere linguæ,
Aptaque consueras accipere, apta dare.
Ulteriora pudet narrare : sed omnia fiunt :
Et juvat, et sine te non licet esse mihi.

120. *Certe filia vivit, ait.* Cleis scilicet, quam, teste Suida, suscepit Sappho ex Cercola conjuge. Hujus quoque meminit Max. Tyr. et laudat poetria ipsa, his versibus, apud Hæphestionem, in Enchiridio: Ἔστι μοι καλὰ παῖς χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν, Ἐμφερὴ ἔχουσα μορφὴν, Κλεῖς ἀγαπητά. Ἀντὶ τᾶς δ' ἐγὼ, οὐδὲ Λυδίαν πᾶσαν οὐδ' ἰφανυάν.

Qui quidem versus, quin Sapphus sint, nullus dubitat Fulv. Ursin. in notis ad Fragm. ejusdem, p. 287.

121. *Non veniunt in idem pudor atque amor.* Verbatim ex Ovidio videtur expressisse Irenæus Referendarius. Brunck. Anal. III, p. 10: Ἀεδὼς νόσφι πέλει τᾶς Κυπριδος.

131. *Committere linguæ. Lingua* Francof. non male : conjuncta oscula per linguam indicat. Vid. II, Amor. V, 257, ubi *nexa lingua oscula;* et V, 60: *juncta oscula*, ut et alibi, quæ hic *commissa* dicit. B.

134. *Et juvat, et sine te non licet esse mihi. Non libet* bene quatuor libri. Opinor scribendum :

... Sed omnia fieri
Et juvat, et sine te non libet esse mihi.

Sæpe *libet* in *licet* degeneravit. H. — Nulla hic mendi suspicio interpretibus suborta fuit : quod miror; nam si verba efficacissima et electa ad arcanas veneris notas, quas optime mysta Noster callebat, indicandas, quibus Sappho plenam voluptatem, quam in somniis videre et sentire solebat, exprimit, expendissent, facile vidissent jejune admodum illud subjici, *et sine te non libet esse mihi :* quod etiam de amore modico, et primum nato dici posset: vix enim durare sine amatore suo puellas, quam primum tactæ sunt, posse, notum est; et illa locutio *sine te*, nihil nisi præsentiam amatoris, quam desiderare videtur, indicare potest. Ita, l. III, Am. XI, quum dixisset:

At quum se Titan ostendit, et omnia secum,
  Tam cito me somnos destituisse queror.
Antra nemusque peto; tanquam nemus antraque prosint!
  Conscia deliciis illa fuere tuis.
Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
  Impulit, in collo crine jacente, feror.
Antra vident oculi scabro pendentia topho,
  Quæ mihi Mygdonii marmoris instar erant.

Nequitiam fugio, fugientem forma reducet.

Mox addit, vers. 39:

Sic ego nec sine te, nec tecum vivere possum.

Quæ quum ita sint, quanti non faciendus codex ille Francof., qui solus servavit veterem, et reliquis librariis non intellectam scripturam:

Et juvat, et sicca non licet esse mihi.

Legendum nimirum, minima mutatione, *siccæ*. Burm. — Audacius certe, quam castius! Præferam equidem Hoeufftii, viri elegantissimi, conjecturam, in *periculis criticis*, p. 278, legendum censentis:

Et juvat et sine te sic libet esse mihi.

Sed forte nihil mutandum: potest enim hic vulgatæ sensus esse: et *juvat*, et fert libido, ut quocumque tandem modo tecum sim; nam *sine te* esse non *libet*. Lennep.

138. *Fuere tuis. Meis*. Editiones plurimæ, et codices Francof. et sex alii.

139. *Furialis Erichto*. Erichto Thessalica venefica, sive maga fuit, cujus opera Sextus Pompeius quoque usus fuit: de qua prolixe Lucan. lib. VI; sed hic Ovidius pro generali nomine veneficarum posuisse videtur; speciem pro genere usurpando. Micyl.

140. *Impulit*. Scripti multi cum primis editionibus *Attulit*; unde *Attonat* olim fingebam. Nunc *Abstulit* repono, propius insistens vestigiis scriptæ lectionis. Similis diversitas scripturæ in Stat. Theb. IV, 256:

Quas non ille duces nemorum fluviisque dicata
Numina, quas magno non *abstulit* igne Napæas.

Ita enim veteres membranæ. Noster supra:

Quid mirum, si me primæ lanuginis ætas
  Abstulit? Heins.

— Ego conjecturæ huic Heinsii minime assentiri possum, ut qui *impulit*, multo gravioris significationis verbum putem, quam *abstulit*; et hic de furore, vel ei certe simili affectione agitur. Sequentia, *in collo crine jacente*, ut vaticinanti et furiosæ respondent, et præcipue ita verbum *feror*, egregie congruit. *Ferri* enim impulsi furiis, et gravissima perturbatione mentis, proprie dicuntur. Horat. I, Sat. IV, 30:

... Quin per mala præceps
Fertur. Burmann.

141. *Scabro pendentia topho. Tophus* lapis scaber et pumicosus, familiaris specubus et antris montium est. *Pendentia* autem, quod Domitius exponit sublimia, pro arcuata et suspensa magis accipiendum. M. — Sic Virgil. Georg. IV, 374:

Postquam est in thalami *pendentia* pumice tecta
Perventum.

Quo loco *pendentia tecta* interpretatur Cl. Heyn., antrum pumiceum, ad cameræ morem curvum et fornicatum.

Invenio silvam, quæ sæpe cubilia nobis
Præbuit, et multa texit opaca coma:
At non invenio dominum silvæque meumque:
Vile solum locus est: dos erat ille loci.
Agnovi pressas noti mihi cespitis herbas:
De nostro curvum pondere gramen erat.
Incubui; tetigique locum, qua parte fuisti:
Grata prius lacrimas combibit herba meas.
Quin etiam rami positis lugere videntur
Frondibus; et nullæ dulce queruntur aves.
Sola virum non ulta pie mœstissima mater
Concinit Ismarium Daulias ales Ityn:
Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores.
Hactenus; ut media cetera nocte silent.
Est nitidus, vitreoque magis perlucidus amne,
Fons sacer: hunc multi numen habere putant:
Quem supra ramos expandit aquatica lotos,

145. *Sed non. At non* scripti: mox *agnovi* pro *cognovi* quidam. HEINS.

147. *Agnovi.* Unus Heinsii, *agnovi pressas, vestigia corporis, herbas:* non invenuste. *Modo vivi* in uno Regio; *modo noti*, Merani.

153. *Non ulta pie. Sola virum non ulta prius mœstissima mater*, Domitius legit; ut sit sensus: Sola mater, quæ ob id mœstissima est, quod non prius occiderit virum, quam filium etc. Sed alii pro *prius, pie* legunt: hac sententia: Sola mater, quæ *impie* ulta est virum. *Impie* scilicet, quod in eo ulciscendo filium interfectum epulandum apposuit.

154. *Daulias ales.* Philomela, sic a poetis cognominata, a *Daulide*, urbe vel regione Phocidis, ubi in avem conversam fingunt Philomelam.

157. *Est nitidus, vitreoque magis perlucidus amne.* Alii aliter: Est nitidus, vitroque magis perlucidus amnis. *Est nitidus, vitroque magis perlucidus amnis:* hæc Naugeriana lectio; sed ridicule fontem et amnem eundem facit. Primæ editiones et scripti plerique, *vitreoque amne.* Mazarinianus, *vitreoque amni.* Scribe, *vitroque magis perlucidus omni.* Sic *O Fons Blandusiæ splendidior vitro* apud Horatium, lib. III, Od. XIII. Ita Poetæ passim. HEINS. — Nescio an verior hæc Heinsii correctio. Neque enim id quæritur, an recte amnes *vitrei* dicantur, de quo controversia esse non potest: sed hoc potius num ad nitidum fontis splendorem declarandum satis magnam vim habeat ejus cum amne comparatio. Sunt enim amnes fere minus limpidi ac pellucidi, quam fontes. L.

159. *Expandit.* In nonnullis *extendit*: in aliis, *expendit*: recte

Una nemus; tenero cespite terra viret.
Hic ego quum lassos posuissem flebilis artus,
Constitit ante oculos Naias una meos;
Constitit, et dixit: « quoniam non ignibus æquis
Ureris, Ambracias terra petenda tibi.
Phœbus ab excelso, quantum patet, adspicit æquor:
Actiacum populi Leucadiumque vocant.
Hinc se Deucalion, Pyrrhæ succensus amore,

omnia. NAUGER. Libri veteres, *expandit*: placet. Virgil. VI, 282:

In medio ramos annosaque brachia *pandit*
Ulmus opaca, ingens.

Idem tamen II, Georg. 296:

Tum fortes late ramos et brachia *tendens*.

160. *Una nemus*. Quid enim sibi velit vetus lectio non video, *unda nemus*, quando et Domitius jam ante id agnovit, et sensus *una* exposcit. EGNAT. Sic et Met. lib. VIII, 744:

Stabat in his ingens annoso robore quercus,
Una nemus.

161. *Posuissem flebilis artus. Fletibus* quatuor scripti: placet. HEINS.

162. *Constitit ante oculos Naïas una meos*; est in veteribus; et profecto recte: inferius enim, *Ibimus, o Nymphe!* Quidam aliter legunt; mihi, quum sequatur *constitit et dixit*, repetitum id *constitit*, et Ovidianum maxime et perelegans videtur. NAUGER. — Nostri cum vulgatis, inepte:

Formosus puer est visus adesse mihi.

Repone in Nauger. lectione *Naïas uda*, et refer ad Naïada hujus fontis. Sic *uda Thetis*, lib. XI. Met.; et *Tyberinides udæ*, lib. II, Fast. V, 597, ex antiquis codicibus; ubi Naïadas Tyberinas innuit. HEINS. — Sui cuique sensus! ad meos, *uda*, illis quidem locis, non modo molestum, sed fere ridiculum est Epitheton. Vulgatam tuentur Burm. et vir doct. Miscell. Observ. vol. VII, tom. 2, pag. 289. LENNEP.

163. *Quoniam non ignibus. Quid nunc non.* Bersm. Edit. sed editiones vetustiores et omnes Heinsii codices, *quæ nunc non*.

164. *Ambracia est terra petenda tibi.* Libri veteres *Ambrachiis*, *Ambrachiæ*, *Ambrachis*. Optime Vaticanus unus, *Ambracias*, Græco more. Horatius I, Od. 22:

Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit esculetis.

Ita in duobus veterrimis libris inveni scriptum: egregie. Vulgati *Daunia in latis*. Seneca Hercule Œtæo:

... Te Rhodope tulit,
Te præruptus Athos, te fera Caspias,
Quæ virgata tibi præbuit ubera.

Sic et ibi optimus Mediceus. Ita *Appias via* pro *Appia* non uno loco apud Nostrum, et apud Ciceronem. *Cephesias ora*, lib. VII, Metam. H.

165. *Phœbus*. Ille ab Ambraciotis magna veneratione colebatur. Vid. Antonin. Liberalis Fabul. IV.

166. *Actæum populi Leucadiumque vocant. Actæum* vocant populi, inquit, *Leucadiumque*. Hoc a vulgato nomine insulæ scilicet; illud ab antiquo. Nam et Strabo tradit lib. 10. Leucadem antiquitus Chersonesum, sive peninsulam fuisse, Acarnaniæ

Misit, et illæso corpore pressit aquas.
Nec mora : jussus amans tetigit lætissima Pyrrhæ
Pectora; Deucalion igne levatus erat.
Hanc legem locus ille tenet : pete protinus altam
Leucada; nec saxo desiluisse time. »
Ut monuit, cum voce abiit. Ego frigida surgo;
Nec gravidæ lacrimas continuere genæ.
Ibimus, o Nymphe! monstrataque saxa petemus:
Sit procul insano victus amore timor.
Quidquid erit, melius quam nunc erit. Aura, subito;
Et mea non magnum corpora pondus habent.
Tu quoque, mollis Amor, pennas suppone cadenti,
Ne sim Leucadiæ mortua crimen aquæ.
Inde chelyn Phœbo, communia munera, ponam:

connexam, quam Homerus vocarit Ἀκτὴν ἠπείροιο. Od. Ω, 373. Eam terram, quæ e regione Ithacæ ac Cephaleniæ est, id est, ipsam Acarnaniam, Epirum appellando. Quare *Actæum* hoc loco gentiliter ac proprie accipiendum : non appellative, ut Domitius exponit, pro litorali. MICYL. *Actiacum*, Scaliger, ut et Sarravianus.

169. *Nec mora : jussus amans tetigit lætissima Pyrrhæ pectora* etc. Ita vulgaris lectio habet. In Aldinis autem legitur hic versus hoc modo : *Nec mora ; versus amor fugit lentissima mersi Pectora.* Scripti nostri : *Jussus amor tetigit lætissima Pyrrhæ*, vel *justus amor*, vel *jussus amans. Pyrrhæ* tamen omnes. Scribo :

Nec mora : versus amor tetigit lentissima Pyrrhæ
Pectora.

Versus amor, ut Epistola Briseïdis :

Aut si versus amor tuus est in tædia nostri.

Lentus proprie, qui tarde se promovet, sed et pro flexibili sumitur, et pro securo atque otioso, etiam pro frigido et remisso, quemadmodum hic loci. HEINS.

171. *Hanc legem locus ille tenet.* De hoc scopulo, qui saltus amantium dicebatur, vid. Serv. ad Virg. Eclog. IX, 57; et Voss. ad Catull. carm. 67. Ptolem. Hephæst. lib. VII, apud Phocium, Canone, CXC ; qui plures, qui se inde præcipitarunt, enumerat; Sapphus tamen, quod mirere, nulla ibi fit mentio ; et Athenæus, lib. XIV, cap. 3, narrat Calycen amore Euathli captam se præcipitio ex hoc scopulo interemisse. Menander apud Strab. lib. X, primam desiluisse ex Leucade Sappho tradit. BURM.

173. *Ego frigida. Territa*, alii. *Frigida*, scripti nostri : unus, *Pallida.* HEINS. Francofurtensis pentametrum ita exhibet : *Nec lacrimas oculi continuere mei.*

178. *Et mea.* Scriverianus, *hæc mea ; διχτικῶς* : eleganter. — Elegantiam quidem concedo; sententia vero, quam futilis et frigida!

Et sub ea versus unus et alter erint:
Grata lyram posui tibi, Phœbe, poetria Sappho;
Convenit illa mihi, convenit illa tibi.
Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras,
Quum profugum possis ipse referre pedem?
Tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda:
Et forma et meritis tu mihi Phœbus eris.
An potes, o scopulis undaque ferocior illa,
Si moriar, titulum mortis habere meæ?
At quanto melius jungi mea pectora tecum,
Quam poterant saxis præcipitanda dari!
Hæc sunt illa, Phaon, quæ tu laudare solebas;
Visaque sunt toties ingeniosa tibi.
Nunc vellem facunda forent: dolor artibus obstat;
Ingeniumque meis substitit omne malis.

182. *Erint. Erunt* bene Sarravianus. H. Consentit Francofurtensis.

183. *Posui.* Propert. II, Eleg. XIV:

Hæc pono ante tuas tibi, diva, Propertius ædes.

— *Poetria Sappho.* Naugerius notat in omnibus suis legi *Poetica*, atque ita etiam edidit: *Poetria* recte. Sappho enim per excellentiam *Poetria* dicta, ut Homerus *Poeta*. Galenus libro, animi affectus consectaneos esse temperaturæ: Πάντας γάρ ἀκούομεν Ὅμηρον μὲν λέγεσθαι ποιήτην, Σαπφὼ δὲ ποιήτριαν. Sic et Ælianо dicta lib. XII, 19. H. Var. Athenæo, lib. XV, et Pausaniæ in Arcadicis. HEINS. — Apud Persium, in Proemio, habes, *Corvos Poetas et Poetrias picas*, ubi etiam male turbant nonnulli codices: neque etiam *Poetris*, multo minus *Poetis*, quod Claverio arridebat, ignota veteribus vocabula, in civitatem Romanam adsciscenda. BURM.

185. *Cur tamen Actiacas.* Ita et Scaliger manu sua emendarat, quum in codice Gryphiano *Actæas* legeretur. DAN. HEINS.

186. *Quum profugum possis ipse referre pedem.* Sic legendum ex antiquis libris. Est autem apostrophe ad Phaonem. *Inde* nullo modo mihi probatur, nec, ut puto, cuiquam alii probabitur. C. *Ipse* scripti, et recte. Non enim in Leucadiam Phaon; sed in Siciliam profugerat. HEINS.

189. *Ferocior illa. Ferocior omni*, Francofurt.; *ulla*, Mazar. et Wittianus. Francius malebat, *undisque ferocior illis.*

191. *At quanto.* Micylli editio et aliæ veteres *ah quanto*, et quatuor scripti: alii, *o quanto!* nihil muta. Epist. XVIII, 21:

At quanto mallem, quam scriberet, illa nataret.

Francofurtensis ita exhibet versum hunc:

At quanto melius mecum tua pectora jungi. B.

195. *Dolor artibus obstat.* Præ-

Non mihi respondent veteres in carmina vires:
Plectra dolore tacent; muta dolore lyra est.
Lesbides æquoreæ, nupturaque nuptaque proles;
Lesbides, Æolia nomina dicta lyra;
Lesbides, infamem quæ me fecistis amatæ;
Desinite ad citharas turba venire meas.
Abstulit omne Phaon, quod vobis ante placebat:
Me miseram! dixi quam modo pæne, meus!
Efficite ut redeat: vates quoque vestra redibit;
Ingenio vires ille dat, ille rapit.
Ecquid ago precibus? pectusne agreste movetur?
An riget? et Zephyri verba caduca ferunt?
Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent:
Hoc te, si saperes, lente, decebat opus.
Sive redis, puppique tuæ votiva parantur

clarum exemplum apud hunc Nostrum, Metam., ubi ita de Hecuba, quum Polydorum, quem Polymnestori cum ingenti auri copia crediderat, interfectum vidisset:

Troades exclamant: obmutuit illa dolore,
Et pariter vocem, lacrimasque introrsus obortas
Devorat ipse dolor; duroque simillima saxo
Torpet. (Vide lib. XIII, 558.)

198. *Tacent. Silent*, unus Mediceus: bene. HEINS. *Jacent*, Bersm. in marg.

201. *Lesbides, infamem quæ me fecistis.* Huc respicit Horat. II, Od. XIII, 24:

Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus.

203. *Quod vobis. Quod nobis*, Wittian. Oxon. Lincol. et Mazarin.

207. *Ecquid ago precibus.* Scripti nostri magna ex parte: *Hæc quid ego*, vel, *Ecquid ego. Hæc quid ego an*, tres. *Hæc ego quid*, unus. Lego:

Sed quid ego hæc? precibus pectusne agreste movetur?

Noster Epist. XIII, 135: quomodo illic legendum Heinsius monuerat:

Sed quid ego hæc? lævum revocaminis omen abesto.

211. *Parantur.* In nonnullis *paramus.* Quis non videt, etiam reclamante codicum fide, legendum *paramus*, non *parantur* ex amantis affectu? Significare enim voluit nuncupata a se ipsa vota pro Phaonis reditu. EGNAT. Locus videtur mendosus; nisi post hoc distichon sequatur illud, *sive juvat longe*: et tunc constabit sensus. HEINS. Et in Lincoln. quatuor medii versus desiderabantur: nisi ergo in parenthesi ponantur; et hic, *sive redis, puppi ecce tuæ votiva paramus*, legatur, sensum vix video. BURM. — *Sive redis* etc. Æstuasse circa loci hujus sensum et Heinsium et Burmannum videmus, qui tamen facile sic explicari potuit. Sive redire, cogitas, et jam jam *parasti* munera, quibus pro salvo tuæ navis reditu

Munera; quid laceras pectora nostra mora?
Solve ratem. Venus, orta mari, mare præstat eunti:
Aura dabit cursum; tu modo solve ratem.
Ipse gubernabit residens in puppe Cupido;
Ipse dabit tenera vela legetque manu.
Sive juvat longe fugisse Pelasgida Sappho;
Non tamen invenies, cur ego digna fuga;
Hoc saltem miseræ crudelis epistola dicat;
Ut mihi Leucadiæ fata petantur aquæ.

Diis ex voto facias, cur non maturas illud cœptum? *Solve ratem.* Non opus est multa diu advocare numina: Venus, utpote *mari orta*, sola id *præstare* amanti potest; Venus et Cupido navigationi tuæ favebunt. *Sive* etc. Versum autem hunc:

... Venus orta mari, mare præstat eunti;

haud dubium est quin ante oculos Musæus habuerit, vers. 249:

Ἀγνώσεις ὅτι Κύπρις ἀκόσμητός ἐςι θαλάσσης,
Καὶ κρατέει πόντοιο.

215. *Ipse gubernabit* etc. Suavissime depictum quidem: sed forsan non his locus.

216. *Quid laceras. Quid crucias pectora nostra tuis.* Francof.

217. *Legetque. Regetque*, nonnulli scripti; sed perperam: opponuntur enim *dare vela* et *legere*. *Dare* ad cursum instituendum; *legere*, quum portum attigerit navis, et cessarit a navigatione. Valer. Flac. II, 13:

... Flumineo cujus redeuntia vento
Vela legunt.

Ita *legere funem*, idem I, 314. *Dare vela*, obvium est. Burm.

218. *Non tamen invenies.* Bene, qui hunc versum parenthesi includunt. Hoc, nimirum, modo:

Sive juvat longe fugisse Pelasgida Sappho
(Non tamen invenies cur ego digna fuga)
Hoc saltem miseræ crudelis epistola dicat etc.

219. *Hoc saltem miseræ. O saltem* cum scriptis, ut dictum ad Epistolam primam. Ceterum distichon hoc postremum pro legitimo Nasonis vix est ut agnoscam: nec satis assequor quid sibi velit. Heins. Nihil Ovidio indignum video: sensus est: hoc, scilicet juvare te fugam, saltem dicat Epistola; ut certa propositi tui perire possim præcipitio. *Saxa petantur:* Regius etiam; quod non absurdum. Burm.—*Hoc saltem miseræ* etc. Sententiam ita Grævius exposuit (Syllog. Epist. Burmanni, t. IV, p. 599:) « Sive abhorres a meo complexu et longe hinc tibi fugiendi animus sit, quamvis nihil invenias in me *dignum fuga*; *hoc saltem* mihi tua nunciet Epistola, te scil. fugere meum conspectum, et nolle unquam ad me redire, ut me conferam Leucaten, in *montem*, situm in *aquis Leucadiis*, et inde præcipitem me dem, ut amore lever. »

220. *Leucadiæ fata petantur aquæ.* Dedit Joseph. Scaliger (ad Cupid. Crucifix., Auson.) ex Ptolemao Hæphest. Catologum ex Leucade se præcipitantium; in qua duæ fœminæ comparent: *Artemisia*, Mausoli regis uxor, et *Rhodope* quædam; quibus ex Athenæo, XIV, 3. *Calycen* quamdam addit Tollius.

EPISTOLÆ DECIMÆ-SEXTÆ

ARGUMENTUM.

Honorifice a Menelao exceptus Paris, qui ea mente Spartam devenerat, ut Helenam secum abduceret, hospitis absentia, aut potius, ut ait, *simplicitate* utitur, ut suam illi uxorem surripiat. Cui quidem, ut quo velit adducat facilius, hanc mittit Epistolam, in qua nihil ex iis omnibus, quæ animum labantem primum impellere, Menelaum sensim abolere, vel etiam incriminari, tandemque illius in locum Paridem ipsum substituere possint, non summa cum arte tentatum lector animadvertat. Quo autem successu, res ipsa declaravit. Dubitarunt tamen nonnulli an hæc, et quæ sequuntur Epistolæ, vere sint Ovidianæ, eo præsertim argumento freti, quod dum Heroidum Epistolas Noster recenset (Am. II, El. XVIII, 21, sqq.) ne unam quidem memorat a viro conscriptam. Sed quemadmodum nonnullas ex illis quas puellæ scripserunt, illic conticuit; ita et quas Heroes, silentio potuit præterire. Satis igitur sit nobis, enitere hic quam maxime peculiare poetæ ingenium, cui parem nullum invenias, in arte quam ipse dixit *amatoria*, non autem *amandi*, quæ longe alia est, nec ipsi Ovidio, ut apparet, usu bene cognita.

EPISTOLA XVI.

PARIS HELENÆ.

Hanc tibi Priamides mitto, Ledæa, salutem,
  Quæ tribui sola te mihi dante potest.
Eloquar? an flammæ non est opus indice notæ;
  Et plus, quam vellem, jam meus exstat amor?
Ille quidem malim lateat; dum tempora dentur
  Lætitiæ mixtos non habitura metus.
Sed male dissimulo : quis enim celaverit ignem,
  Lumine qui semper proditur ipse suo?
Si tamen exspectas vocem quoque rebus ut addam,
  Uror : habes animi nuntia verba mei.
Parce, precor, fasso : nec vultu cetera duro
  Perlege, sed formæ conveniente tuæ.
Jamdudum gratum est, quod epistola nostra recepta

1. *Hanc.* Forte rectius, *hac tibi:* scilicet Epistola (ut Epist. XIX, *verbis mittere salutem*) mitto tibi salutem : sed vulgata defendi potest, ex V, Trist. 13, 1.

Hanc tuus e Getico mittit tibi Naso salutem.

Pro *Ledæa*, malebat Hensius *Ledæi.* BURM.

7. *Quis enim celaverit ignem* etc. Hinc forte noster RACINE :

Et les feux mal couverts n'en éclatent que mieux.

9. *Si tamen expectas. Expectes*, Junianus et quatuor alii. *Sed tamen expectas* Leid. et duo præterea alii.

12. *Perlege. Respice*, Lovaniensis unus : non male.

13. *Recepta est.* Douza notat apud idoneos Oratores non esse in usu, *recepi Epistolam tuam*, sed *accepi :* at Nasonem fecisse necessitate metri : sed ita excusare poëtas, est accusare ; non enim metri necessitas efficere debet, ut minus eleganter et latine poëta loquatur : quare potius auctorem hujus Epistolæ (dubitatur enim an Ovidius sit), lusisse puto, in ambigua significatione verbi *recipere :* quo noster utitur etiam Naso de amantibus et puellis in toro

Spem facit, hoc recipi me quoque posse modo.
Quæ rata sint, nec te frustra promiserit, opto,
Hoc mihi quæ suasit mater Amoris iter.
Namque ego divino monitu, ne nescia pecces,
Advehor; et cœpto non leve numen adest.
Præmia magna quidem, sed non indebita, posco;
Pollicita est thalamo te Cytherea meo.
Hac duce, Sigeo dubias a litore feci
Longa Phereclea per freta puppe vias.
Illa dedit faciles auras, ventosque secundos:
In mare nimirum jus habet orta mari.
Perstet: et, ut pelagi, sic pectoris adjuvet æstum:
Deferat in portus et mea vota suos.
Attulimus flammas, non hic invenimus, illas:
Hæ mihi tam longæ causa fuere viæ.
Nam neque tristis hiems, neque nos huc adpulit error:
Tænaris est classi terra petita meæ.

receptis. Burm. — *Epistola recepta* opponitur protinus cum contemtu repudiatæ aut remissæ. *Accepta*, quod latinitatis rationem postulare Douza existimavit, hoc loco minus commodum fuisset. Lennep.

16. *Divino monitu.* Venere, scilicet, monente.

21. *Dubias.* Incertas, ignotas, nondum peragratas.

22. *Longa Phereclea per freta puppe vias. Puppe Phereclea;* cui struendæ dux Phereclus præfuerat, qui Paridem deinde ad bellum Trojanum sequutus, a Merione cæsus est; debitum industriæ præmium, quæ tot Trojanis Græcisque mala intulerit.

Μηριόνης δὲ Φέρεκλον ἐνήρατο, τέκτονος υἱόν,
Ἁρμονίδεω, ὃς χερσὶν ἐπίστατο δαίδαλα πάντα
Τεύχειν· ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς Ἀθήνη.
Ὃς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆας ἐίσας,
Ἀρχεκάκους, αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γίνοντο,
Οἵτ' αὐτῷ· ἐπεὶ οὔτε θεῶν ἐκθέσφατα ᾔδη.
Il. E, 59, sqq.

Fuit autem hoc vaticinium, quo Trojani jussi sunt omni re maritima abstinere.

24. *Nimirum.* Aldus, Veneti, Micyllus et Bersmannus ediderunt *nil mirum*; et ita Puteaneus et septem alii: nec displicet Naugerio. *Nec mirum*, Junianus. Burm.

27. *Attulimus.* Proprio usus verbo, de iis, qui cum re quadam adveniunt, ut ad illa Propertii, lib. III, v, 14.

Attulimus longas in freta vasta manus,

notavit diligentissimus Passeratius;

Nec me crede fretum merces portante carina
Findere : quas habeo, Di tueantur, opes!
Nec venio Graias veluti spectator ad urbes :
Oppida sunt regni divitiora mei.
Te peto, quam lecto pepigit Venus aurea nostro ;
Te prius optavi, quam mihi nota fores :
Ante tuos animo vidi, quam lumine, vultus ;
Prima fuit vultus nuntia fama tui.
Nec tamen est mirum, si, sicut oporteat, arcu
Missilibus telis eminus ictus, amo.
Sic placuit fatis : quæ ne convellere tentes,
Accipe cum vera dicta relata fide.
Matris adhuc utero, partu remorante, tenebar :
Jam gravidus justo pondere venter erat.

et ita contra *invenimus* illa, in quæ casu quodam incidimus. BURM.

31. *Nec me crede fretum..... Findere.* Id est, *secare, scindere.* Sic et Græci ; Homerus passim, et Appoll. Argon. IV, 770, de Iride :

Αὐτίκα δ' Ἶρις ἀπ' Οὐλύμποιο θοροῦσα,
Τέμνε, τανυσσαμένη κοῦφα πτερά.

33. *Nec venio* etc. Τὸ *veluti* suspectum est de mendo. HEINS. Et merito : omittere enim solent illas particulas, *veluti, tanquam,* Poëtæ : vide Servium ad Virgil. I, Æneid. 384. Forte scripserit :

Nec venio, ut multi, Grajas spectator ad urbes. B.

39. *Nec tamen est mirum, si, sicut oporteat* etc. Locum varie tentarunt viri docti. Micylli conjectura, *sicut oportuit,* quamvis lenitate sua se commendans, ideo probari non potest, quia sic idem bis dixisse deprehendatur Ovidius. Sequitur enim, *sic placuit fatis.* Ingeniose Douza nomen hic latere putabat amatoris fabulosi, qui ita, ut Paris, nunquam visæ puellæ amore flagrasset. Heinsius triplici ratione emendabat : *si sicut oportuit actum ;* vel, *sicut oportuit ictum :* vel, *sicut oportet ab arcu.* Postremum maxime arridet. Posses etiam hoc modo legere ac distinguere :

... Si, sicut Amoris ab arcu
Missilibus telis eminus ictus, amo.

Ceterum vers. 39 et sqq. ad 143, veteres Edd. non agnoscunt. Sed præter quam quod Ovidianus in iis color est, nec ullo modo verisimile videtur, ut tam bellam judicium Paridis describendi occasionem Naso prætermiserit, sane illa insunt in Epistola insequente, quæ dictorum versuum nonnullis unice respondere videantur. LENNEP.

40. *Telis arcu missilibus.* Hoc est, arcu emissis : et per consequens, a longe. Est autem sententia : nec mirum est, si, quemadmodum qui arcu feriuntur a longe, ita ego quoque a longe *ictus amo.* Sic enim *oportuit,* et *sic placuit fatis.* MICYL. — Paulo excussum altius.

Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
  Flammiferam pleno reddere ventre facem.
Territa consurgit; metuendaque noctis opacæ
  Visa seni Priamo; vatibus ille refert.
Arsuram Paridis vates canit Ilion igni.
  Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei.
Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
  Indicium tectæ nobilitatis erant.
Est locus in mediæ nemorosis vallibus Idæ
  Devius, et piceis ilicibusque frequens;
Qui nec ovis placidæ, nec amantis saxa capellæ,
  Nec patulo tardæ carpitur ore bovis.
Hinc ego Dardaniæ muros, excelsaque tecta,
  Et freta prospiciens, arbore nixus eram.

45. *Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni* etc. Meminit hujus quoque rei Tryphiodorus, his verbis:

Αἰ δί που ἤδη
Τίκτουσιν μογερῆς Ἑκάβης ὠδῖνες ὀνείρων.

Et Apollodorus, III, 12. CIOF.

47. *Metuendaque noctis opacæ Visa.* Hoc est, visionem sive somnium, quod per noctem opacam, hoc est obscuram, viderat. MICYL.

48. *Vatibus ille refert. Vatibus*, id est, interpretibus et conjectoribus somniorum, qui etiam *vates* dicuntur.

49. *Arsuram Paridis vates canit.* Id est, vates canunt, sive prædicant, Paridis igni Trojam conflagraturam: hoc est, facem, de qua somniarat Hecuba, significare incendium atque exitium patriæ. Est autem Prolepsis: nondum enim de Paridis nomine, aut amore, quem hic per ignem intelligo, quicquam constabat: ut qui nondum natus esset. MICYL. *Arsurum* est in editione Aldi. BURM.

51. *Forma vigorque animi.* Distichon hoc loco alienum Heinsio videtur, et in sequentem paginam rejiciendum aptius, post illa:

Regius agnoscor per fata signa puer.

Cur autem loco moveatur, nullus video.—Scaliger hic desiderari aliquot putat versus, quibus declararetur, quomodo pastoribus ad alendum traditus, fatum vitaverit. BERSM. — Mihi videtur Paris illa tantum ex historia sua memorare voluisse, quæ aliquo modo cum fatali isto amore suo aut essent, aut ipsi esse viderentur conjuncta. LENNEP.

53. *Nemorosis.* Francius malebat, *mediis nemorosæ vallibus Idæ*, ut lib. I, Artis Amat. 289.

57. *Hinc ego Dardaniæ muros.* Dardaniæ muros improprie dixit, pro Troja: alia enim Dardania, alia Troja fuit. Ceterum multa hujusmodi sunt in his versibus notata, ex quibus facile apparet, non esse γνησίους Poëtæ. MICYL. Forte, *Dardanios muros.*

Ecce pedum pulsu visa est mihi terra moveri :
Vera loquar, veri vix habitura fidem.
Constitit ante oculos, actus velocibus alis,
Atlantis magni Pleionesque nepos.
Fas vidisse fuit; fas sit mihi visa referre :
Inque Dei digitis aurea virga fuit.
Tresque simul Divæ, Venus, et cum Pallade Juno,
Graminibus teneros imposuere pedes.
Obstupui, gelidusque comas erexerat horror;
Quum mihi : « Pone metum, nuntius ales ait.
Arbiter es formæ : certamina siste Dearum;
Vincere quæ forma digna sit una duas. »
Neve recusarem, verbis Jovis imperat : et se

59. *Ecce pedum pulsu.* Ex signo adventum deorum colligit.

60. *Vera loquar, veri vix habitura.* Scribendum *veram fidem*, aut *veri fidem*, ut supra :

Accipe cum vera dicta relata fide.

Apud Maronem quoque Æn. III, 316, in codicibus nonnullis vetustis: Ne dubita, nam vera fides. HEINS.

61. *Constitit ante oculos.* Cum his et sequentibus mire conspirare Coluthum, *de Raptu Helenæ*, vers. 119 et sqq. notavit jamdudum vir in litteris græcis versatissimus Joan. Dan. LENNEP, in præclara quam adornavit carminis hujus editione. Rem quoque Lucianus lepide admodum, et festivo, quo solet, more exposuit, in Θεῶν Κρίσει.

62. *Atlantis magni, Pleïonesque nepos.* Hæc lectio melior, quam, ut quidam habent, *Atlantisque nepos, Pleïonesque nepos.* Tametsi enim figuram captarunt, qui sic legunt: est tamen inepta affectatio. Intelligit autem Mercurium, cujus mater Maia fuit, filia Atlantis et Pleïones.

63. *Fas vidisse.* Hunc vers. Slichtenhorstius et Francius parenthesi includendum censebant : solemnem vero hanc in occursu Deorum precationem illustravit Lipsius, ad illa Senec. Epist. CXV : *Ut fas sit vidisse tacitus precatur.* BURM.

64. *Inque Dei digitis aurea virga fuit.* Alludit ad descriptionem Virgilii Æn. IV, 242 : qui virgam hanc Mercurio tribuit.

68. *Pone metum..... arbiter es formæ* etc. Verbatim fere ex Ovidio Coluthus, vel qui sub ejus nomine carmen haud illepidum *de Raptu Helenæ* scripsit. V, 125 :

Τάρβος ἀποῤῥίψας, καὶ πώια καλὰ μεθήσας,
Δεῦρο θεμιςεύσεις ἐπουρανίοισι δικάζων.
Δεῦρο διακρίνων προφερίςερον εἶδος ἀπωπῆς,
Φαιδροτέρῃ τάδε μᾶλον, ἐπήρατον ἔρνος, ὀπάσσαις.

69. *Certamina siste Dearum. Siste* dixit, pro, compone, et fini. *Certamina* autem pluraliter, pro certamen, κατ' ἐναλλαγήν. MICYL.

Protinus ætherea tollit in astra via.
Mens mea convaluit, subitoque audacia venit;
Nec timui vultu quamque notare meo.
Vincere erant omnes dignæ; judexque verebar,
Non omnes causam vincere posse suam.
Sed tamen ex illis jam tunc magis una placebat:
Hanc esse ut scires, unde movetur amor.
Tantaque vincendi cura est! ingentibus ardent
Judicium donis sollicitare meum.
Regna Jovis conjux; virtutem filia jactat;

75. *Judexque verebar* etc. Vere et eleganter Heinsius; *querebar.* Quum enim, ipso judice, *vincere erant omnes dignæ*, hujus peragendi a se judicii conditionem Paris *querebatur.* Unde apud Lucianum, Dial. citat: δοκῶ δ' ἄν μοι καλῶς δικάσαι, πάσαις ἀποδοὺς τὸ μῆλον. — πῶς οὖν οὐ χαλεπή — ἡ κρίσις.

76. *Non omnes causam vincere posse suam.* Versus otiosus; nam si omnes dignæ erant, quæ vincerent, cur metuebat, aliquas causam suam obtinere non posse? Micyl. Scribe *causa sua. Vincere* enim *causa* Latinum est, et *tenere causam*, non *vincere causam.* Noster in Amoribus lib. III, El. XIV:

Et si non causa, judice vince tuo. Heins.

— Non tamen audeo adhuc damnare locutionem illam, *causam vincere*, quum et *bellum vincere*, æque ac *bello* et *armis* dicatur: vide ad Vellej. Paterc. II, 55. Francius volebat, *causam posse tenere suam;* sed hoc est pro arbitrio emendare. Ceterum cavillatio est Micylli: si enim non omnes dignæ fuissent vincere, minime dubius et sollicitus fuisset Paris; sed inter pares forma unam præferre, hoc timidum et incertum faciebat. Burm.

78. *Hanc esse ut scires, unde movetur amor.* Sensus est: Una me præter ceteras movebat: ex quo facile posses scire, eam esse, quæ amori præesset, hoc est Venerem: neque enim tam facile alias *movisset.* Mic.

79. *Ingentibus ardent Judicium donis sollicitare. Ardent:* hoc est, vehementer cupiunt et student. *Sollicitare*, id est, labefactare, et corrumpere judicem.

81. *Regna Jovis conjux* etc. Sic Juno ipsa apud Coluth. 145, sqq:

Εἴ με διακρίνων προφερέςερον ἔρνος ὀπάσσῃς,
Πάσης ἡμετέρης Ἀσίης ἡγήτορα θήσω.
Ἔργα μόθων ἀθέριζε· τί γὰρ πολέμων βασιλῆϊ;
Κοίρανος ἰφθίμοισι καὶ ἀπτολέμοισι κελεύει.
Οὐκ ἀιεὶ θεράποντες ἀριςεύουσιν Ἀθήνης·
Ὠκύμοροι θνήσκουσιν ὑποδρηςῆρες Ἐνυοῦς.

— *Virtutem filia jactat.* Id est Minerva, quæ Jovis filia, virtutem bellicam præ cæteris jactat: his scilicet apud eumdem verbis; 136:

Δεῦρο τέκος Πριάμοιο, Διὸς παράκοιτιν ἐάσας,
Καὶ θαλάμων βασίλειαν ἀτιμήσας Ἀφροδίτην,
Ἠνορέης ἐπίκουρον ἐπαινήσειας Ἀθήνην.

Ipse potens dubito fortis an esse velim.
Dulce Venus risit : « Nec te, Pari, munera tangant
Utraque suspensi plena timoris, ait.
Nos dabimus quod ames : et pulchræ filia Ledæ
Ibit in amplexus, pulchrior ipsa, tuos. »
Dixit : et ex æquo donis formaque probata,
Victorem cælo rettulit illa pedem.
Interea, credo, versis ad prospera fatis,
Regius agnoscor per rata signa puer.
Læta domus, nato per tempora longa recepto ;
Addit et ad festos hunc quoque Troja diem.

Φασί σε κοιρανέειν, καὶ Τρώϊον ἄχυ φυλάσσειν·
Δεῦρό σι τειρομένοισι σαόπτολιν ἀνδράσι θήσω,
Μήποτέ σοι βαρύμηνις ἐπιβρίσειεν Ἐνυώ.

83. *Nec te, Pari, munera tangant utraque.* Utraque munera, hoc est, regna, quæ Juno promittit : et virtus bellica, quæ a Pallade proponitur. Micyl.— Ibid. 157, sqq :

Δέξεο, καὶ πολέμων ἐπιλήθεο· δέχνυσο μορφὴν
Ἠμετέρην, καὶ σκῆπτρα, καὶ Ἀσίδα κάλλιπε γαῖαν.
Ἔργα μάθων οὐκ οἶδα· τί γὰρ σακέων Ἀφροδίτῃ ;
Ἀγλαΐῃ πολὺ μᾶλλον ἀριζήσουσι γυναῖκες.
Ἀντὶ μὲν ἠνορέης ἱρατείνην παράκοιτιν ὀπάσσω·
Ἀντὶ δὲ κοιρανίης, Ἑλένης ἐπιβήσεο λέκτρων.

86. *Pulchrior ipsa.* Male Micyllus et Bersm. ediderunt *pulchrior illa*, ut et Aldus in priore editione ; et perperam Douza probat, ex illis Propertii II, Eleg. VI, 12 :

Tibia funesta tristior illa tuba.

Concinnior erit lectio, si *probatis* reponas. Sic infra 203 :

... Collatis forma Menelaus et armis. H.

87. *Ex æquo donis* etc. *Donis*, Helena, quæ dono promissa ; *formaque*, Veneris scil. pulchritudine.

88. *Victorem cælo rettulit illa pedem.* Hoc est, rediit in cælum victrix, parta victoria. *Rettulit inde pedem*, volebat Francius : vid. ad Epist. XIV, 24.

89. *Versis ad prospera fatis.* Diis jam meliora de me statuentibus. M. — *Sero versis ad prospera fatis.* Haud inelegans conjectura est Medenbachii Wakkeri.

90. *Per rata signa.* Hic Douza volebat inserere distichon illud, quod supr. V, 51 : *Forma vigorque* etc. Quid vero ad rem perturbatio hæc ?

91. *Per tempora longa.* Lege, *post tempora longa recepto.* Heins. Ita et Douza et Francius : sed *per tempora* recte. Burm.

92. *Addit et ad festos.* Hoc est, eumque diem, quo agnitus fui, pro festo celebrant. *Addidit ad* margo Micyll. et Bersm. *festas* Palat. : et tunc *hanc* legendum esset. Elegans vero locutio *addere ad*, qua et usus Sueton. Cæs. 24 : *Ad legiones, quas a Repub. acceperat, alias addidit.* Calig. 40 :

Utque ego te cupio, sic me cupiere puellæ;
Multarum votum sola tenere potes.
Nec tantum regum natæ petiere ducumque;
Sed Nymphis etiam curaque amorque fui.
At mihi cunctarum subeunt fastidia, postquam
Conjugii spes est, Tyndari, facta tui.
Te vigilans oculis, animo te nocte videbam;

Additumque ad caput legis; ubi frustra Heinsius volebat, *additumque id capiti.* Plaut. Cistel. II, III, 45. *Suas ad meas miserias addet;* et ita frequenter etiam Julius Cæsar. BURM.

94. *Multarum votum sola tenere potes.* Hoc est, me, quem tam multæ aliæ cupierunt et *optarunt*, tu sola frui potes. MICYL.

96. *Sed Nymphis etiam* etc. Nam ab Œnone amatus est, ut vidimus, dum in sylvis et inter pastores adhuc degeret. Facit autem procorum more, qui, dum ambiunt puellas, omnia sua prædicant et extollunt. Ita hic quoque pluraliter *natas ducum et regum*, et *nymphas* nominat, a quibus expetitus fuerit: quum alias de sola Œnone ex nymphis, et de Arisba Meropis filia Lesbia, de qua Stephanus meminit, legatur. IDEM. — *Curaque amorque fui.* Post hunc versum Palatinus et veteres editiones addunt:

Quas super Œnonen facies mutarer in orbem;
Nec Priamo est ad te dignior ulla nurus.

Quos Ovidianos esse versus non dubito; sed prior est mendosissimus, ac proinde uterque a nuperis editionibus jussus exulare, ni fallor: idque pessimo exemplo. Posteriori legendum *a te.* HEINS. — Conjiciebat V. Cl. Lennep.:

Quas super (Nymph.) Œnone (facies nec talis in orbe)
Nec Priamo etc.

Locum hunc corruptissimum, ideoque ab initio sæculi decimi sexti constanter ab editoribus repudiatum, ita quoque tentabat sanare doctiss. V. Eusinger: « Consentaneum, inquit, erat Œnones mentionem a Paride, in Epistola ad Helenam scripta, ita fieri, ut eam a se desertam esse non simpliciter confiteretur; sed ut perfidiæ crimen causæ probabilis aliquo commento dilueret. Et talè quid hic scriptum fuisse declarant respondentis Helenæ verba, Epist. sqq., v. 195:

Tu quoque, dilectam multos, infide, per annos,
Diceris Œnonen destituisse tuam.
Nec tamen ipse negas etc.

Inde conjiciebam sic versum, aut non multum dissimili modo, posse restitui:

Quas super Œnonæ faciens, mutabar in urbem.

Hæc ita composita significant, Paridem, quum præ cæteris Nymphis, Œnonæ faveret, vitam urbanam cum pastoritia; aulam cum rure permutasse; ideoque vitæ genus relictum, relinquendæ conjugis causam fuisse. » Sic Eusinger, cujus ad conjecturam facere videntur quæ prius: *Regius agnoscor.... puer* etc., et quæ ipsi Paridi Œnone, Epist. V, 79:

An quum pauper eras, armentaque pastor agebas etc.

Nec deerunt tamen, qui ingeniosiorem Lennepii emendationem sane prætulerint.

Lumina cum placido victa sopore jacent.
Quid facies præsens, quæ nondum visa placebas?
Ardebam, quamvis hinc procul ignis erat.
Nec potui debere mihi spem longius istam,
Cærulea peterem quin mea vota via.
Troia cæduntur Phrygia pineta securi,
Quæque erat æquoreis utilis arbor aquis:
Ardua proceris spoliantur Gargara silvis,
Innumerasque mihi longa dat Ida trabes.
Fundatura citas flectuntur robora naves:

100. *Victa.* Francius malebat, *vincta.* Vid. ad XI, Metam. 238.

101. *Facies.* Scribe, *quid faceres?* jam enim viderat Helenam; vel *facias*, ut sæpe Noster. HEINS.

102. *Ardebam, quamvis hinc procul* etc: Puto *hinc procul*, hoc est, procul a me, et *eras*; ut per *ignem*, Helenam, amores suos, intelligat. Am. II, Eleg. XVI, v. 11:

At *meus ignis* abest: verbo peccavimus uno.
Quæ movet ardores est procul, ardor adest.

Virgilius, III Eclog. 66:

At mihi sese offert ultro *meus ignis* Amyntas. H.

103. *Nec potui debere mihi spem longius istam.* Nec potui spem istam, amoris potiundi, longius differre. M.

105. *Troia pineta.* In hoc scelus erat, quia illa sacra Deûm matri Cybelæ. Statius V, Achil. 60.

Ille Phrygas lucos, Matris penetralia, cædit
Turrigeræ, vetitasque solo procumbere pinus
Præcipitat; terrasque freto delatus Achæus
Hospitis Atridæ spoliat thalamos. BURM.

107. *Ardua Gargara.* Gargara generaliter τὸ ἄκρα, hoc est, summitates montium, sive vertices dicuntur. Sed hoc loco de parte Idæ montis australi accipiendum, quæ proprie hoc nomine appellatur: in cujus radicibus et oppidum ejusdem nominis fuit, cujus ager frugibus fertilis fuit: de quo idem Poeta lib. I, Art. Am. 57:

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

Dicta autem Gargara, a Gargaro Jovis et Larissæ filio. — *Spoliantur.* Eleganter; unde *nudi montes* sæpe dicuntur.

108. *Longa dat Ida trabes.* Id est arbores, ex quibus *trabes* navium fiunt. Idam autem *longam* vocat a positu: longa enim per totam Phrygiam extenditur: aliis atque aliis nominibus passim appellatur. Vel si mavis, accipe improprie *longam*, pro alta: tanta autem altitudo hujus montis, ut eodem tempore vestigia orientis solis, et ejus, qui modo occiderit, in vertice videre liceat, ut quidem Mela auctor est. MICYL. —Non hoc Mela, I, 18; sed, a media jam nocte spargi ignes passimque micare; et ut lux appropinquat, ita coire ac se conjungere videri, donec magis, magisque collecti pauciores subinde, et una ad postremum flamma ardeant etc. —Frustra hæc omnia; transmisso etenim a trabibus *longis*, ad ipsum montem epitheto, venia utitur Naso, quam poetis libenter concedimus.

Texitur et costis panda carina suis.
Addimus antennas, et vela sequentia malos:
Accipit et pictos puppis adunca Deos.
Qua tamen ipse vehor, comitata Cupidine parvo,
Sponsor conjugii stat Dea picta sui.
Imposita est factæ postquam manus ultima classi,
Protinus Ægæis ire jubebar aquis;
Et pater et genitrix inhibent mea vota rogando,
Propositumque viæ voce morantur iter.
Et soror effusis, ut erat, Cassandra capillis,
Quum vellent nostræ jam dare vela rates:
Quo ruis? exclamat; referes incendia tecum:
Quanta per has, nescis, flamma petatur aquas.
Vera fuit vates; dictos invenimus ignes:
Et ferus in molli pectore flagrat amor.

111. *Vela sequentia malos.* De malis pendentia.

113. *Qua tamen ipse vehor.* Ita quidem vulgo legitur: ego vero malim, *Qua tunc ipse vehor;* quid enim faciat hoc loco adversativa *tamen*. Micyl. Nihil muta: reliquæ naves suos quæque Deos accipiunt; sed mea Venerem et Cupidinem. Est ergo *tamen* pro *sed* positum; et excipit suam navem a reliquis. Burm.

114. *Sponsor conjugii sui.* Sententia est: Dea, quæ mihi conjugium tuum spopondit, stat picta cum Cupidine parvo: ac nota *sponsorem* feminino genere poni de Venere, quemadmodum v. Fast. 192, de eadem Dea idem Poëta dixit:

Optima tu proprii nominis *auctor* eris. M.

— *Tui*, Naugerius. Sed nihil temere muto: *suum conjugium*, quod illa (Venus) promiserat. Heins. — *Comitata* vero *Cupidine parvo* etiam occurrit lib. II, Fastor. 463. Burm.

116. *Ægeis ire jubebar aquis.* Priscæ editiones *jubebat*. Scribe *lubebat* vel *juvabat*: nam hæc duo verba sæpe confunduntur in libris vetustis. Heins. Ego nihil muto. *Jubebar* scilicet a *Venere sponsore*, qua duce et auspice, ingressum se mare ait. *Jubebat* erat in Veneta una editione. Burm.

118. *Propositum viæ iter.* Pleonasmus: nam satis fuerat dicere, *propositum iter.* Micyl. Repone meo periculo, *pia voce*. H. Periculosius.

119. *Et soror effusis, ut erat, Cassandra capillis* etc. De Cassandra satis superque, superioribus Epist.

120. *Cum vellent nostræ jam dare vela rates.* Illud *nostræ* friget hoc loco. Rectius legatur *properæ*. Vel:

Quum vellem nostræ jam dare vela rati. H.

123. *Dictos ignes. Dictos*, id est prædictos a vate.

124. *Et ferus.* Puto, *en ferus*; vel, *efferus*. Heins.

Portubus egredior; ventisque ferentibus usus
  Applicor in terras, Œbali Nympha, tuas.
Excipit hospitio vir me tuus : hoc quoque factum
  Non sine consilio numinibusque Deum.
Ille quidem ostendit, quidquid Lacedæmone tota
  Ostendi dignum, conspicuumque fuit.
Sed mihi laudatam cupienti cernere formam,
  Lumina nil aliud quo caperentur erat.
Ut vidi, obstupui; præcordiaque intima sensi
  Attonitus curis intumuisse novis.
His similes vultus, quantum reminiscor, habebat,
  Venit in arbitrium quum Cytherea meum.
Si tu venisses pariter certamen in illud,
  In dubium Veneris palma futura fuit.

125. *Ventis ferentibus.* Hoc est secundis, et a tergo sequentibus.

126. *Applicor in terras.* Francius malebat, *ad terras.* — *Œbali Nympha.* De Helena et Laconica dictum accipio; ac Nympham pro puella generaliter poni puto. *Œbalidem* autem vocat, ab Œbalo, Argali vel Cynortæ filio, qui uxorem duxit Gorgophonem Persei filiam, ex qua Hippocoonta, Tyndarum et alios suscepit.

127. *Hoc quoque factum* etc. Conjecerat Heinsius, *concilio:* sed nihil mutandum : *consilium* enim hic voluntatem et mentem Deorum notat.

131. *Laudatam.* Potest explicari, a Venere mihi laudatam et commendatam; sed magis est, ut in genere notet pulcherrimam. Burm.

133. *Ut vidi, obstupui.* Francius volebat, *ut vidi, ut stupui.* Vid. ad Epist. XII, 133; et XIII, 89.

134. *Curis intumuisse novis.* Forte *indoluisse*, vel *intepuisse.* Nam Micylli illud *intumuisse* parum placet. Heins. Neque in Micylli notis, neque textu illud *intumuisse* repperi : quod tamen impense placet, præ reliquis : in affectionibus enim vehementioribus *tumere* pectus, præcordia etc. passim poetæ fingunt. Vide ipsum Heinsium ad Valer. Flac. II, 108. Sic Noster II, Metam. 508: *Intumuit* Juno.

Et IV, Pont. XIV, 34:

Intumuit vati nec tamen Ascra suo. Burm.

—Recte hic Burmann. contra Heinsium tuetur locutionem hanc elegantissimam; et quæ affert exemplis, Ciceronis locum poterat addere, qui sic, Tuscul. Quæst. III, 31 : « Nos omnia in consolationem unam conjecimus; erat enim *in tumore animus.*

136. *Venit in arbitrium* etc. Hoc est, ipsa Venus, quum stetit ante me judicem nuda : ita enim fabula traditur. *Cytherea* autem Venus dicitur a Cytheris, apud quam insulam primum e mari emersit, ut Hesiodus auctor est, Theog. 192. Micyl.

138. *In dubium. In dubio* malit Micyllus. Ego ἀρχαϊσμὸν hunc non

Magna quidem de te rumor præconia fecit,
  Nullaque de facie nescia terra tua est,
Nec tibi par usquam Phrygiæ, nec solis ab ortu
  Inter formosas altera nomen habet.
Credis et hoc nobis? minor est tua gloria vero:
  Famaque de forma pæne maligna tua est.
Plus hic invenio, quam quod promiserat illa:
  Et tua materia gloria victa sua est.
Ergo arsit merito, qui noverat omnia, Theseus:
  Et visa es tanto digna rapina viro:
More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
  Ludis, et es nudis femina mixta viris.
Quod rapuit, laudo: miror, quod reddidit unquam;
  Tam bona constanter præda tenenda fuit.

temere loco moveam, minime ignarus elegantiæ studiosos auctores *in* cum casu quarto frequenter conjunxisse, loco sexti. Exempla passim obvia. HEINS.

141. *Nec tibi par usquam Phrygiæ.* Lego, *Phrygia*, hoc est in Phrygia. Ante, *Phrygiam* legebatur. Quod imperitissime defendit ad Silium Dausquejus, p. 231. *Usquam Phrygiæ* Naugerii conjectura est. Sed vix persuadet, *usquam Phrygiæ*, ut *usquam locorum*, Latine posse dici: forte etiam melius, *primo nec solis ab ortu*. HEINS. Francius conjecerat: *Par omni in Phrygia*; ego, *usquam Phrygia*, recte legi hic puto; debet enim præpositio *a* repeti a sequentibus. BURM. — *Nec tibi par usquam Phrygiæ, nec solis ab ortu* etc. Non possum quin lepidissimos huc Theocriti versus adferam, ex Idyllio XVIII, vers. 26, quod *Helenæ Epithalamium* inscribitur:

Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον,
Πότνια νὺξ ἔτι, λευκὸν ἔαρ, χειμῶνες ἀνέντος·
Ὥδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετ' ἐν ἁμῖν,
Πιέρα, μεγάλα. κ. τ. λ.

143. *Credis et hoc nobis?* Magis arridet, quod ex veteribus codicibus adfertur; *crede sed hoc nobis*. DAN. HEINS. Nunc denuo veterum librorum opem advocemus, qui ab hoc versu denuo nobis adsunt. *Credis et hæc* tres scripti. Barberin. *Credis ad hæc*. Lego, *crede sed hoc*. HEINS.

145. *Plus hic invenio. Inveniat*, Codex Leidensis; forte, *invenias*: amat enim Noster secunda persona loqui. Vid. infr. 174. *Promiserit*, etiam tres libri. IDEM.

149. *More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra Ludis. Madida* Scriverii, quæ est glossa; sed *nitidam* proprie dixit, quia luctatores oleo nitebant. lib. V, Fast. 667:

Læte lyræ pulsu, *nitida* quoque læte palæstra.

Et Horat. II, Od. 12: *Nitidas puellas*, vocat oleo perfusas. BURM.

Ante recessisset caput hoc cervice cruenta,
Quam tu de thalamis abstraherere meis.
Tene manus unquam nostræ dimittere vellent?
Tene meo paterer vivus abire sinu?
Si reddenda fores, aliquid tamen ante tulissem :
Nec Venus ex toto nostra fuisset iners.
Vel mihi virginitas esset libata; vel illud,
Quod poterat salva virginitate rapi.
Da modo te; Paridi quæ sit constantia nosces.
Flamma rogi flammas finiet una meas.
Præposui regnis ego te, quæ maxima quondam
Pollicita est nobis nupta sororque Jovis;
Dumque tuo possem circumdare brachia collo,
Contemta est virtus, Pallade dante, mihi.

153. *Recessisset.* Imitationem esse illius Propertiani, II, VI, 7, notavit Douza :

Nam citius paterer caput hoc discedere collo.

155. *Tene manus unquam nostræ dimittere vellent. Dimittere ferrent*, scribam libenter, si per codices antiquos detur. Metam. XIII, vers. 460, ex optimis codicibus :

Scilicet aut ulli servire Polyxena *ferrem.*

Pro quo similiter *vellem*, vulgo legebatur. HEINS.

157. *Ante tulissem. Inde* Oxon. : venuste. — Judice quidem Burm.

160. *Rapi. Dari*, Hafniensis; quæ vox Venerea nostro passim. In Douzæ codice erat, *quo potui salva virginitate frui :* non male, si *poteram* legatur. BURM.

161. *Da modo te, quæ sit Paridis constantia* etc. Lege et distingue :

Da modo te; Paridi quæ sit constantia nosces.

Sic infra. *Da modo te facilem;* neque aliter Slichtenhorstius legebat ex Terentii Adel. V, III, 52 : *Da te hodie mihi;* et Heaut. IV, III, 10 : *Age, da te mihi vicissim.* — *Paridi* est in Barberiniano. HEINS. *Paridi*, etiam Bersmann.

163. *Præposui regnis ego te.* Ex hoc quoque et sequentibus versibus colligunt, illos supra notatos adscititios aliunde esse. Nam quorsum attinebat, inquiunt, hic denuo eorum munerum, quæ a Junone et Pallade proposita fuerant, meminisse, quum supra eadem res tot versibus fuerit tractata? Proinde si hic locus poetæ γνήσιος est, ut quidem nemo dubitat, necesse est, superiorem illum supervacaneum, et aliunde insertum esse. MICYL.

164. *Pollicita est nobis.* Francius illud, *nobis nupta*, κακόφωνον censebat : et ideo conjiciebat, *magni nupta sororque Jovis.* — Quid non, ea lege, apud poetas, immutandum?

165. *Dumque tuo. Utque tuo*, Douza.

166. *Contemta est virtus, Pallade dante, mihi.* Post hunc versum in scriptis quibusdam ac veteribus editis nonnullis, hoc sequitur distichon :

Nec piget; aut unquam stulte elegisse videbor:
Permanet in voto mens mea firma suo.
Spem modo ne nostram fieri patiare caducam,
Te precor, o tanto digna labore peti.
Non ego conjugium generosæ degener opto:
Nec mea, crede mihi, turpiter uxor eris.
Pleiada, si quæras, in nostra gente, Jovemque
Invenies, medios ut taceamus avos.

Quum Venus et Juno, Pallasque in vallibus Idæ
Corpora judicio supposuere meo.

Sed a Puteaneo, melioribusque aliis codd. abesse notavit Heinsius. «Tollendum est, inquit; quum enim judicium suum luculentis versibus paulo ante copiose exposuerit, quid opus ejusdem rei denuo meminisse?» Sentias idem necesse est de altero hoc disticho, quod in codice Douzæ legebatur:

Primaque quum regnum, belli daret altera laudem;
Tertia, conjugii laude frueris, ait.

167. *Stulte elegisse videbor. Legisse* Puteaneus et quinque alii; quod versum utique molliorem præstat. *Legere*, pro eligere. Ex Moreti et duobus aliis mallem, *fatebor;* quod cum sequentibus melius cohæret: eadem varietas observatur in codicibus lib. VII, Met. 33:

Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor.

168. *Mens mea firma. Et manet in voto mens mea certa,* Lovaniensis, ut Epist. XVIII, 38:

Quid mecum certa prælia mente geris?

Posset et, *mens mihi.* Vide Epist. XIII, 148. BURM.

170. *Te precor, o tanto digna labore peti.* Ita editur ex libro Vaticano. Nostri cum reliquis, *deprecor.* Heinsii conjecturam *ne precor*, refellit Gesnerus, ad Claud. XV, 287. EUSING. — *Deprecor.* Nisi illud *te* magis efflagitare sequentia viderentur, equidem verbo simplici præferrem. Est enim frequens apud Nostrum *deprecor*, sequente particula *ne.* Quamvis enim Forcellinus aliique verbum hoc propria et primaria significatione idem valere censeant ac *valde precor*, ita ut præpositio *de* tantummodo significationem precandi augeat; ex ipsis quidem accuratius inspectis, collatisque inter se veterum auctorum locis potius hoc efficitur, cum verbo *deprecor* necessario conjunctam esse, nisi mentionem, certe cogitationem mali alicujus, quod *precando* demere, sive amoliri quis cupiat. Sed interdum quoque, quod Forcellino aliisque fraudi fuit, mali mentio post verbum *deprecor* omittitur; contra sequitur diserta mentio boni alicujus: ut sunt frequentissima, *deprecari vitam, pacem, fortunam incolumem.* Tum vero semper subest tamen cogitatio mali, seu discriminis, in quod bonum illud, quod quis *deprecari* dicitur, adductum est. LENNEP.

173. *Pleiada si quæras.* Electram designat, unam e septem Pleiadibus, ex qua Dardanum Jupiter suscepit, a quo originem Trojani et ipsum nomen ducebant.

174. *Medios avos.* Erichthonium scilicet, Troem, Ilum, Assaracum,

Sceptra parens Asiæ, qua nulla beatior ora,
Finibus immensis vix obeunda, tenet.
Innumeras urbes, atque aurea tecta videbis:
Quæque suos dicas templa decere Deos.
Ilion adspicies, firmataque turribus altis
Mœnia, Phœbeæ structa canore lyræ.
Quid tibi de turba narrem numeroque virorum?
Vix populum tellus sustinet illa suum.
Occurrent denso tibi Troades agmine matres:
Nec capient Phrygias atria nostra nurus.
O quoties dices: quam pauper Achaia nostra est!
Una domus quævis urbis habebit opes.
Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere vestram.
In qua tu nata es, terra beata mihi est.
Parca sed est Sparte: tu cultu divite digna.
Ad talem formam non facit iste locus.
Hanc faciem largis sine fine paratibus uti,
Deliciisque decet luxuriare novis.
Quum videas cultum nostra de gente virorum;
Qualem Dardanidas credis habere nurus?
Da modo te facilem: nec dedignare maritum,

Capyn, et reliquos, qui *medii*, ab Jove, ad ipsum Pariden.

180. *Structa. Facta*, Oxon. et Reg.

181. *De turba. De turbis.* Francof.

183. *Denso tibi Troades agmine.* Leid. et Scriverii, *ordine*; quæ perpetua fere librariorum est aberratio.

186. *Una domus quævis. Quasvis*, Gottorph. bene; nisi *quamvis* malis: forte etiam *orbis*, pro *urbis*. HEINS. *Quamvis* est in Francof. quod malebat etiam Francius; est vero imitatio Euripidis ex Oreste, 1120:

Ὡσθ' Ἑλλὰς αὐτὴ σμικρὸν οἰκητήριον.

194. *Quales Dardanias credis habere nurus. Qualem*, meliores cum primis editionibus; quare et superiori versu *cultum* lege, cum tribus scriptis. Deinde *Dardanidas* multæ membranæ. *Dardanidum matres*, Maroni v, Æneid. et *Dardanides rates*. Remed. Amor. 58, ex optimis membranis. HEINS.

195. *Da modo te facilem: nec dedignare maritum* etc. Sic quoque Paris Coluthæus, 289:

Δεῦρο γάμον χεράσωμεν, ἐπὶ Κυθέρεια κελεύει.
Μή μι καταιτχύνειας, ἐμὴν καὶ Κύπριν ἐλέγξῃς.

Rure Therapnæo nata puella, Phrygem.
Phryx erat, et nostro genitus de sanguine, qui nunc
Cum Dîs potando nectare miscet aquas.
Phryx erat Auroræ conjux : tamen abstulit illum
Extremum noctis quæ Dea finit iter.
Phryx etiam Anchises, volucrum cui mater Amorum
Gaudet in Idæis concubuisse jugis.
Nec, puto, collatis forma Menelaus et annis,
Judice te, nobis anteferendus erit.
Non dabimus certe socerum tibi clara fugantem
Lumina, qui trepidos a dape vertat equos.
Nec pater est Priamo soceri de cæde cruentus;
Et qui Myrtoas crimine signet aquas.
Nec proavo Stygia nostro captantur in unda
Poma, nec in mediis quæritur humor aquis.

196. *Rure Therapnæo nata.* Dicta sic Helena, a Therapne, Laconiæ urbe, Spartæ vicina, in Eurotæ sinistra ripa. Mela, II, 3. Pausan. in Lacon. 14, 20. — *Phrygem.* Hanc invidiam deprecari debebat, ne obstaret amori suo gentis vilitas : maxime enim Græci Phrygas despiciebant, ut ex proverbiis pluribus constat. Codices vero quidam, *Theramnæo*, habent, ut et apud Statium III, Theb. 422, et VII, 793; variat scriptura. Sic et *Pollucem* Apollon. lib. II, 163, vocat, κλεῖον Θεραπναῖον Διὸς υἷα.

198. *Cum Dis potando.* Lege ex decem codicibus :

Cum Dis potandas nectare miscet aquas. H.

Francius conjiciebat, *Potandas divis* (vel *superis*) *nectare miscet aquas.*

203. *Collatis forma Menelaus et annis.* Francofurtensis, Lovanienses duo, Douzæ et aliquot alii, *collatus*, ut et editiones quædam veteres, quod nescio an temere repudiandum. Certe II, Am. XVII, 13, dixit:

Collatam idcirco tibi me contemnere debes.

Stat. VII, 734, quamvis paulum alia significatione :

... Fas et mibi spernere Phœbum,
Si tibi collatus Divum sator.

Ubi notat, tibi comparatus certavit: *in annis* vero, multi codices. B.

205. *Non dabimus certe socerum tibi* etc. Atreum tangit, Menelai patrem, qui Solem retro fugere coegit, ne cœnæ interesset, cui Thyestæ natos adposuerat comedendos. Nota fabula.

208. *Et qui Myrtoas crimine signet aquas.* Pelopen signat, qui Myrtilum, Hippodamiæ aurigam, cujus ope Œnomaum vicerat, in mare dedit præcipitem, quia perfidiæ pretium ab eo postulaverat.

209. *Stygia captantur in unda. Stygias in undas*, Moreti. *Captentur*, Francof. — Capienda certe, quæ sic caperetur.

Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis?
Cogitur huic domui Jupiter esse socer.
Heu facinus! totis indignus noctibus ille
Te tenet; amplexu perfruiturque tuo.
At mihi conspiceris, posita vix denique mensa;
Multaque, quæ lædant, hoc quoque tempus habet.
Hostibus eveniant convivia talia nostris,
Experior posito qualia sæpe mero.
Pœnitet hospitii, quum, me spectante, lacertos
Imposuit collo rusticus iste tuo.
Rumpor, et invideo, quid enim tamen omnia narrem?
Membra superjecta quum tua veste fovet.
Oscula quum vero coram non dura daretis;
Ante oculos posui pocula sumta meos.
Lumina demitto, quum te tenet arctius ille:
Crescit et invito lentus in ore cibus.
Sæpe dedi gemitus: et te, lasciva, notavi
In gemitu risum non tenuisse meo.
Sæpe mero volui flammam compescere; at illa
Crevit; et ebrietas ignis in igne fuit.
Multaque ne videam, versa cervice recumbo;

211. *Quid tamen hoc refert.* Frustra codices multi, *hæc refero*, vel *referam*.

220. *Imponit collo. Imposuit* scripti quidam et primæ editiones: præterea *rusticus iste*, Puteaneus: probe; nam τὸ iste contemtum præ se fert. Sic Ajax, lib. XIII. Met. quoties loquitur de Ulysse, fere semper subjungit *Iste*. HEINS.

221. *Quid nunc tamen omnia narrem.* Prima editio, cum Puteaneo et aliis tribus, *quid nam tamen*. In Puteaneo tamen vetus lectio penitus abrasa: reliqui maxima ex parte, *quid non tamen*: quatuor, *quid tamen omnia narrem*, omissio τῷ *nunc*. Mentelianus et unus Vossii, *quid enim non*. Argentinensis, *quid n. tamen;* hoc est, *quid enim tamen*. Sequor. Stat. IV, Achil. 60:

... Metuam quid enim tibi cuncta fateri?

Nisi malis, *quid ni tamen*. Nam Jureti excerpta *quid ne*. IDEM.

226. *Crescit et invito lentus in ore cibus*. Juvenalis, Sat. XIII, 212:

... Interque molares
Difficili *crescente* cibo. HEINS.

Senec. Ep. LXXXII; *non in ore* crevit *cibus, non hæsit in faucibus*.

231. *Versa.* Liber Leidensis, *flexa;* ut statim, 239: *ora reflexi*.

Sed revocas oculos protinus ipsa meos.
Quid faciam, dubito : dolor est meus illa videre;
Sed dolor a facie major abesse tua.
Qua licet et possum, luctor celare furorem :
Sed tamen apparet dissimulatus amor.
Nec tibi verba damus : sentis mea vulnera, sentis;
Atque utinam soli sint ea nota tibi!
Ah! quoties, lacrimis venientibus, ora reflexi,
Ne causam fletus quæreret ille mei!
Ah! quoties juvenum narravi potus amores,
Ad vultus referens singula verba tuos!
Indiciumque mei ficto sub nomine feci;
Ille ego, si nescis, verus amator eram.
Quin etiam, ut possem verbis petulantibus uti,
Non semel ebrietas est simulata mihi.
Prodita sunt, memini, tunica tua pectora laxa,
Atque oculis aditum nuda dedere meis;
Pectora vel puris nivibus, vel lacte; tuamque
Complexo matrem candidiora Jove.
Dum stupeo visis, nam pocula forte tenebam,

235. *Qua licet et possum.* Helmaestadiensis, *ut possum,* non male, id est, quantum possum. Heins. Pro *luctor,* quidam editi et scripti, *nitor.*

239. *Lacrimis venientibus.* Francius volebat, *orientibus*, vel *manantibus;* perperam : lib. I, Art. 661 :

Si lacrimæ, nec enim *veniunt* in tempore semper,
Deficiunt. Burm.

241. *Ah! quoties juvenum* etc. Legere vir doctus malebat, Miscell. Observ. vol. VII, tom. II, p. 291 :

O quoties *juvenis* narravi potus amores!

Ex versu 244, certum quemdam juvenem intelligens, sub cujus persona Paris latuerit. Guelph. prim. secund. et quart. : *Ah! quotiens aliquem narravi potus amorem!* — Quia versus qui proximi sequuntur, singularem numerum vocabuli *amorem* requirere videntur, amplectitur Eusinger scripturam Guelph. tert. : *Ah! quoties juvenum narravi potus amorem!*

245. *Verbis petulantibus uti. Petulantius*, Puteaneus et reliqui plerique. Heins.

249. *Tuamque.* Francius omnino *tuamve* legendum esse censet.

250. *Jove.* Vossianus, *Cygno.* Sic et Horatius primam in *Cygno* corripit. Lucianus in *Judicio Dearum*, de Helena : Λευκὴ μὲν, οἵαν εἰκὸς ἐκ

Tortilis e digitis excidit ansa meis.
Oscula si natæ dederas, ego protinus illa
Hermiones tenero lætus ab ore tuli.
Et modo cantabam veteres resupinus amores :
Et modo per nutum signa tegenda dabam.
Et comitum primas Clymenen Æthramque tuarum
Ausus sum blandis nuper adire sonis.
Quæ mihi non aliud, quam formidare, locutæ,
Orantis medias deseruere preces.
Di facerent, magni pretium certaminis esses ;
Teque suo victor posset habere toro !
Ut tulit Hippomenes Schœneida, præmia cursus,
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus ;
Ut ferus Alcides Acheloia cornua fregit,
Dum petit amplexus, Deïanira, tuos ;

Κύκνου γεγενημένην. Burm. — *Jove* vera est lectio ; *Cycno*, quod habet Vossius, est e glossa. Lennep.

252. *E digitis excidit ansa meis.* Manifesta hic imitatio Propertii, IV, IV, 19 et 20 :

Obstupuit regis facie et regalibus armis ;
Interque oblitas excidit urna manus.

Unde confirmatur lectio hujus loci *excidit ansa.*

257. *Clymenen, Æthramque.* Menelai affines fuisse testatur Dictys Cretensis, unaque a Paride cum Helena avectas ; et post captum Ilium, sorte ducta, Demophoonti atque Acamanti Thesidis obtigisse, præmium militiæ diuturnæ ; sed Mnestheo Athenas remeanti cessisse tamen, Thesidis inde exclusis atque exulare jussis. Idem Dictys, initio libri VI, Clymenen Æthræ filiam fuisse innuit. Heins.

262. *Deseruere preces. Destiluere*, Barberinus et Vossianus. Heins.

264. *Venit ut. Venerat in*, Schott. II, Observ. cap. 53. Alii libri hunc versum sic habent : *Quæ propero cursu vicerat ante procos :* sed frustra. H. In quibusdam interjectus erat etiam alius :

Sic et tu Phrygias venies regina per urbes,
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus,

quem utrumque Bersmannus expressit ; sed subdititios videri notavit. — *Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus.* Pelopen intelligit, qui quum e Phrygia in Peloponnesum navigaret, Hippodamiam, Œnomai filiam, uxorem duxit, victoriæ præmium. — *Acheloia cornua.* Flumen ipsum Achelous, Oceani et Thetidis filius, qui, assumptis vicissim serpentis et tauri formis, cum Hercule decertavit, Dejaniræ amore captus ; victusque ab Alcide fuit. Illorum exempla Paris adducit, qui pro amore certarunt ; quos imitaturum se dicit, si Helena forte *magni pretium certaminis.* Mera hæc amatoris ostentatio.

Nostra per has leges audacia fortiter isset :
Teque mei scires esse laboris opus.
Nunc mihi nil superest, nisi te, formosa, precari;
Amplectique tuos, si patiare, pedes.
O decus, o præsens geminorum gloria fratrum;
O Jove digna viro, ni Jove nata fores!
Aut ego Sigeos repetam te conjuge portus :
Aut ego Tænaria contegar exsul humo.
Non mea sunt summa leviter destricta sagitta
Pectora : descendit vulnus ad ossa meum.
Hoc mihi, nam repeto, fore ut a cæleste sagitta
Figar, erat verax vaticinata soror.
Parce datum fatis, Helene, contemnere amorem :
Sic habeas faciles in tua vota Deos.
Multa quidem subeunt : sed coram ut plura loquamur,
Excipe me lecto, nocte silente, tuo.
An pudet, et metuis Venerem temerare maritam,

267. *Audacia fortiter isset.* Alii, *victoria.* Vossianus, *audacia fortior:* placet. H. Ita Ep. XVIII, 84; quidam:

Fortior in summas erigor altus aquas.

Ubi etiam *fortiter* vulgo. *Victoria* etiam, quod multi libri pro *audacia* habent, non temere repudiandum: ita *ire triumphus* dicitur, Epist. VII, 154, et alibi.

275. *Destricta.* Sic legendum; non *districta.* Vide amplissimi Cuperi, Observ. lib. IV, obs. 5. Stat. I, Silv. II, 79 :

Ast illum summa leviter, sic namque jubebas, Lampade, parcentes et inermi *strinximus* arcu.

Et VIII, Theb. 532 :

Qualis setigeram Lucana cuspide frontem *Strictus* aper.

Adscripsit Douza locum Senec. Contro. VII : *Ut* destricta *levi vulnere est cutis, non credas factum manu privigni; credas amatoris.* BURMANN

277. *Nam repeto. Recolo* multi ex scriptis. Mox forte legendum :

... Fore ut a cæleste sagitta *Figerer*, est verax vaticinata soror. HEINS.

— *A cæleste sagitta. Cæleste* dixit, more veterum, qui nomina, quæ auferendi casu enunciantur, in *e* efferebant, ut *mari* et *mare*. Varro Atacinus, in Argonauticis :

Cingitur Oceano, Libyco *mare*, flumine Nilo.

279. *Parce datum fatis.* Lego, *ratum fatis.* Sic Cicero, lib. VII, Ep. Famil. Gallo : *Quæ emisse te rescribis, non solum mihi* rata *erunt, sed etiam grata.* H. — Multum dubito, an ubique fas sit illud *ratum*, quod Heinsio in deliciis fuit, invitis etiam membranis, intrudere : quum altera locutio sit optima et frequens :

Fatisque *datas* non respicit urbes? VIRG....

Castaque legitimi fallere jura tori?
Ah! nimium simplex, Helene, ne rustica dicam,
Hanc faciem culpa posse carere putas!
Aut faciem mutes, aut sis non dura, necesse est:
Lis est cum forma magna pudicitiæ.
Jupiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis.
Hæc tibi nempe patrem furta dedere Jovem.
Vix fieri, si sunt vires in semine avorum,
Et Jovis et Ledæ filia, casta potes.
Casta tamen tum sis, quum te mea Troja tenebit:
Et tua sim, quæso, crimina solus ego.
Nunc ea peccemus, quæ corrigat hora jugalis:
Si modo promisit non mihi vana Venus.
Sed tibi et hoc suadet rebus, non voce, maritus:
Neve sui furtis hospitis obstet, abest.
Non habuit tempus, quo Cressia regna videret,
Aptius. O mira calliditate virum!
Ivit, et, Idæi mando tibi, dixit iturus,
Curam pro nobis hospitis uxor agas.
Negligis absentis, testor, mandata mariti:

284. *Fallere jura.* Elegantior mihi lectio Moreti codicis videtur, *solvere;* cujus glossam *fallere* credo. *Fallere* enim *fidem* recte dicitur; vid. ad Epist. VII, 18: sed *jura* melius *solvere* dicimur: ita *solvere legem.* Valer. Max. VI, Virg. II, Æn. 157: Fas mihi Grajorum sacrata *resolvere* jura. Pro *tori* multi etiam *viri.* BURM.

288. *Lis est cum forma magna pudicitiæ.* Ex Ovidio Juv. Sat. X, 297:

... Rara est adeo concordia formæ,
Atque pudicitiæ!

291. *Vix fieri, si sint vires in semine avorum. Si sunt* Puteaneus, aliique tres: pro *amorum,* decem libri, *avorum,* quod præponendum.

292. *Et Jovis et Ledæ* etc. An ille, qui modo *rusticitatis* Menelaum incusabat! v. 220. Quid hoc vero, nisi *rusticus* admodum sermo est?

295. *Nunc ea peccemus, quæ corrigat hora jugalis.* Ea committamus, quæ postea matrimonium emendabit. — *Corrigit,* multi ex scriptis. Scriver. et Moreti, *corrigat.* Bene.

299. *Cressia. Cretica,* Douzæ cod.

302. *Curam agas.* Quinque libri *habe:* sed male. Trist. lib. V, El. VII:

... Curamque futuri
Nominis, utilius quod latuisset, ago. HEINS.

303. *Mariti. Tyranni,* id est, regis, Berms. in margine; et ita plurimi scripti.

Cura tibi non est hospitis ulla tui.
Hunccine tu speres, hominem sine pectore, dotes
Posse satis formæ, Tyndari, nosse tuæ?
Falleris; ignorat: nec, si bona magna putaret,
Quæ tenet, externo crederet illa viro.
Ut te nec mea vox, nec te meus incitet ardor,
Cogimur ipsius commoditate frui.
Aut erimus stulti, sic ut superemus et ipsum,
Si tam securum tempus abibit iners.
Pæne suis ad te manibus deducit amantem:
Utere mandantis simplicitate viri.
Sola jaces viduo tam longa nocte cubili:
In viduo jaceo solus et ipse toro.
Te mihi, meque tibi communia gaudia jungant.
Candidior medio nox erit illa die.

307. *Nam si. Nec si*, veteres. H. *Num si* etc. *viro?* Francius. — *Bona summa*, excerpta Gallicana et editio Colinæi: quod convenientius Paridi, se insinuanti in amorem Helenes; et qui non *magna*, sed *summa* bona putaret, tenere Helenam. Pentametrum ita exhibent Bernensis et Lovaniensis, *Crederet externo, quæ tenet ille, viro. Quod tenet* alter Bersm.: *ille* vero plurimi habent. B.

309. *Nec te meus incitet ardor.* Argutius putabat Douza, si legamus, *Nec me tuus*, id est, amor tui; ut Propert. dixit, *desiderium meum*, pro *mei. Excitet*, plures libri.

310. *Cogimur ipsius commoditate frui.* Malim, *commoditate viri; absentis commoditate viri*, Gronovianus: probe etiam. Heins. Sed mox vers. 314, repetitur; ut et infr. Ep. XVII, 176; et II, Art. 372, quæ loca in animo habuit librarius. Nobis *frui* minime movendum videtur.

313. *Pæne suis manibus ad te deduxit amantem.* Scribe cum antiquis et melioribus:

Pæne suis ad te manibus deducit amantem.

Heins. Locutio videtur vulgi usu tritissima, etiam in aliis rebus. Val. Max. I, VIII, ext. 18: *Non magis quam quod ita silvestres capreas, Cretæ genitas, tantopere dilexerit,* (Natura) *quas sagittis confixas ad salutare auxilium herbæ dictamni, tantum non suis manibus deducit. Deducere* vero nuptiale verbum, et aptum etiam conciliaturæ.

314. *Mandantis simplicitate viri. Non vafri*, Mentelianus; et sic pro diversa lectione Puteaneus. Sed vulgata confirmant ista Helenæ, 160:

Et tibi sit curæ Troïcus hospes, ait.

Apulej. Met. IX: *Nec quidquam moratus ac suspicatus* vafer *et egregius ille maritus, accensa lucerna: Discede, inquit, frater, et otiosus, donec probe perpurgatum istud tibi repræsentem.* Ita scribendum, εἰρωνικῶς: vulgo insulse, *acer et egregius ma-*

Tunc ego jurabo quævis tibi numina; meque
Adstringam verbis in sacra jura tuis.
Tunc ego, si non est, fallax fiducia nostri,
Efficiam præsens, ut mea regna petas.
Si pudet, et metuis, ne me videare secuta,
Ipse reus sine te criminis hujus ero:
Nam sequar Ægidæ factum, fratrumque tuorum;
Exemplo tangi non propiore potes.
Te rapuit Theseus; geminas Leucippidas illi:
Quartus in exemplis adnumerabor ego.
Troia classis adest, armis instructa virisque:
Jam facient celeres remus et aura vias.

ritus, et *probe procuratum*. *Vafri* vox Horatio et Persio familiaris. HEINS.

320. *Adstringam verbis in sacra jura meis*. Scripti plerique, *tua jura, tua jussa*, vel *tua verba*. In Puteaneo vetus lectio erat erasa. *Verbis in rata jura tuis* videtur scribendum: certe in quinque scriptis legebatur, *verbis tuis: tuis verbis*, quia tu mihi præscribes jurisjurandi formulam, qua tibi addicar: hinc *jurare in alicujus verba*, sacramentum alicui dicere. Par huic jurisjurandi formula, Am. lib. III, Eleg. II, 61:

Per Superos juro testes, pompamque Deorum,
Te dominam nobis tempus in omne peti. H.

— *Meque adstringam verbis in sacra jura tuis*. Id est, obligabo tibi fidem meam sacramento, sive jurejurando, cujus formulam ipsa conceperis: *tuis* scil. *verbis*. LENNEP.

323. *Secuta*. Quod infame; unde *mulieres secutulejæ*.

324. *Reus sine te criminis hujus ero*. *Agar*, Vossianus cum uno Mediceo.

325. *Nam sequar Ægidæ factum*. Thesei scil. qui te vel puellam rapuit.

326. *Non propiore*. Puto legendum *num*; ut sæpe alibi, et infr. 363, videb.

327. *Geminas Leucippidas illi*. Eilariam et Phœben, Leucippi filias, quas rapuerunt Castor et Pollux, quum jamjam essent a Lynceo et Ida uxores ducendæ.

328. *In exemplis adnumerabor ego*. *Adnumerari exemplis* Latinum est: alterum Latinitas vix admittit: subscribo igitur sex exemplaribus, quæ *enumerabor* præferunt; nisi malis:

Quartus ut exemplis adnumerarer ego.

Sic Elegia de Nuce 177: *Adnumerare fructus colono*. Vel *jam numerabor;* aut, *en numerabor*. HEINS. — Ego nihil muto; quum Latinitatis ratio salva sit, ipso Ovidio sponsore, qui lib. V, Trist. Eleg. IV, 20:

... Cujus
Se quoque in exemplis adnumerare solet.

Cicero accedit, pro Rosc. Amer. 32: *Verum ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege adnumerer*. Immo *enumerare in exemplis*, minime latine dici, auctor est locupletissimus Cl. Grævius ad Cicer. Paradox. I. BURM.

330. *Jam facient*. *Faciant* Regius

Ibis Dardanias ingens regina per urbes :
Teque novam credet vulgus adesse Deam.
Quaque feres gressus, adolebunt cinnama flammæ,
Cæsaque sanguineam victima planget humum :
Dona pater fratresque, et cum genitrice sorores,
Iliadesque omnes, totaque Troja, dabunt.
Hei mihi! pars a me vix dicitur ulla futuri :
Plura feres, quam quæ litera nostra refert.
Nec tu rapta time, ne nos fera bella sequantur,
Concitet et vires Græcia magna suas.
Tot prius abductis, ecquæ repetita per arma est?
Crede mihi : vanos res habet ista metus.
Nomine ceperunt Aquilonis Erechthida Thraces :
Et tuta a bello Bistonis ora fuit.
Phasida puppe nova vexit Pagasæus Iason ;

et Gronov. *faciunt* unus Bernensis.

332. *Teque novam credet vulgus adesse Deam.* Hunc titulum sumsere quædam eximia vanitate mulieres : ita Cleopatra Θεὰ νεωτέρα et καινὴ in nummis ; et apud Plutarchum in vita Antonii, Ἴσις νεὰ. Exemplo nimirum Dearum : ita enim Proserpina νέη Δήμω, de qua vid. Spanhem. ad Call. Hym. in Cerer. v, 133 ; ubi alia exempla habes de Imperatorum uxoribus : et ita passim *novi Dei* et *Deæ* occurrunt.

334. *Planget humum. Tinget,* Moreti et duo alii. Vid. Epist. x, v. 106.

340. *Græcia magna. Tota* Gronovii, Bernensis, et quinque alii ; *mæsta*, idem Gronovii pro varia lectione : certe illud *magna* suspectum est : quæ vox et cum *mæsta* est confusa, lib. i, Am. x, 33. *Tota* placeret magis, nisi præcessisset modo, *totaque Troja.* An *Græcia mota?* Burm. — Mihi non displicet vulgatum *magna ;* sequitur enim 353 : Nec minor est Asiæ, quam vestræ copia terræ. L.

341. *Dic quæ repetita per arma est? Ecqua est,* volebat Francius. *Et quæ est,* Bernensis. *Quænam est,* Bersmanni editio : omnes, ut puto, frustra : nam unice arridet elegantissima lectio codicis alterius Bernensis : *Dic quæ repetita per arma est?* Varie enim illo vocabulo *Dic* utuntur poetæ ; aut in exprobrationibus, de quo vid. Broukh. ad Propert. iv, iii, 23 ; et iv, viii, 17 ; aut in superba adlocutione : vid. Serv. ad Virg. vii, Æn. 546 : præcipuus vero ejus usus in provocatione, quasi ut probaret et exemplis adfirmaret aliquid ille cum quo agimus. Burm.

343. *Erechthida* etc. Orithyam, Erechthei filiam, Thraces, duce Borea, rapuerunt.

344. *Et tuta.* Francio mollius videbatur, *tuta sed a bello.*

Læsa nec est Colcha Thessala terra manu.
Te quoque qui rapuit, rapuit Minoïda Theseus:
Nulla tamen Minos Cretas ad arma vocat.
Terror in his ipso major solet esse periclo:
Quæque timere libet, pertimuisse pudet.
Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum:
Et mihi sunt vires, et mea tela nocent.
Nec minor est Asiæ, quam vestræ copia terræ:
Illa viris dives, dives abundat equis.
Nec plus Atrides animi Menelaus habebit,
Quam Paris; aut armis anteferendus erit.
Pæne puer cæsis abducta armenta recepi
Hostibus; et causam nominis inde tuli.
Pæne puer vario juvenes certamine vici:

346. *Thessala terra. Thessalis ora*, Basil., quod placeret, nisi præcessisset, *Bistonis ora;* ubi editio Micyl. et Colinæi, *tuta tamen bello.* BURM.

350. *Pertimuisse.* Mallem, *præmetuisse*, vel:

Quamque timere libet, tam timuisse pudet. H.

Francius, *post timuisse. Quamque* est in uno Moreti: *quaque* in Puteaneo et uno Heinsii.

351. *Consurgere. Concurrere*, Basileensis.

352. *Tela nocent. Tela valent*, duo libri.

355. *Nec plus Atrides animi* etc. Alludit ingeniose poeta ad certamen singulare Paridis cum Menelao, cujus vel ipso aspectu (*non hoc pollicitus* suæ) adeo conterritus fuit, ut repente suos inter refugerit, ut viator, qui in anguem improvisus inciderit. Iliad. Γ, 30, sqq:

Τὸν δ' ὡς οὖν ἐνόησεν Ἀλέξανδρος θεοειδὴς,
Ἐν προμάχοισι φανέντα, κατεπλήγη φίλον ἦτορ·
Ἂψ' δ' ἰτάρων εἰς ἕθνος ἐχάζετο κῆρ' ἀλεείνων.

Quod Paridi in congressu cum Diomede eventurum fingit, sed falso Horatius, in celeberrimo Nerei vaticinio, 1, Od. 15, 27:

... Ecce furit, te reperire atrox
Tydides, melior patre:
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum, graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ.

Vulneravit quidem Diomeden Paris, Λ, 370, sqq; sed dolo, ut mos imbellibus, et κηλὴ κεκλιμένος.

358. *Et causam nominis inde tuli.* Γενόμενος δὲ νεανίσκος, καὶ πολλῶν διαφέρων κάλλει τε καὶ ῥώμῃ, αὖθις Ἀλέξανδρος προσωνομάσθη, τοῖς ποιμνίοις ἀλεξήσας, ὅπερ ἐξὶ βοηθήσας. Apollod. III, 12.

359. *Vario. Valido*, Leidensis: sed intelligit πένταθλον. Justin. VII, 2: *Alexandro tanta omnium virtutum natura ornamenta exstitere, ut etiam Olympico certamine*, vario *ludicro-*

In quibus Ilioneus, Deiphobusque fuit.
Neve putes, non me, nisi cominus, esse timendum:
Figitur in jusso nostra sagitta loco.
Num potes hæc illi primæ dare facta juventæ?
Instruere Atriden num potes arte mea?
Omnia si dederis, numquid dabis Hectora fratrem?
Unus is innumeri militis instar habet.

rum genere, contenderit; ubi nihil est illud *natura;* legerim, *omnium virtutum tam matura,* ut idem dicat, quod Noster, *pæne puer:* ita lib. VI, cap. 5: *Numquam ante eum Athenienses inter tot tantosque duces, aut spei majoris, aut indolis maturioris imperatorem habuerunt. Vario* legendum quoque ostendit imitatio Pindari nescio cujus, in Epit. II. 260:

... Ubi nunc vires, ubi cognita nobis
Ludorum quondam *vario* certamine vis est? B.

360. *In quibus Ilioneus, Deiphobusque fuit.* Agitur hic de Ilioneo Phorbantis πολυμήλου filio, qui a Peneleo, dum Trojam Græci obsiderent, occisus fuit; Il. Ξ, 489, sqq. Fuit et alter Ilioneus, Trojanus idem, qui socium se Æneæ addiderat, nec eloquentiæ minus, quam bellicæ virtutis laude clarus; Æn. I, 525; VII, 212; IX, 569. — *Deiphobus* Priami ex Hecuba filius, qui Helenam, exstincto Paride, duxit uxorem: quum vero Trojam Danai dolo occupassent, ipsum *egregia,* ut vocat, *conjux,* Menelao tradidit, curis confectum et gravatum somno, emotis prius armis, et subducto, qui dormientis capiti supponi solebat, ense; Æn. VI, 526:

Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum sic posse malorum!

Videt hunc, et vix agnoscit apud Inferos Æneas. Ibid. 495:

... Lacerum crudeliter ora;
Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.

Fortem se bello et strenuum Deiphobus gesserat: Iliad. M, 94. — N, 159. — 402. — 455.

362. *In jusso.* Claudian. IV, Cons Hon. 529:

... Certique petitor
Vulneris, et *jussum* mentiri nescius ictum.

Qui locus male a Delrio tentatur. Francius legebat, *in jussum locum.* B.

363. *Num potes hæc illi* etc. Dicesne Menelaum sic a prima juventa inclaruisse; poteris-ne tu illum arte donare qua ego præcellebam, cominus, eminus-ve jaculum dato loco figendi? Quæ tamen omnia si sponso concesseris, non dabis certe fratrem Hectora; Hectora, qui unus instar exercitus, et quidem innumeri. — *Numquam dabis Hectora fratrem!* — *Numquid,* Puteaneus et tres alii. Epist. XVI, 1: *Numquid ut inspecta est* etc. Elegia de Nuce, 33:

Non equidem invideo: numquid tamen ulla feritur?

Fast. IV, initio, 7:

Saucius an sanus, numquid tua signa reliqui?

Ita enim utroque loco ex optimis libris reponendum. HEINS. Ita et Bernensis codex.

366. *Unus is innumeri militis instar erit.* Longe elegantius in sex codicibus, *instar habet.* Ep. Phyllidis:

Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet.

Quid valeam, nescis : et te mea robora fallunt.
Ignoras, cui sis nupta futura viro.
Aut igitur nullo belli repetere tumultu :
Aut cedent Marti Dorica castra meo.
Nec tamen indigner pro tanta sumere ferrum
Conjuge : certamen præmia magna movent.
Tu quoque, si de te totus contenderit orbis,
Nomen ab æterna posteritate feres.
Spe modo non timida, Dis hinc egressa secundis,
Exige cum plena munera pacta fide.

371. *Nec tamen indigner pro tanta sumere bellum Conjuge. Sumere ferrum*, Puteaneus et multi alii : nec vulgatum *sumere bellum* temere tamen damnandum. Silius, l. I, 272 :

Bellaque *sumta* viro, belli majoris amore.

Trebel. Poll. Claudio : *Dum hæc aguntur, Palmyreni contra Ægyptios bellum sumunt.* Claud. lib. III, Laud. Stil. 184 :

... Quoties bio prælia *sumsit* Pro socils !

Scribe præterea, *Nec tamen indigner :* ne indigner pro te pugnare facit nomen, quod tamquam præmium a posteritate relaturus sum. H.

374. *Nomen ab æterna posteritate feres.* Et tulit quidem ; unde merito dicitur ab Ænea, II, 573 :

... Trojæ et patriæ *communis* Erynnis !

375. *Spe modo non timida* etc. Profusis omnibus, quæ Helenam quo vellet Paris adducerent, argumentis, hortatur ut totam se ipsi credat ; metum omnem abjiciat, nec dubitet quidquid promiserit, *plena fide* ab eo reposcere.

EPISTOLÆ DECIMÆ-SEPTIMÆ

ARGUMENTUM.

Si non accipiet scriptum, illectumque remittet,
Lecturam spera, propositumque tene.
Legerit, et nolit rescribere.... Cogere noli:
Tu modo blanditias fac legat ipsa tuas.
Quæ voluit legisse, volet rescribere lectis:
Per numeros veniunt ista gradusque suos.
Forsitan et primo veniet tibi litera tristis,
Quæque roget, ne se sollicitare velis....
Quod rogat illa, timet: quod non rogat, optat ut instes.
Insequere; et voti post modo compos eris.
(Art. Amat. 1, 469, sqq.)

Summa hæc est totius Epistolæ hujus, in qua, quidquid artis in animo muliebri inest, ut amantis impetum modo supprimat, incitet modo, spem metumque vicibus alternis ita temperet, ut propositum finem miser nunquam tangat propior, quam quum longius repulsum se existimat, mirabiliter adeo depromptum est, ut Ovidium Heroidum omnino nullam, quam non hanc Epistolam, scripsisse potius crediderim.

EPISTOLA XVII.

HELENA PARIDI.*

NUNC oculos tua quum violarit epistola nostros;
Non rescribendi gloria visa levis.
Ausus es, hospitii temeratis, advena, sacris,
Legitimam nuptæ sollicitare fidem!
Scilicet idcirco ventosa per æquora vectum
Excepit portu Tænaris ora suo?
Nec tibi, diversa quamvis e gente venires,
Oppositas habuit regia nostra fores;
Esset ut officii merces injuria tanti,

* Puteaneus margini adscriptos habet hos versus initio Epistolæ:

Si mihi quæ legi, Pari, non legisse liceret,
Servarem numeros, sicut et ante, probæ. H.

1. *Nunc oculos tua quum violarit epistola nostros* etc. Exordium ab indignante, quod eo Paris audaciæ devenerit, ut hospes ad hospitem, Epistolam, et eam quidem amatoriam, scripserit, quæ non oculos *læsit* modo, vel *offendit*, sed *violavit*, ut qui tale nihil adhuc perlegerint. Ideoque *non levis* gloria *rescribendi*, (Paridi scilicet; quod non videntur intellexisse interpretes, qui, quasi in bivio, male hic dubii hæserunt.) Exquisitissimum certe lenocinium!

2. *Non rescribendi gloria visa levis.* Vilis et parva; vel certe sic verius: Gloria rescribendi est mihi visa non levis, hoc est non parva; id est, putavi mihi magnam gloriam fore rescribere tibi, quia affecisti me magna injuria. Ita commentator Hubertinus, et Douza; sed prior sensus verior. Quidam codices, *Non mihi scribendi*: alii, *Non rescribenti. Nunc rescribendi*, Bernensis.

6. *Tænaris. Tyndaris*, Gottorph. *Trinacris*, Bernensis.

8. *Oppositas.* Male Vlitius *oppansas* volebat. Horat. III, Od. 26. *Oppositis foribus minaces.* Vid. et Senec. IV. Nat. Quæst. Præf. Recte autem ex Thucydide notavit Douza, respici legem Spartanam, qua vetabantur peregrini in urbe recipi. BURM.

Qui sic intrabas, hospes, an hostis, eras?
Nec dubito, quin hæc, quum sit tam justa, vocetur
Rustica judicio nostra querela tuo.
Rustica sim sane, dum non oblita pudoris;
Dumque tenor vitæ sit sine labe meæ!
Si non est ficto vultus mihi tristis in ore;
Nec sedeo duris torva superciliis;
Fama tamen clara est: et adhuc sine crimine vixi:
Et laudem de me nullus adulter habet.
Quo magis admiror, quæ sit fiducia cœpti;
Spemque tori dederit quæ tibi causa mei.
An, quia vim nobis Neptunius attulit heros,
Rapta semel, videor bis quoque digna rapi?

13. *Rustica sim sane* etc. Ineptam se, et quasi tironem fingit in arte, cujus magistram se, et quidem expertissimam, mox profitebitur. Nec innotatum transeat quod addit, *dum non oblita pudoris!*

16. *Nec sedeo. Videor,* Puteaneus, pro diversa lectione, et sex alii; quod magis placet: nam *sedere* quem hic locum habeat non video, nisi fortasse scripserit Naso: *nec rigeo, duris torva superciliis:* idque opinor verum esse. *Rideo* pro *rigeo* scripserat librarii manus aberrans; hinc *sedeo* ab aliis criticis, ab aliis *videor* factum. Heins. — Nulli harum emendationum calculum adjicere possum. Nam constans librorum plurimorum et optimorum lectio, et simul ratio τὸ *sedeo* tuetur: aptissimum enim castitatem jactanti, et matronis pudicis se accensenti Helenæ, est verbum. Propert. II, Eleg. XI, 13:

Nec mihi jam fastus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta *sedere* potest. Burm.

18. *Et laudem de me nullus adulter habet.* A castitatis laude primum se commendat, non ignara scilicet, quam potens inde apud Paridem irritamentum, qui primus illæsum adhuc pudoris florem delibaret.

19. *Fiducia cœpto. Cœpti* maxima pars codicum: sed *cœpto* firmari posset, quod videatur hic auctor Epistolæ imitatus Maronem, qui lib. II, Æneid. 75: *Quæ sit fiducia capto*, ut quidam illo loco legunt: sed melius est *cœpti;* et *fiduciam* cum genitivo construit Noster passim; et idem Virgil. lib. I, 132:

Tantane vos generis tenuit *fiducia* vestri. B.

21. *Neptunius heros.* Theseus, qui Neptuni se filium prædicabat. Helenam quidem rapuerat, prima vix ætate florentem; sed ne quid inde mali Paris suspicetur, se *rediisse, nihil, excepto timore, passam,* addit protinus: fama quippe fratres ejus *intactam* Lacædemona reduxisse; testibus Diodor. et Plutarch. in Thes. Non defuerunt tamen, qui Iphigeniam ex Helena et Theseo prognatam asseveraverint. Vid. Ant.

Crimen erat nostrum, si delenita fuissem.
Quum sim rapta, meum quid, nisi nolle, fuit?
Non tamen e facto fructum tulit ille petitum:
Excepto redii passa timore nihil.
Oscula luctanti tantummodo pauca protervus
Abstulit: ulterius nil habet ille mei.
Quæ tua nequitia est, non his contenta fuisset.
Di melius! similis non fuit ille tui.
Reddidit intactam; minuitque modestia crimen:
Et juvenem facti pœnituisse patet.
Thesea pœnituit, Paris ut succederet illi;
Ne quando nomen non sit in ore meum?
Nec tamen irascor, quis enim succenset amanti?
Si modo, quem præfers, non simulatur amor.
Hoc quoque enim dubito; non quod fiducia desit,
Aut mea sit facies non bene nota mihi:

Liberal. Metam. XXVII; Pausan. in Corinth. c. 22. et Tzetz. ad Lycophr. 103, et 143.

29. *Quæ tua nequitia est* etc. Petulantiorem te judico, quam qui osculis tantum, et *paucis* quidem, et *luctanti* raptis, contentus fuisses: neque modestiam hanc promittunt quæ scripsisti (Epist. præced. 157): Si reddenda fores, aliquid tamen ante tulissem.

31. *Minuitque modestia crimen.* Tam parce, tam modeste rapta usus est, quum *nihil*, pauca præter oscula, *meihabuerit*, ut rapuisse libens concedam.

32. *Patet. Liquet* Bernensis.

34. *Ne quando nomen non sit in ore meum.* Ideo igitur raptæ pepercit Theseus, eumque rapuisse *pœnituit*, ut raptor illi Paris succederet; sicque semper Helenæ nomen in ore hominum infame volitaret! — *Non sit in ore;* scilicet populi. HEINS.

35. *Nec tamen irascor* etc. Erumpit jam, vel invitæ, metus ne *irascatur* ille ad quem scribit, et more muliebri ad sensus festinat redire molliores; nec *irascitur* amari se a Paride, modo *non simuletur*, quem profitetur, *amor.*

37. *Hoc quoque enim.* Quidam, *hoc etenim:* alii, *hoc etiam:* nonnulli, *hoc quoque nam:* omnes frustra. Ep. sqq. 98. *Hoc quoque enim vidi.* BURM. — *Non quod.* In Mediceo et Argentinensi erat *quo*, quod latinius et elegantius censeo: ita enim Cicero et alii uti solent pro *quia*, sequente etiam in altero orationis membro, *quia*, vel *quod*, eadem significatione: lib. II, de Orat. 75: *In quo ego, non quo libenter male audiam, sed quia ego causam non libenter relinquo, nimium patiens et lentus existimor.* IV. ad Fam. 4: *Non quo ego certe sciam, sed quod haud difficilis erat*

Sed quia credulitas damno solet esse puellis;
Verbaque dicuntur vestra carere fide.
At peccant aliæ; matronaque rara pudica est.
Quid prohibet raris nomen inesse meum?
Nam mea quod visa est tibi mater idonea, cujus
Exemplo flecti me quoque posse putes:
Matris in admisso, falsa sub imagine lusæ,
Error inest: pluma tectus adulter erat.
Nil ego, si peccem, possim nescisse; nec ullus
Error, qui facti crimen obumbret, erit.
Illa bene erravit, vitiumque auctore redemit.
Felix in culpa quo Jove dicar ego?
Et genus, et proavos, et regia nomina jactas;
Clara satis domus hæc nobilitate sua est.
Jupiter ut soceri proavus taceatur, et omne
Tantalidæ Pelopis Tyndareique genus;
Dat mihi Leda Jovem, Cycno decepta, parentem;
Quæ falsam gremio credula fovit avem.
I nunc, et Phrygiæ late primordia gentis,

conjectura. Apud Terentium quoque Adelph. v, Sc. 1, 39, codices emendatiores exhibent:

Non quo dissimilis res sit; sed quod is, qui fecit.

44. *Flecti. Tangi* Patricii, Junii, et Leidensis codex; ut Epist. præcedenti v. 326:

Exemplo tangi num propiore potes?

Infra v. 127, quidam codices etiam, *tangor quoque laudibus istis.* HEINS.

49. *Illa bene erravit.* Non sine quadam laude *erravit* Leda mater, quia Jupiter auctor culpæ. Ego vero, si peccem, *quo* me *Jove* possim excusare? Paride, scilicet! — *Vitiumque auctore redemit. Levavit,* margo Micylli et Colinæi, ut II, Metam. v. 281: *clademque auctore levare;* et v. III, 338: *pœnamque levavit honore:* nisi forte *rependit.* HEINS. Ego nihil muto. *Redimere* enim eleganter ponitur pro *pensare, rependere.* BURM.

50. *Felix in culpa quo Jove dicar ego? Felicem in culpa vocat,* quæ culpam suam defendere possit. M. Ita, *felix in numero.* Epist. VI, 121.

51. *Et genus et proavos. Quod genus* scribe ex codicibus sex, aut septem, quo alii plures alludunt, in quibus, *quid genus.*

54. *Tyndareique genus. Decus,* Puteaneus, pro diversa lectione; quod probum est: nam *genus* paulo ante præcesserat. HEINS. *Tyndaridisque decus,* Bernensis.

57. *Late primordia.* Aldus, Veneti,

Cumque suo Priamum Laomedonte refer.
Quos ego suspicio : sed, qui tibi gloria magna est
Quintus, is a nostro sanguine primus erit.
Sceptra tuæ quamvis rear esse potentia Trojæ,
Non tamen hæc illis esse minora puto.
Si jam divitiis locus hic numeroque virorum
Vincitur; at certe barbara terra tua est.
Munera tanta quidem promittit epistola dives,
Ut possint ipsas illa movere Deas.
Sed si jam fines vellem transire pudoris;
Tu melior culpæ causa futurus eras.
Aut ego perpetuo famam sine labe tenebo;

Micyllus, et Colinæus, *claræ primordia gentis*. Forte :

I nunc, et Phrygibus claræ primordia gentis etc.

Jacta te Phrygibus tuis, non mihi, qui genere nobiliore me efferre possum : multi etiam scripti *præcordia*; forte, pro *præconia*. Burm. Servandum *late*; id est fuse, magnifice, multis verbis. Ita Cicer. de Finib. II, 6 : « *Latius* loquuntur rhetores; dialectici compressius. » Et Noster, Art. Amat. III, 535 :

Nos facimus placitæ *late* præconia formæ. L.

60. *A nostro sanguine primus erit*. *Nomine* Puteaneus et multi alii : quod verum est : *nomen* pro gente; qua de re nonnihil jam dictum est ad Epist. II, vers. 50. Sic apud Virg. lib. III, Georg. 35 :

... Demissæque ab Jove gentis
Nomina, Trosque parens et Trojæ Cynthius auctor. Heins.

— *A nostro nomine*, hic explicarem *a me ipsa*; nam si tu numerando quintum Jovem invenias, ego a me *primum* habeo. Sic Epist. II, 112 : *Nomine femineo non satis apta regi*; id est, *a femina*. Sic Justinus, *nomina Philippi et Alexandri*, pro Philippo et Alexandro posuit. Sic *nomen agelli* pro agro, et centum alia.

63. *Si jam divitiis* etc. Ad ea respondet, quæ ambitiose nimium Paris prædicaverat de Phrygiis opibus :

Una domus quævis urbis habebit opes!

Nec minori jactatione, ad ipsam Helenam; Epist. XVI, 185 :

O quoties dices : *quam pauper* Achaia nostra est!

Sed verborum hanc ostentationem uno tantum verbo refellit Helena : *At certe barbara terra tua est!* qua lege, divitiis *vinci*, et *virorum numero* Achaia non respuit.

67. *Sed si jam vellem fines transire pudoris* etc. Quanto præclarius Homerica Penelope, Od. Σ, 254, de suo Ulixe, quem absentem expectat!

Εἰ κεῖνός γ' ἐλθὼν τὸν ἐμὸν βίον ἀμφιπολεύοι,
Μείζόν κε κλέος εἴη ἐμόν, καὶ κάλλιον οὕτω.

Cæterum, præscriptos pudori fines illa jam *transiit*, cui excidit : *si vellem transire!*

69. *Perpetuo. Perpetuam* Bernen-

Aut ego te potius, quam tua dona, sequar.
Utque ea non sperno, sic acceptissima semper
Munera sunt, auctor quæ pretiosa facit.
Plus multo est, quod amas; quod sum tibi causa laboris;
Quod per tam longas spes tua venit aquas.
Illa quoque, adposita quæ nunc facis, improbe, mensa,
Quamvis experiar dissimulare, noto.
Quum modo me spectas oculis, lascive, protervis;
Quos vix instantes lumina nostra ferunt:
Et modo suspiras: modo pocula proxima nobis
Sumis; quaque bibi, tu quoque parte bibis.
Ah! quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa supercilio pæne loquente dari!
Et sæpe extimui, ne vir meus illa videret:
Non satis occultis erubuique notis.
Sæpe vel exiguo, vel nullo murmure, dixi:

sis et plurimi alii. Heinsius olim volebat *perpetua;* ut cum *labe* construeretur.

70. *Aut ego te potius* etc. Suspicionem amovet, se duci posse muneribus, quæ promittit *dives* Epistola Paridis; et ipsum potius, quam dona, esse *sequuturam*, si quem sequi vellet; sicque bonam sui opinionem amanti injicit, spemque simul, fieri posse ut *sequatur.*

71. *Sic acceptissima semper munera sunt. Acceptissima quondam*, Gottorphianus: eleganter mehercules, pro quandoque, aliquando, nonnunquam: ut in illis Maronis, II, Æneid. 367:

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

72. *Auctor quæ pretiosa facit.* Hoc vult, munera ista non tam per se pretiosa esse, quam donatoris nomine, quod eum magni æstimet. Quod unice hæc illustrat Epig. XCIX, lib. IX, apud Martialem:

Vilis eras, fateor, si nunc te mitteret emtor,
Grande tui pretium muneris auctor erit. H.

74. *Spes tua. Tibi*, Francof.

75-76. *Illa quoque* etc. *Quamvis experiar dissimulare, noto.* Nullum mihi excidit, quamvis tentanti non intelligere, e furtivis amoris tui signis: et probat quidem, *notata* fideliter recensendo.— *Adposita.* Forte, *ad positam quæ tu facis improbe mensam.* HEINS.

76. *Experiar.* Forte, *expediat.* ID.

81. *Tecta notavi signa.* Imitatio Propertiana, III, Eleg. VI, 25:

Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.

83. *Et sæpe.* Malo: *Ut sæpe extimui.* HEINS.

85. *Vel longo murmure dixi. Vel nullo*, Putean. sed nihil accedo.

Nil pudet hunc : nec vox hæc mea falsa fuit.
Orbe quoque in mensæ legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero litera fecit, AMO.
Credere me tamen hoc oculo renuente negavi.
Hei mihi! jam didici, sic quoque posse loqui.
His ego blanditiis, si peccatura fuissem,
Flecterer : his poterant pectora nostra capi.
Est quoque, confiteor, facies tibi rara; potestque
Velle sub amplexus ire puella tuos.
Altera vel potius felix sine crimine fiat,
Quam cadat externo noster amore pudor.
Disce meo exemplo, formosis posse carere :
Est virtus placitis abstinuisse bonis.
Quam multos credas juvenes optare, quod optas,
Qui sapiant? oculos an Paris unus habes?
Non tu plus cernis : sed plus temerarius audes;
Nec tibi plus cordis, sed magis oris, inest.

— Ego *nullo murmure* retineo; si enim *longum* fuisset, periculum foret, ne vir sentiret : elegans præterea oppositio τοῦ *exigui*, et *nullius*. In Bernensi erat, *vel parvo murmure;* sed male. BURM.

89. *Credere me.* Douzæ codex : Crede mihi, tamen hoc oculo renuente notavi. Et, *crede mihi tamen hoc*, multi cod.

90. *Sic quoque posse loqui.* Atqui ipsa Helena artem micandi invenisse dicitur a Ptolem. Hephæst. lib. IV. An, magistro Paride quæ didicit, alios docuit? BURM.

93. *Est quoque confiteor, facies tibi rara.* Alludit ad ea quæ nimia fatuitate de se ipso Paris ineptierat : Nec, puto, collatus forma Menelaus et annis, Judice te, nobis anteferendus erit.

96. *Externo. Extremo* edidit Bersm.

98. *Est virtus placitis abstinuisse bonis.* An non mireris quantum ponderis habeat sententiæ talis, tali in ore, gravitas! Quam bene suadet Paridi, ut *bonis* abstineat, quæ tot juvenes, *sapiant* modo, et *oculos habeant*, censeant exoptanda!

99. *Quam multos credis juvenes optasse, quod optas. Credas* duo libri : bene : deinde *optare* est in scriptis plerisque melioribus. HEINS.

100. *Oculos an Paris unus habes? An, Pari, solus habes*, unus Vaticanus. HEINS. Francius volebat, *an Paris unus habet;* et ita nonnulli codices; sed vulgata non movenda, et nominativus centies pro vocativo sumitur, vel vocativo conjungitur. Vid. I, Fast. 319, 559; IV, 731; XI, Metam. 114. *Qui sapiunt*, etiam quidam scripti.

102. *Sed magis oris adest. Magis*

Tunc ego te vellem celeri venisse carina,
Quum mea virginitas mille petita procis:
Si te vidissem, primus de mille fuisses:
Judicio veniam vir dabit ipse meo.
Ad possessa venis præreptaque gaudia serus;
Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.
Ut tamen optarem fieri tibi Troia conjux,
Invitam sic me nec Menelaus habet.
Desine molle, precor, verbis convellere pectus:
Neve mihi, quam te dicis amare, noce.
Sed sine, quam tribuit sortem Fortuna, tueri:

oris, non pauci ex scriptis. Sic Trist. lib. I, 1, 113:

... Vel, si satis oris habebis,
Œdipodas facito Telegonosque voces.

Sed *os* pro pudore hic sumitur, diverso nonnihil sensu: ita *duritia oris* pro impudentia, Senec. de Const. Sapient. cap. XXII. Vulgata tamen lectio servari potest. Vide elegans Catonis dictum apud Senec., lib. III de Ira, cap. 38: *Affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere. Inest* etiam duo codices: quatuor alii, *habes*. HEINS. — *Os* si pro *pudore* hic sumendum sit, ut censet Heinsius, et probat notissimo Catonis dicto, certe cum antiquis edd. legendum est, *minus oris*. Contra *os*, pro *impudentia* sumendum, ut apud Cicer. ad Div. IX, 8: « Misi ad te quatuor admonitores non nimis verecundos. Nosti enim profecto *os* adolescentioris academiæ. » LENNEP.

104. *Quum mea virginitas mille petita procis.* Procorum, qui Helenam sibi uxorem petierunt, nomina et numerus exstant apud Apollodorum, III, 10; et numero quidem novem et viginti; quos inter Ulixes, Diomedes Tydeus, Ajax uterque, Philoctetes, etc.

105. *Primus de mille fuisses.* Johanni Georgio Grævio rectius videbatur, si reponeretur, *primas de mille fuisses*. HEINS. Quod quidem possit confirmari, illo Moschi, Idyll. III, 57: Μὴ δεύτερα σεῖο φέρηται. Sed dubitandum, an sit vulgatæ lectioni anteferenda, quamvis elegantissima, conjectura doctissimi viri.

107. *Ad possessa venis præreptaque.* Forte elegantius, quod Gruterus codici suo adscripserat: *Ad possessa venis præceptaque gaudia serus*. DAN. HEINS. — Nescio an non, *præreptaque* præstet: ita enim sibi invitæ gaudia a Menelao, quem numquam valide amasse non obscure indicat, *erepta*, significaret, quæ maluisset Paridi dare, si *primus* advenisset. BURM.

111. *Desine molle, precor* etc. Recte, *molle* pectus, muliebre; quod facile in partes quaslibet recumbat inclinatum. — *Convellere*. Varie hic turbant codices: hi *divellere*, alii *compescere*; quidam *corrumpere*, nonnulli *contundere; compellere* tres etiam; sed nihil muto: magna enim

Nec spolium nostri turpe pudoris habe.
At Venus hoc pacta est : et in altæ vallibus Idæ
Tres tibi se nudas exhibuere Deæ :
Unaque quum regnum, belli daret altera laudem,
Tyndaridos conjux, tertia dixit, eris.
Credere vix equidem cælestia corpora possum
Arbitrio formam supposuisse tuo.
Utque sit hoc verum, certe pars altera ficta est,
Judicii pretium qua data dicor ego.
Non est tanta mihi fiducia corporis, ut me
Maxima, teste Dea, dona fuisse putem.
Contenta est oculis hominum mea forma probari :
Laudatrix Venus est invidiosa mihi.
Sed nihil infirmo : faveo quoque laudibus istis ;

in hoc verbo vis, et major, quam in *labefactare*. Vid. Manut. ad Cic. v, ad Famil. 13. BURM.

115. *Et in altæ*. Forte, *ut*. HEINS. *Allis*, Lovan. et Bernens. unus.

116. *Exhibuere Deæ*. *Exposuere* non minus eleganter Moreti alter. Mox, *Tyndaridos* prior Moreti. Sic *Æolidos* et similia. Græco more. H. In verbo *exponere* subesset aliquid obscœni sensus. Quinctil. Decl. XIV, *c.* 3 : *Mulier omnibus exposita mortalibus*. Et cap. 7 : *Exposita ebrietatibus, addicta petulantiis*, et passim. Quare retineo *exhibuisse*; nam idem notat quod ostendere, publice monstrare. Epist. XIX, 34 : *Exhibuit pulso sidera clara die*. BURM.

119. *Cælestia corpora*. *Numina* quidam : *corpora* scripti plerique, et primæ editiones. Noster Met. XV, 662 :

... Tantusque videbor,
In quantum verti cælestia *corpora* debent.

Excerpta Vossiana, *pectora ;* etiam bene. Sic lib. II, Trist. de Aug. :

Fas ergo est aliqua cælestia *pectora* falli.

Ubi etiam perperam in quibusdam MSS. est, *numina*. HEINS.

121. *Utque sit hoc verum*. Sic I, Pont. VII, 19 : *Utque sit id verum*. Senec. Epist. LXX : *Ut sit hoc verum, non omni pretio vita emenda est*. B.

123. *Non est tanta mihi* etc. Francius malebat : *Non mihi tanta mei fiducia corporis*.

126. *Laudatrix Venus* etc. Me lædit, dum laudat, Venus ; vel fraudem parat, et insidias. Quidam enim *insidiosa*, legunt, quod non ita respuerim. — *Invidiosa*. *Insidiosa* in uno Vaticano, et in ora alterius : placet. CIOF. Multi codices, *insidiosa*. *Insidiata*, Bernens. unus.

127. *Sed nihil infirmo*. In altero eorumdem librorum, *infirmor ;* in margine vero, et in altero est, *inficior*. Glossa Puteanei libri, *id est, vitupero :* libri multi, *infirmor :* quomodo et Jureti Excerpta. *Insinuo*, Palatinus : an, *insimulo* scribendum ? Duo alii, *offendo :* forte pro *offendor*. Unus Lovaniensis et Va-

Nam mea vox quare, quod cupit, esse neget?
Nec tu succense, nimium mihi creditus ægre;
Tarda solet magnis rebus inesse fides.
Prima mea est igitur Veneri placuisse voluptas:
Proxima, me visam præmia summa tibi;
Nec te Palladios, nec te Junonis honores
Auditis Helenæ præposuisse bonis.
Ergo ego sum virtus? ego sum tibi nobile regnum?
Ferrea sim, si non hoc ego pectus amem.
Ferrea, crede mihi, non sum; sed amare recuso
Illum, quem fieri vix puto posse meum.
Quid bibulum curvo proscindere litus aratro,
Spemque sequi coner, quam locus ipse negat?

ticanus cum Hafniensi, *inficior*: etiam concinne. H. *Sed non irascor*, Douzæ codex. Sed nihil immutari præstiterit. Cicer. Divin. cap. IX: *Nec ea dico, quæ si dicam, tamen infirmare non possis.* Vell. Paterc. lib. II, cap. II: *Tiberius Gracchus graviter ferens aliquid a se factum infirmari*; hoc est, *convelli, infringi.* B.

135. *Ergo ego sum virtus?* etc. Vix credit se a Paride, ut dicit, prælatam regno, quod ipsi Juno; et virtuti, quam Pallas offerebat. Credit tamen, et *ferream* se fatetur, si non eum *amet*, qui tantopere prior adamavit.

136. *Ferrea sim. Sum*, multi scripti et editi; sed male: ex Cicerone expressum videtur, qui lib. XV ad Famil. Epist. ult.: *Ferreus essem, si te non amarem.* Tibull. I, 1, 67:

Ferreus ille fuit, qui te quum possit habere,
Maluerit prædas stultus et arma sequi.

Amo habet Bernensis. BURM.

137. *Sed amare recuso.* Puteaneus et reliqui majori ex parte, *repugno.* Spartianus in Caracalla: *Severus dicitur animo volutasse ut et hanc occideret, nisi repugnassent præfecti ejus et viri graves.* Epist. XX, 121:

Hostibus e si quis, ne fias nostra, repugnat.

Similis diversitas codicum est. Met. III, 376:

... Natura repugnat,
Nec sinit incipiat.

Sic contra, *Vivere pugna*, Epistola Laodamiæ. Fast. II, 648:

Et solida ramos fingere pugnat humo. H.

138. *Quem fieri vix puto posse meum.* Jam non a se ipsa, seu a dignitate conditionis rationes petit, cur diutius repugnet; sed externa objicit: omnium *oculos*, et *vulgi murmura*; quin immo *voces quasdam*, quas Æthra *retulit* etc. Sicque Paridi vicissim spem dat, adimitque; et frangit animum, quo certius mox relevet.

139. *Proscindere.* MSS. Oxonienses et plures alii, *profindere*, recte. Sic Statius Theb. X, 512, ex MSS. Behotii, qui *profundunt* habent:

Profindunt inarata diu Pangæa juvenci. H.

140. *Quam locus ipse negat? Bibulum* scil. litus et sterile.

Sum rudis ad Veneris furtum; nullaque fidelem,
Di mihi sint testes! lusimus arte virum.
Nunc quoque, quod tacito mando mea verba libello,
Fungitur officio litera nostra novo.
Felices, quibus usus adest! ego, nescia rerum,
Difficilem culpæ suspicor esse viam.
Ipse malo metus est: jam nunc confundor; et omnes
In nostris oculos vultibus esse reor.
Nec reor hoc falso; sensi mala murmura vulgi;
Et quasdam voces rettulit Æthra mihi.
At tu dissimula, nisi si desistere mavis.
Sed cur desistas? dissimulare potes.
Lude, sed occulte: major, non maxima, nobis
Est data libertas, quod Menelaus abest.
Ille quidem procul est, ita re cogente profectus;
Magna fuit subitæ justaque causa viæ;
Aut mihi sic visum est: ego, quum dubitaret, an iret,

143. *Nunc quoque, quod tacito* etc. Quæ puellæ nostræ ingenuitas!

145. *Felices, quibus usus adest.* Solemnis formula. x, Metam. 32:
Felices, quibus ista licent. BURM.

147. *Ipse malo metus est. Ipsa virum metuo*, Bernensis.

149. *Mala murmura.* Francius conjiciebat, *sensi modo murmura.*

152. *Dissimulare potes. Licet*, unus Moreti et editiones Bersm. et Colinæi.

153. *Lude, sed occulte* etc. Et quæ sequuntur. Ut breviter edocta, quæ paulo ante, 141, *rudem se ad Veneris furtum* ingenue adeo profitebatur!

154. *Est data libertas, quod Menelaus abest.* Aberat enim, in Cretam profectus Menelaus, quum rapta fugit Helena cum Paride. Hinc illa Hermiones, apud Coluthum, 374, sqq. exclamatio:
Ἠερίης ὄρνιθες ἐΰπτερα τέκνα γενέθλης,
Ἔσπετε νοςήσαντες ἐπὶ Κρήτην Μενελάῳ·
Χθιζὸν ἐπὶ Σπάρτην τὶς ἀνὴρ ἀθεμίςιος ἐλθὼν,
Ἀγλαΐην σύμπασαν ἐμῶν ἀλάπαξε μελάθρων.

156. *Causa viæ.* Joannes Antioch. inter excerpt. Valesii, pag. 785, dicit eum ad sacra facienda profectum. HEINS. Dictys Cretensis de Bello Trojano, 1, 1: « In Cretam, inquit, profectus est Menelaus, ut hereditatem avi materni *Cratei*, qui filius erat Minois, et Cretæ regnum obtinuerat, cum reliquis cognatis ex Cratei filiabus divideret ac cerneret. » Crateum hunc filius occidit in insula Rhodo, inscius.

157. *Aut mihi sic visum est.* Vere,

Quamprimum, dixi, fac rediturus eas.
Omine lætatus dedit oscula : « Resque, domusque,
Et tibi sit curæ Troicus hospes, ait. »
Vix tenui risum; quem dum compescere luctor,
Nil illi potui dicere præter : erit.
Vela quidem Creten ventis dedit ille secundis;
Sed tu non ideo cuncta licere puta.
Sic meus hinc vir abest, ut me custodiat absens.
An nescis longas regibus esse manus ?
Fama quoque est oneri; nam quo constantius ore
Laudamur vestro, justius ille timet.
Quæ juvat, ut nunc est, eadem mihi gloria damno est :
Et melius famæ verba dedisse fuit.

quod et Douzæ, 157, arridebat. Eadem varietas superiori Epistola, vers. 164 :

Figitur in *justo* nostra sagitta loco.

Ubi *viso* quidam codices : simile mendum insedit codices Val. Flacci, libro I, 103 : quod miror viris eruditis non animadversum :

At quibus arvorum studium atque insontis aratri,
Hos stimulant, magnaque ratem per lustra viasque
Visi laude canunt manifesto in lumine Fauni.

Sic scribe. Perperam *jussi* nunc circumfertur. Virgiliana illa respexit ex lib. Æneidos IV :

... Ipse Deum manifesto in lumine vidi. H.

159. *Resque, domusque.* Formula solemnis. Tibul. I, Eleg. X :

Devoveat pro quo remque domumque tuam.

Ubi dubito, an recte hoc sollicitent viri docti. BURM.

166. *An nescis longas regibus esse manus ?* Παροιμία Græca, Μακραὶ τυράννων χεῖρες. Vide Apostolium. HEINS. Hoc de ministris regiis quosdam interpretari ait Brunner. ad Palæphat. cap. 32 ; et ita *dextera Cæsaris* capienda, in Elegia in obitum Mæcenatis, 14. Simili ratione Lucianus in *Mercede conductis* dicit, *Regibus esse plures oculos*, quia et per ministros, qui apud Persas *oculi* et *aures* regis dicebantur, omnia illis explorata sunt. BURM.

168. *Justius.* Quidam codices, *fortius.* Prius est præferendum.

169. *Quæ juvat. Quod juvat,* Bernensis.

170. *Dedisse fuit. Foret,* nonnulli. Sensus est, impedimento est, et nocet mihi gloria, quæ obstat, ne victas tibi manus dem : et melius fuisset me jam olim furtivis amoribus operatam fuisse, et decepisse rumores, quos de mea pudicitia homines differebant, fidelemque virum lusisse. HEINS. — Quare *foret* retineo : ita *seculo verba dare.* Senec. Epist. 88. BURM. *Verba dare*, primum quidem est *verba*, pro *rebus* dare ; promissis fallere : deinde, universe *fallere*, tam *rebus* et factis, quam *verbis ;* eximie latendo fallere. LENNEP.

Nec, quod abest, hic me tecum mirare relictam:
Moribus et vitæ credidit ille meæ.
De facie metuit, vitæ confidit; et illum
Securum probitas, forma timere facit.
Tempora ne pereant ultro data, præcipis; utque
Simplicis utamur commoditate viri.
Et libet, et timeo; nec adhuc exacta voluntas
Est satis: in dubio pectora nostra labant.
Et vir abest nobis; et tu sine conjuge dormis;
Inque vicem tua me, te mea forma capit:
Et longæ noctes; et jam sermone coimus:
Et tu, me miseram! blandus, et una domus!
Et peream, si non invitent omnia culpam:

171. *Nec, quod abest, hic me tecum mirare relictam* etc. Expeditior multo apud Coluth. hæc eadem, quæ conspecti vix Paridis forma et colloquiis capta, non modo rapturo dat manus, sed ut rapiat, ipsa invitat; nec longius quam in crastinum fugam differri sinit. Is amor videndæ Trojæ, aut potius Pariden sequendi libido! 305, sqq.:

Ἔρχεο νῦν Σπάρτηθεν ἐπὶ Τροίην με κομίζων·
Ἕψομαι, ὡς Κυθέρεια γάμων βασίλεια κελεύει.
Οὐ τρομέω Μενέλαον, ἔτι Τροίη με νοήσῃ.

— *Mirare relictam. Mirere*, Scriverianus: *relicta*, duo Bersm. libri.

174. *Forma timere facit.* Locutio a poetis frequentissime usurpata: *Qui nati coram me cernere letum Fecisti.* Virg. Æneid. II, 538. In prosa diceretur, *facit, ut timeat.* Ciof.

177. *Exacta voluntas.* Puteaneus et omnes fere scripti, *voluptas*: sed *voluntas* legendum jam Hubertinus vidit: mens enim et voluntas Helenæ dubia erat, nec satis adhuc deliberata. Gratius, 259: *Tamen hæc exacta voluntas*: nam *exacta* propria in hac re vox; quando quid perpenditur, ut exsequamur. III, Amor. VII, 16:

Nec satis *exactum* est, corpus an umbra forem.

Sic *exacta ratio* Horatio II, Sat. IV, v. 36; et hinc *examen*, quasi *exagimen*, quo trutina regitur. Burm.

178. *In dubio pectora nostra labant. In bivio* scripserat, ni fallor, Naso. Τὸ *bivium* frequenter corruptum est, apud scriptores antiquos, culpa librariorum, qui pro *bivio*, *vivium*, et *vivum* plerumque exararunt. Remed. Amoris:

Ut tuus in *bivio* distineatur Amor. Heins.

—Mihi contra libros nihil hic mutandum videtur. Epist. XIX, 174:

Quid sequor in dubio est.

Et illud *bivium*, quomodo cum τῷ *labant* consistere possit, non video. Terent. Andr. I, v. 3: *Dum animus in dubio est, paullo momento huc vel illuc impellitur.* Ubi *impelli* idem, quod hic *labare*. Burm.

183. *Et peream, si non invitent.*

Nescio quo tardor sed tamen ipsa metu.
Quam male persuades, utinam bene cogere possis!
Sic mea rusticitas excutienda foret.
Utilis interdum est ipsis injuria passis:
Sic certe felix esse coacta velim.
Dum novus est, cœpto potius pugnemus amori:
Flamma recens parva sparsa resedit aqua.
Certus in hospitibus non est amor; errat, ut ipsi;
Quumque nihil speres firmius esse, fugit.
Hypsipyle testis, testis Minoia virgo est;
In non exhibitis utraque juncta toris.

Invitant scripti: præterea Gronovianus, *Ut peream.* Francius malebat, *dispeream*: et mox; *sed tamen usque metu.*

185. *Quod male persuades.* Douzæ codex, Regius unus, et Balliolensis a manu prima, *quam male persuades;* quod ab Ovidio ipso profectum existimo: ita enim decebat, sensim et pedetentim in crimen abeuntem mulierem, et quæ *cogi* velle præ se ferebat, loqui. BURM.

186. *Sic mea rusticitas excutienda foret.* Puteaneus, *Ut mea*, et *fuit.* Barberinianus et Argentin., *Ut fuit.* Scripti plerique, *Ut foret.* Adde unam literam Puteaneæ lectioni, et habebis veram scripturam hoc modo:

Vi mea rusticitas excutienda fuit.

Simile mendum ablatum est mea opera ex lib. VI, Metam. 690; ubi Boreas:

Apta mihi vis est, vi tristia nubila pello,
Vi freta concutio, nodosaque robora verto,
Induroque nives, et terras grandine pulso.

Ita enim iste locus constituendus, qui vulgo mendosissimus circumfertur. HEINS.

190. *Sparsa resedit aqua. Residit* puto. Sic apud Lucanum, IX, 75, in veteri codice Rottendorphiano, *jam flamma residit.* Apud Columellam quoque scribendum VI, 15: *Quum jam ignis in favillam residit*: non ut circumfertur, *recidit. Considere ignis* etiam Nasoni dicitur Met. XIII, 408. HEINS.—Non visum sic Oudendorp. ad loc. Lucan. citat. qui, ut illic, ita apud Nostrum, *resedit* servandum esse statuit: dispar tamen utriusque loci ratio. Lectorem penes judicium.

192. *Quumque nihil speres firmius esse, fugit. Fuit* Puteaneus argute; ut *fuit* τῷ *esse* opponatur, præteritum præsenti. Plautus simili prorsus modo Captivis, III, III, 1: *Nunc illud est, quum me fuisse, quam esse nimio mavelim.* HEINS.

194. *In non exhibitis utraque juncta toris.* Excerpta Scaligeri et quatuor ex nostris, *utraque pacta*: nonnulli, *victa*; vel *juxta, lusa, jucta, pucta.* Puteaneus, Argentinus et quatuor alii; *utraque justa*: proxime ad verum. Scribendum nempe, *utraque questa.* HEINS. Sed an latine satis dicatur, *questa in toris,* vehementer dubito: ergo *lusa* prætuli, ex optimis libris, quod obvium apud Nos-

Tu quoque dilectam multos, infide, per annos
Diceris Œnonen deseruisse tuam.
Nec tamen ipse negas; et nobis omnia de te
Quærere, si nescis, maxima cura fuit.
Adde quod, ut cupias constans in amore manere,
Non potes: expedient jam tua vela Phryges.
Dum loqueris mecum, dum nox sperata paratur,
Qui ferat in patriam, jam tibi ventus erit.
Cursibus in mediis novitatis plena relinques
Gaudia; cum ventis noster abibit amor.
An sequar, ut suades; laudataque Pergama visam,
Pronurus et magni Laomedontis ero?
Non ita contemno volucris præconia Famæ,
Ut probris terras impleat illa meis.
Quid de me poterit Sparte, quid Achaia tota,
Quid gentes Asiæ, quid tua Troja loqui?
Quid Priamus de me? Priami quid sentiet uxor;
Totque tui fratres, Dardaniæque nurus?
Tu quoque, quî poteris fore me sperare fidelem,
Et non exemplis anxius esse tuis?
Quicunque Iliacos intraverit advena portus,

trum est alibi, pro *decepta*: dicendum quoque esset, *de non exhibitis toris questa*, ut Francius legere malebat. Sic Epist. III, 5; et V, 4. Idem Francius, *explicitis toris* conjiciebat. BURM.

198. *Quærere*. Pro *inquirere*, ut solent amantes.—*Maxima cura. Plurima* malebat Francius.

200. *Expedient jam tua vela Phryges. Expediunt*, primæ editiones et scripti plerique. Lege:

... Expediunt jam sua vela Phryges.

Quod postea confirmatum deprehendi in codice Helmaestadiensi. H.

204. *Cum ventis. Cum velis*, Francius conjiciebat.

208. *Illa meis. Illa meas*, Bernens.

209. *Quid de me poterit loqui*. Elegans hoc loquendi genus, pro *quid loquetur*. Non male etiam, *quid de me poterunt Sparta*, Bernens. B.

211. *Priâmi quid sentiet uxor. Sentiat* rectius sex libri. At Mentelianus cum excerptis Douzæ, *censeat*. H.

212. *Dardaniæque nurus. Dardanidesque*, meliores. Fast. I:

Et jam *Dardanides* tangent hæc litora puppes.

Sic veteres libri. HEINS.

213. *Tibi me sperare. Fore me*,

Is tibi solliciti causa timoris erit.
Ipse mihi quoties iratus, Adultera, dices,
Oblitus nostro crimen inesse tuum!
Delicti fies idem reprehensor et auctor.
Terra, precor, vultus obruat ante meos.
At fruar Iliacis opibus, cultuque beato;
Donaque promissis uberiora feram.
Purpura nempe mihi pretiosaque texta dabuntur;
Congestoque auri pondere dives ero.
Da veniam fassæ; non sunt tua munera tanti:
Nescio quo tellus me tenet ista modo.
Quis mihi, si lædar, Phrygiis succurrat in oris?
Unde petam fratres? unde parentis opem?
Omnia Medeæ fallax promisit Iason;
Pulsa est Æsonia num minus illa domo?
Non erat Æetes, ad quem despecta rediret:

aliæ editiones: *quid poteris*, Bernensis et tres alii: *quo poteris*, septem.

219. *Delicti fies idem. Fies tu idem*, Intimelianus codex. Eriges sensum, si scripseris:

Delicti ut fias idem reprehensor et auctor?

Tanquam sit cum indignatione quærentis. HEINS. *Fias idem reprehensor ut auctor*, legebat Francius.

224. *Congestoque auri pondere.* Quatuor codices, *congesti*: male. Est Virgiliana imitatio; I, 359: *Ignotum argenti pondus et auri*; ubi *ingens* alii codices. BURM.

226. *Me tenet ista modo. Ipsa* Puteaneus, aliique haud pauci. HEINS. — *Hæc terra* dicendum fuisset, judice Francio, qui ideo legebat:

Nescio quo terræ tangor amore meæ.

Sed hoc est carmina sua pro Ovidianis obtrudere. *Ista* est, quam tu contemnis, et barbaram dicis. B. Nescio an paulo durius. Forte præferendum, quod in Puteaneo et aliis haud paucis legitur, *ipsa*. L.

228. *Unde petam fratris. Fratres*, meliora exemplaria: alterum tamen latinius, et jam a Lyncæo interfectus erat Castor: sed offendit vocalis ultimam excipiens syllabam in *fratris*, quod alibi hac pentametri sede a Nasone factum non recordor. H. — Dubitat nullus Cl. Lennep. quin Ovidio hic obversatus occurrerit nobilissimus Homeri locus, Iliad. Γ, 236, ubi inter Achivorum principes, quos notat et recenset e mœnibus Trojæ, fratres suos Helena desiderat.

Δοιὼ δ' οὐ δύναμαι ἰδέειν κασμήτορε λαῶν,
Κάστορά τ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα,
Αὐτοκασιγνήτω, τώ μοι μία γείνατο μήτηρ.

231. *Despecta. Depulsa*, Lovaniensis. *Dejecta*, Moreti: quod ve-

Non Idya parens, Chalciopeque soror.
Tale nihil timeo; sed nec Medea timebat:
Fallitur augurio spes bona sæpe suo.
Omnibus invenies, quæ nunc jactantur in alto,
Navibus a portu lene fuisse fretum.
Fax quoque me terret, quam se peperisse cruentam
Ante diem partus est tua visa parens:
Et vatum timeo monitus, quos igne Pelasgo
Ilion arsuram præmonuisse ferunt.
Utque favet Cytherea tibi, quia vicit, habetque
Parta per arbitrium bina tropæa tuum:
Sic illas vereor, quæ, si tua gloria vera est,
Judice te, causam non tenuere duæ.
Nec dubito, quin, te si prosequar, arma parentur:
Ibit per gladios, hei mihi! noster amor.
An fera Centauris indicere bella coegit
Atracis Hæmonios Hippodamia viros?

rum puto. Ita Cicero et Livius sæpe utuntur de iis, qui dejiciuntur honoribus. BURM.

232. *Non Idya parens.* Scaliger, *Non Hypsæa parens*, legebat. D. H. Nemo, quod sciam, veterum dat *Ipseam* Medeæ matrem. Omnino scribendum est *Idya.* Hesiodus, Theogonia, 958:

Αἰήτης δ' υἱὸς φαεσιμβρότου Ἠελίοιο,
Κούρην Ὠκεανοῖο, τελήεντος ποταμοῖο,
Γῆμε, Θεῶν βουλῇσιν, Ἰδυίαν καλλιπάρῃον.

Ita Apollonius quoque Rhodius, Argonaut. III, 243; ubi Absyrto Asterodiam dat matrem:

Τὸν μὲν Καυκασίη νύμφη τέκεν Ἀστερόδεια,
Πρίν περ κουριδίην θέσθαι Εἰδυῖαν ἀκοίτιν,
Τηθύος Ὠκεανοῦ τε πανυπερτάτην γεγαυῖαν.

Adeas quoque Apollod. I, 9; Cic. de Nat. Deor. III, 19; et Hygin. Fab. XXV. Ceterum, alii aliam Medeæ matrem affingunt: *Hecaten* vocat, auctor Naupacticorum; *Eurylyten* Sophocles, vel *Neærano; Clytiam* Hygin. etc.

236. *A portu. E portu* Bernensis. *Ad portum* Vossian. sed vide mox Epist. XVIII, 10.

237. *Fax quoque me terret* etc. Respicit ad versus 45 et 50 Epistolæ superioris.

238. *Est tua visa. Tibi* Patavinus. Forte, *sibi.* HEINS.

243. *Si tua gloria vera est.* In uno codice Heinsiano erat, *victa;* forte scriptum fuit, *Ni tua gloria ficta est.*

248. *Atracis Æmonios Hippodamia viros. Atrax* et *Atracia*, urbs Thessaliæ, ejus partis, quæ Pelasgiotes dicta fuit; ab *Atrace*, filio Penei et Buræ, condita ac nominata, auctore

Tu fore tam justa lentum Menelaon in ira,
  Et geminos fratres, Tyndareumque putas?
Quod bene te jactas, et fortia facta recenses,
  A verbis facies dissidet ista suis.
Apta magis Veneri, quam sunt tua corpora Marti:
  Bella gerant fortes; tu, Pari, semper ama.
Hectora, quem laudas, pro te pugnare jubeto;
  Militia est operis altera digna tuis.

Stephano. Hinc *Atracis* Hippodamia, pro Thessalica; sive quod ex ea urbe nata fuerit, sive generaliter accepto nomine. Alii autem *Atracem*, fluvium Thessaliæ faciunt, ejusque filiam *Hippodamiam*: sed hactenus dissimulato autore. MICYL. — *Atracis*..... *Hippodamia.* Adrasti regis filia, quam Deidamiam Plutarchus; Propert. vero Ischomachen vocat. Dicta autem *Atracis* patronymice, ab *Atrace*, quæ urbs Thessaliæ. — *Hæmonios viros*; Lapithas, quorum pugnam cum Centauris obiter tangit.

251. *Quod bene te jactes, et fortia facta loquaris. Jactas*, scripti fere omnes: deinde quidam etiam *recenses*, pro *loquaris*: recte. HEINS. Ego non puto veterem et vulgatam lectionem repudiandam, quam Puteaneus, et optimus quisque codex confirmat; et *loqui* proprium esse magniloquentiæ verbum ad Petron. 11, cap. 117, olim probavi; et ad Quintil. Decl. XV, 3. BURM.

252. *A verbis facies dissidet ista suis.* Sic, non *tuis* Puteaneus, cum prima editione et aliis nonnullis scriptis. Epistola Hypermnestræ:

Hæc ego: dumque queror, lacrymæ *sua* verba sequuntur.

Frequentissimus in hac locutione Noster. HEINS.

254. *Bella gerant fortes; tu, Pari, semper ama.* Virum sane noverat Helena, quem postea reducem e certamine cum Menelao, sic non vere minus quam egregie adloquitur, Iliad. Γ, 428:

Ἤλυθες ἐκ πολέμου· ὡς ὤφελες αὐτόθι θλίσθαι,
Ἀνδρὶ δαμεὶς κρατερῷ, ὅς σ' ἐμὸς πρόσθεν πόσις ἦεν.
Ἦ μὲν δὴ πρίν γ' εὔχεˑ ἀρηΐφιλον Μενελάου,
Σῇ τε βίῃ, καὶ χερσί, καὶ ἔγχεϊ, φέρτερος εἶναι·
Ἀλλ' ἴθι νῦν. κ. τ. λ.

Et vehementius multo ad Hectorem, Z, 349, præsente ipso Paride:

Αὐτὰρ ἐπεὶ τάδε γ' ὧδε θεοὶ κακὸν τεκμήραντο,
Ἀνδρὸς ἔπειτ' ὤφελλον ἀμείνονος εἶναι ἄκοιτις,
Ὅς ῥ' ἤδη νέμεσίν τε καὶ αἴσχεα πολλ' ἀνθρώπων.
Τοῦτο δ' οὔτ' ἄρ νῦν φρένες ἴμπεδοι, οὔτ' ἄρ' ὀπίσσω
Ἔσσονται. κ. τ. λ.

— *Bella gerant. Arma*, Scriverii, ut Claudian. I, in Eutr. 281: *Arma gerant fortes.* Sed et Regius et Mureti, *bella gerant alii*, quod ex Epist. XIII, 84, expressum. BURM.

256. *Operis digna tuis.* Primæ editiones et Aldina, *tui*: quod et in triginta codicibus est: neque facile repudiarem, etsi syllabæ *is* productio videatur id vetare: nam et ita

His ego, si saperem, pauloque audacior essem,
Uterer : utetur, si qua puella sapit.
Aut ego deposito faciam fortasse pudore ;
Et dabo conjunctas tempore victa manus.
Quod petis, ut furtim præsentes plura loquamur;
Scimus quid captes, colloquiumque voces.
Sed nimium properas; et adhuc tua messis in herba est.
Hæc mora sit voto forsan amica tuo.
Hactenus arcanum furtivæ conscia mentis
Litera, jam lasso pollice, sistat opus.
Cetera per socias Clymenen Æthramque loquemur,
Quæ mihi sunt comites consiliumque duæ.

supra, 228 : *Unde petam fratris, unde parentis opem ;* ut optimi codices. *Opus* enim, hic magis accommodatum, quam *opera*. Sic supr. Epist. VIII, 52 : *Non lecta est operi, sed data causa tuo.* III, Met. 728 : *Opus hoc victoria nostrum.* BURM.

260. *Dabo conjunctas.* Venetæ quædam editiones, Aldi, Gryphii et Micylli, *convictas*, quod et in uno Regio et septem aliis : sex alii, *convinctas ;* ut Bersmannus edidit : in Puteaneo, *cunctas* et correctum, *conjunctas :* in uno Lovaniensi, *aut dabo et victas :* puto legendum : *aut dabo mox victas tempore victa manus.* BURM.

262. *Scimus quid captes, colloquiumque voces.* Quod caste minus Paris exposuerat, decentius Helena; sed ita tamen, ut non ignoret, eam, *quid captet*, perfecte intellexisse.

263. *Sed nimium properas* etc. Sic ad spem a metu, et vicibus conversis, ad metum a spe Paridem Helena ducit, reducitque ; ita tamen ut spei plus quam timoris in animo ejus relinquat. Summum denique artis meretriciæ opus hæc Epistola. — *Et adhuc tua messis in herba est. Herba* in segete est, priusquam in aristas surgat. Idque proverbii vicem obtinet, de iis, qui vita et spe præcipitant. Persius, Satira sexta : *Quid metuas ? occa, et seges altera in herba est.* In Oratione M. Catonis Censorii de Ædilibus vitio creatis, Noctibus Atticis A. Gellii, XIII : *Nunc ita aiunt, in segetibus, in herbis bona frumenta esse : nolite ibi nimiam spem habere : sæpe audivi inter os et offam multa intervenire posse : verum vero inter offam atque herbam ibi verum longum intervallum est.* HEINS.

267. *Clymenen Æthramque.* Priorem aliter vocat Hyginus XCII, de judicio Paridis : « Alexander Veneris impulsu Helenam a Lacedæmone ab hospite Menelao Trojam abduxit, eamque in conjugio habuit cum ancillis duabus *Æthra* et *Thisaide*, quas Castor et Pollux captivas ei assignaverant, aliquando reginas. » — *Loquamur. Loquemur*, margo Bersmanni.

EPISTOLÆ DECIMÆ-OCTAVÆ

ARGUMENTUM.

Quum puellam Sestiam Hero Leander Abydenus misere depe-riret, qui interfluebat, Hellespontum transnatare consueverat, ut clam, et noctu quidem ad amicam properaret, quæ ducem itineris ardentem facem e summa turre prætendebat. Exorta vero tempestate tam aspera, ut undis Leander non auderet sese committere, per audaciorem nautam hanc Heroni Epistolam mittit, qua pelagi et ventorum sævitiam incusat, rogatque, ut ponant tandem, vel spatium saltem concedant fretum trajiciendi, quod non amplius Stadiorum VII intervallo Europam ab Asia discriminabat, ideoque *Hepstadium* vocabatur. — Virgil. Georg. III, 258, sqq. — Stat. Theb. VI, 542. — Musæi Grammat. Carmen de Herone et Leandro.

EPISTOLA XVIII.

LEANDER HERONI.

MITTIT Abydenus, quam mallet ferre, salutem,
Si cadat ira maris, Sesta puella, tibi.
Si mihi Di faciles, et sunt in amore secundi,
Invitis oculis hæc mea verba leges.
Sed non sunt faciles; nam cur mea vota morantur,

1. *Mittit Abydenus* etc. Leander, qui ex Abydo, oppido quod olim in extrema Asiæ parte, ad oram sinus Hellespontiaci, conditum erat a Milesiis, annuente et concedente Gyge, Lydorum rege, qui tunc regionem hanc omnem, sicut et Troada, sub imperio suo tenebat. Strab. XIII, cap. 1. Sesto Abydos objacebat, a quo mille passuum trajectu distabat: sed ibi fretum rapidum adeo et intractabile, ut si qui ex Asia in Europam essent transituri, oram, teste eodem Strabone, CIX stad. spatio legere cogerentur, ne undarum vi præcipites auferrentur. — Exstant adhuc Abydi vestigia, haud procul a loco, qui *Nagara* dicitur; supersunt quoque in adversa ora Sesti ruinæ, quas *Zéménic* vocant. Gossel. ad Strabonem Gall., tom. IV, p. 138.

2. *Si cadat ira maris.* Omnes omnino scripti habent, *unda*, ut et Aldina prior editio; sed posterior, quam Gryph. et reliqui secuti sunt, *ira*. BURM. — *Sesta puella tibi.* Malim *Sesti*, si per libros antiquos liceat. Sic in Epistola Sapphus, *Lesbi puella. Sestias* certe Hero Statio vocatur. Theb. VI, 545:

... Sedet anxia turre suprema
Sestias in speculis. HEINS.

— Σηστός. ὁ πολίτης, Σήστιος. Hinc feminina Σηστίς, Σηστίας; ut a Λέσβος, Λέσβιος; Λεσβίς, Λεσβιάς. Steph. in voc. Sed a *Sestos*, non magis patronymica formari possunt, masculinum *Sestus*, femininum *Sesta*, quam a *Lesbos*, *Lesbas* et *Lesba*. Missa igitur, quæ V. Cl. tenuit, verecundia, *Sesti* in textum recipere non dubitaverim. LENNEP.

3. *Si mihi Di faciles, et sunt* etc. Libri quinque, *Sint mihi*: tum alii multi, *et sint in amore*, quidam, *vel sint*, aut, *vel sunt*: vel, *ut sunt*, vel, *qui sunt*. Barberinianus: *Sic mihi Di faciles*: probe; dummodo sequenti versu, *ut mea verba*, rescribas, pro *hæc mea*:

Sic mihi Di faciles, sic sint in amore secundi,
Invitis oculis ut mea verba leges. HEINS.

5. *Cur mea vota morantur. Mo-*

Currere me nota nec patiuntur aqua?
Ipsa vides cælum pice nigrius; et freta ventis
Turbida, perque cavas vix obeunda rates.
Unus, et hic audax, a quo tibi litera nostra
Redditur, a portu navita movit iter.

rentur, quatuor codices non contemnendæ notæ: et tum sequenti versu *patiantur* quoque sit scribendum, quomodo unus Regius. Ex Scriverii quoque membranis legi posset, *nam cur mea vela morentur.* Patavianus, *nec patiantur. Mota aqua* pro *nota* Moreti codex: *dubia* prima editio. HEINS. — *Mota aqua* non facile quidem repudiandum; frequens enim illa vox poetis, et confusa cum *nota.* BURM.

7. *Ipsa vides cælum pice nigrius* etc. Tempestatem sic Musæus describit, in qua periit Leander; 309, sqq:

Νὺξ ἦν, εὖτε μάλιστα βαρυπνείοντες ἄῆται,
Χειμερίης πνοιῇσιν ἀκοντίζοντες ἄῆται,
Ἀθρόον ἐμπίπτουσιν ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης·
Δὴ τότε Λειάνδρου περ, ἰθήμονος ἐλπίδι νύμφης,
Δυσχειλάδων πεφόρητο θαλασσαίων ἐπὶ νώτων.
Ἤδη κύματι κῦμα κυλίνδετο, σύγχυτο δ' ὕδωρ,
Ἀιθέρι μίσγετο πόντος, ἀνέργετο πάντοθεν ἠχὴ
Μαρναμένων ἀνέμων· Ζεφύρῳ δ' ἀντέπνειεν Εὖρος,
Καὶ Νότος ἐς Βορέην μεγάλας ἀφέηκεν ἀπειλάς·
Καὶ κτύπος ἦν ἁλίαιος ἐρισμαράγειτο θαλάσσης.

Qui quidem versus, quum non ita procul ab Homero recedant, ut numerum in illis et quamdam verborum granditatem desideres, non hi sunt tamen, meo quidem judicio, unde cum Jul. Cæs. Scaliger. (Poetic. v, 2) colligas Musæi stylum esse Homerico *longe politiorem atque comptiorem.* Verum sibi persuaserat vir doctissimus, sed idem quandoque Παραδοξότατος, non alium de Herus et Leandri amoribus scripsisse, quam antiquum hunc Musæum, quem Virgilius *fecit principem Elysiacarum cantionum.* Id. ibid. Si quis vero in opinionem hanc descenderit, huic ego sum auctor, ut cum Harduino Æneida, et Flacci lyrica, veluti totidem spurios fœtus et adulterinos, ex utriusque poetæ operibus jubeat exulare. Vid. *Heinrich.* Præfat. ad Musæum.

8. *Perque cavas vix obeunda rates. Adeunda*, quinque scripti: tres *obeunda:* quod verum est. Sic Ep. XVI, 175:

Sceptra parens Asiæ, qua nulla beatior ora est,
Finibus immensis vix obeunda tenet. HEINS.

10. *A portu navita fecit iter. E portu* potiores; ut et *movit iter:* quos secutus sum: quanquam Propertii ista succurrunt, I, Eleg. 17:

Primus et invito gurgite fecit iter.

Alter Mentelianus, *solvit iter.* H. Posset firmari ex illis Flor. III, 10: « Quum tertia vigilia Morino solvisset a portu. » Et præterea his Ciceronis pro Murena, 11: « Quod si portu solventibus, si qui jam in portu ex alto invehuntur, præcipere solent. » *Fecit iter,* non placet; quia quum Epistolam traderet, nauta *movebat*, id est, incipiebat iter; ut *movere castra*, et simpliciter *movere* dici notum est: *facere* vero iter, plus notat. Sic sæpe apud Nostrum *viam facere.* BURM.

Adscensurus eram, nisi quod, quum vincula proræ
Solveret, in speculis omnis Abydos erat.
Non poteram celare meos, velut ante, parentes:
Quemque tegi volumus, non latuisset amor.
Protinus hæc scribens, « felix, i, litera, dixi:
Jam tibi formosam porriget illa manum.
Forsitan admotis etiam tangere labellis,
Rumpere dum niveo vincula dente volet. »
Talibus exiguo dictis mihi murmure verbis;
Cetera cum charta dextra locuta mea est.
Ah! quanto mallem, quam scriberet, illa nataret,
Meque per adsuetas sedula ferret aquas!
Aptior illa quidem placido dare verbera ponto:
Est tamen et sensus apta ministra mei.
Septima nox agitur, spatium mihi longius anno,
Sollicitum raucis ut mare fervet aquis.
His ego si vidi mulcentem pectora somnum
Noctibus, insani sit mora longa freti.
Rupe sedens aliqua specto tua litora tristis;
Et quo non possum corpore, mente feror.
Lumina quin etiam summa vigilantia turre,
Aut videt, aut acies nostra videre putat.
Ter mihi deposita est in sicca vestis arena;
Ter grave tentavi carpere nudus iter.
Obstitit inceptis tumidum juvenilibus æquor,
Mersit et adversis ora natantis aquis.

13. *Non poteram celare meos .... parentes.* Fit aliquoties apud Musæum mentio parentum Herus; nulla Leandri. Unde non sine veri specie suspicetur aliquis hic quoque legendum esse *tuos*. Lennep.

17. *Amotis etiam.* Lege cum Moreti et Mentelii libris, *admotis dominæ*, ut τὸ *volet* habeat, quo referatur. Douza etiam malebat, *Forsan et admotis dominæ*, non male. Id.

26. *Ut mare fervet aquis.* Sic meliores libri. Frustra Arondelianus, *quo mare*: alii, *quod mare*. Heins.

27. *Mulcentem pectora.* Francius malebat, *tempora*.

At tu de rapidis immansuetissime ventis,
  Quid mecum certa prælia mente geris?
In me, si nescis, Borea, non æquora, sævis.
  Quid faceres, esset ni tibi notus amor?
Tam gelidus quum sis, non te tamen, improbe, quondam
  Ignibus Actæis incaluisse negas.
Gaudia rapturo si quis tibi claudere vellet
  Aerios aditus, quo paterere modo?
Parce, precor; facilemque move moderatius auram.
  Imperet Hippotades sic tibi triste nihil!
Vana peto, precibusque meis obmurmurat ipse;
  Quasque quatit, nulla parte coercet aquas.
Nunc daret audaces utinam mihi Dædalus alas!
  Icarium quamvis hic prope litus adest.

39. *In me si nescis, Borea* etc. Musæus, 320:

Πολλάκι μὲν λιτάνευσε θαλασσαίην Ἀφροδίτην·
Πολλάκι δ' αὐτὸν ἄνακτα Ποσειδάωνα θαλάσσης·
Ἀτθίδος οὐ Βορέην ἀμνήμονα κάλλιπε νύμφης.
Ἀλλά οἱ οὔτις ἄρηγεν, Ἔρως δ' οὐκ ἤρκεσε μοίρας.

Nota fabula Orithyæ, Erechtei Athenarum regis antiquissimi filiæ, raptæ a Borea; ex Apollod. III, 15; ubi vid. Heynii, Not. Part. II, p. 334. — *Non æquora sævis.* Vetus lectio deleta penitus in Puteaneo. Opinor, *nec in æquora,* fuisse; quomodo quinque scripti. HEINS.

41. *Tam gelidus quum sis* etc. Ipso Borea *gelidior*, qui talia in tali re Leandro in mentem obvenire potuisse credidit. — *Actæis ignibus.* Quia, ut modo diximus, ex Athenis Orithya.

42. *Negas.* Francius, *neges;* ut Epist. III, 112: qui et priori versu, *num te tamen* probabat.

43. *Gaudia rapturo. Laturo,* Gron.

44. *Aerios aditus.* Farnesianus, *Aerios portus.*

46. *Hippotades.* Δύο Αἴολοι· οὗτος μὲν Ἱππότου τοῦ Μίμαντος, ἕτερος δὲ Ἑλληνος, ὃς ἦν Διὸς, οὗ καὶ Ἡσίοδος μέμνηται. Schol. in Odyss. K, 2. — Priorem ergo intellige eum, ad quem Ulysses venit inter navigandum, qui ventis imperabat: de quo eodem et hic dicitur. Alterum autem patrem Salmonei, Crethei, Sisyphi, Athamantis et ceterorum, de quibus passim in fabulis mentio.

47. *Vana peto.* Regius et duo alii, *precor;* ut sit repetitio Ovidiana: *precor, precibusque meis obmurmurat.* BURM.

50. *Hic prope.* Francius, *haud procul æquor abest: hoc prope litus abest* Bersmanni codex. Eadem varietas, lib. II, Art. 10: *Et longe, quem peto, portus abest;* et apud Cicer. pro L.

Quidquid erit, patiar; liceat modo corpus in auras
Tollere, quod dubia sæpe pependit aqua.
Interea, dum cuncta negant ventique fretumque,
Mente agito furti tempora prima mei.
Nox erat incipiens, namque est meminisse voluptas,
Quum foribus patriis egrediebar amans.
Nec mora: deposito pariter cum veste timore,
Jactabam liquido brachia lenta mari.
Luna mihi tremulum præbebat lumen eunti,
Ut comes in nostras officiosa vias.
Hanc ego suspiciens: « faveas, Dea candida, dixi;
Et subeant animo Latmia saxa tuo.
Non sinat Endymion te pectoris esse severi:
Flecte, precor, vultus ad mea furta tuos.
Tu, Dea, mortalem cælo delapsa petebas.
Vera loqui liceat: quam sequor, ipsa Dea est.

Manilia, cap. VI: *Quum hostium copiæ non longe absunt*; ubi MSS. *prope adsunt*, vel *absint*. BURM.

53. *Cuncta negant. Vota negant*, Vossianus. HEINS.

57. *Timore. Pudore*, Basileensis. Scriverii, *posito cum mente pudore*: vid. ad Epist. præced. 259. Librarii corruperunt hunc locum, quia vulgo jactabatur illud Pythagoricum, Laert. VIII, 43, cum vestibus esse verecundiam ponendam, cumque illis resumendam. BURM.

59. *Luna mihi tremulum lumen præbebat eunti. Luna fere*, Puteaneus et alii multi: quomodo sæpe Ovidius. Infra Epistola Herus, *Annuit illa fere. Luna freto*, SCHOTT. II, Observ. 55.

61. *Faveas O candida. Dea candida*, meliores libri, cum primis editionibus. HEINS.

62. *Animo*. Lovaniensis et tres alii, *animos tuos*: quamvis enim utrumque recte dicatur, usitatius tamen cum accusativo dicit Serv. ad Virgil. VIII, Æneid. 125. Sic Virgil. X, 824:

... Mentem subiit pietatis imago.

Noster VII, 170:

Dissimilemque animum subiit Æeta relictus.

Liv. XL, 8: *Sed interdum spes animum subibat*. Sic et in alia significatione, pro succedere, intrare, passim veteres. BURM. — *Latmia saxa*. « Latmium montem designat, Endymionis a Luna, ut ferunt, adamati, fabula nobilem. » Met. I, 17.

63. *Non sinit Endymion. Sinat*, prima editio, et duo scripti: bene; et mox, *non cadat* unus Patav. H.

66. *Quam sequor ipsa Dea est*. Illam sic Musæus depingit, 55, sqq:

Ἡ δὲ Θεῆς ἀνὰ νηὸν ἐπώχετο παρθένος Ἡρώ,
Μαρμαρυγὴν χαρίεντος ἀπαστράπτουσα προσώπου.

Neu referam mores cælesti pectore dignos;
Forma nisi in veras non cadit illa Deas.
A Veneris facie non est prior ulla, tuaque.
Neve meis credas vocibus : ipsa vides.
Quantum, quum fulges radiis argentea puris,
Concedunt flammis sidera cuncta tuis;
Tanto formosis formosior omnibus illa est:
Si dubitas, cæcum, Cynthia, lumen habes. »
Hæc ego, vel certe non his diversa, locutus,
Per mihi cedentes nocte ferebar aquas.
Unda repercussæ radiabat imagine Lunæ,
Et nitor in tacita nocte diurnus erat:
Nullaque vox nostras, nullum veniebat ad aures,
Præter dimotæ corpore murmur aquæ.
Alcyones solæ, memores Ceycis amati,

Οἷά τε λευκοπάρηος ἐπαντέλλουσα σελήνη.
Ἄκρα δὲ χιονέων φοινίσσετο κύκλα παρειῶν,
Ὡς ῥόδον ἐκ καλύκων διδυμόχροον· ἢ τάχα φαίης
Ἥρους ἐν μελέτεσσι ῥόδων λειμῶνα φανῆναι.
Χροιὴν γὰρ μελίων ἐρυθαίνετο νισσομένης δὲ
Καὶ ῥόδα λευκοχίτωνος ὑπὸ σφυρὰ λάμπετο κούρης·
Πολλαὶ δ' ἐκ μελίων χάριτες ῥέον· οἱ δὲ παλαιοὶ
Τρεῖς χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι· εἷς δέ τις Ἥρους
Ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει.

Qui locus præsertim, inter plurimos in hoc poematio locos, probat illum, qui scripsit, ex Homero, Hymn. in Vener. 89; Theocrit. Idyll. II, 79, ingeniose quæ ad rem suam facerent, depromsisse; et non modo poetas principes non antevenisse, sed subsequutum, et longiori quidem intervallo, fuisse.

71. *Quantum quum radiis fulges argentea puris.* Præstantiores, *fulges radiis.* Præterea *Quanto* scribendum, quod Τὸ *Tanto* sequens requirit: atque ita Junianus liber cum Scriveriano altero. Est autem ea vox sæpius corrupta apud Nostrum. H. Recte *quanto :* sed licet ita fere semper loquantur veteres, aliter tamen Livius, qui V, 10: *Quantum* præmittit sequenti *tanto.* « *Quantum* autem augebatur militum numerus, *tanto* majore pecunia in stipendium opus erat. » Sic et apud Lucan. II, 517:

... Heu! *quantum* melius vel cæde peracta
Imperat.

Multi codices, pro *quanto :* quibus adde Nostri locum, V, Trist. XI, 7; ubi in codicibus quibusdam : *multum graviora tulisti.* BURM.

76. *Cedentes nocte.* Quia sequenti distichoiterum *nocte* sequitur, Francius legebat *cedentes sponte*, ut opponantur *adversis aquis*, vers. 36, et *invitis*, 144.

Nescio quid visæ sunt mihi dulce queri.
Jamque fatigatis humero sub utroque lacertis,
Fortiter in summas erigor altus aquas.
Ut procul adspexi lumen : « meus ignis in illo est;
Illa meum, dixi, litora numen habent. »
Et subito lassis vires rediere lacertis ;
Visaque, quam fuerat, mollior unda mihi.
Frigora ne possim gelidi sentire profundi,
Qui calet in cupido pectore, præstat amor.
Quo magis accedo, propioraque litora fiunt,
Quoque minus restat, plus libet ire mihi.
Quum vero possum cerni quoque, protinus addis
Spectatrix animos, ut valeamque facis.
Tunc etiam nando dominæ placuisse laboro,

82. *Dulce queri.* Conjiciebat Francius, *triste queri :* nil opus. Vid. Ep. XV, 152. *Dulce loqui*, nonnulli codices.

86. *Lumen habent.* Meliores et plurimi, *numen ;* ne bis idem dicat : *ignis* enim præcessit ; et a *numine* rectius vires rediisse dicuntur : et ita duæ editiones quoque Venetæ. B.

89. *Frigora ne possim gelidi sentire profundi* etc. Sic quoque Leander, apud Musæum, 245 :

Δεινὸς Ἔρως, καὶ πόντος ἀμείλιχος· ἀλλὰ θαλάσσης
Ἔστω ὕδωρ, τὸ δ' Ἔρωτος ἐμὲ φλέγετ' ἐνδόμυχον πῦρ.

Ubi *acumen* in malo loco *positum* jure reprehendit doctus *Heinrich.* Quis enim sibi persuadeat, inquit, juvenem maris concitati timore simul, et summo amoris affectu discruciatum, et utri cederet dubium, in argutias incidere potuisse, quas qui proferat, profecto paulo lentior ac tranquillior sit, necesse est?

90. *Qui calet. Qua* Puteaneus, et a manu secunda, *Quo.* Barberinianus, *Quod.* HEINS. *In tepido* etiam malebat Francius.

95. *Tunc etiam. Nunc etiam* Puteaneus. HEINS. Ita et duo alii codices. Vid. Epist. XII, 53 ; et ita sæpe peccatum, quia librarii, non æque ut poetæ, tempus præteritum, sibi præsens fingere potuerunt. BURM. — *Nando dominæ placuisse laboro.* Quo longius in recensenda hac Epistola procedo, eo magis Barthio adsentior, qui illam vix ausit Ovidio adscribere. Quamvis enim raro Noster vitium effugiat luxuriantis supra modum ingenii, numquam tamen eo venit licentiæ, ut totidem facetias et istius modi cavillationes in re solemni et fere tragica, excidere sibi patiatur. Quis enim Leandrum ferat scribentem se, vel in natando, motus suos ideo composuisse, ut *placeret* amicæ quæ ipsum observabat? Quis ferat addentem paulo infra, 132, se fretum sæpe adeo jam trajecisse, ut non

Atque oculis jacto brachia nostra tuis.
Te tua vix prohibet nutrix descendere in altum :
Hoc quoque enim vidi; nec mihi verba dabas.
Nec tamen effecit, quamvis retinebat euntem,
Ne fieret prima pes tuus udus aqua.
Excipis amplexu, feliciaque oscula jungis;
Oscula Dis magnis trans mare digna peti.
Eque tuis demtos humeris mihi tradis amictus;
Et madidam siccas æquoris imbre comam.
Cetera nox, et nos, et turris conscia novit,
Quodque mihi lumen per vada monstrat iter.
Nec magis illius numerari gaudia noctis,
Hellespontiaci quam maris alga potest.
Quo brevius spatium nobis ad furta dabatur,

ignotum se *piscibus* existimet? Omnia hæc, ut quod sentio dicam, corrupti generis corruptio pessima.

98. *Hoc quoque enim vidi.* Turbant codices; sed nihil mutandum. Vid. Epist. XVII, 37: *Hoc quoque enim dubito.* Francius malebat, *hoc quoque nam vidi*, vel, *hoc etenim*; ut Bersmanni liber et editio Micylli. BURM.

101. *Excipis amplexu* etc. Musæus, 260, sqq:

Ἐκ δὲ θυράων
Νυμφίον ἀσθμαίνοντα περιτύξασα σιωπῇ,
Ἀφροκόμους ῥαθάμιγγας ἔτι ῥάζοντα θαλάσσης,
Ἤγαγε νυμφοκόμοιο μυχοὺς ἐπὶ παρθενεώνος,
Καὶ χρόα πάντα κάθηρε, δύμας δ' ἔχριεν ἐλαίῳ
Εὐόδμῳ, ῥοδίῳ, καὶ ἀλίπνοον ἔσβεσεν ὀδμήν·
Ἑστίτε δ' ἀσθμαίνοντα βαθυσρώτοις ἐνὶ λίκτροις
Νυμφίον ἀμφιχυθεῖσα κ. τ. λ.

Notanda quoque hic Homerica imitatio: Iliad. Υ, 186, de Hectore mortuo, quem ipsa Venus, ῥοδέοντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ; et Odyss. Δ, 406, ubi de monstris marinis, quæ

Πληρὺν ἀποπτύουσαι ἁλὸς πολυβενθέος ὀδμήν.

102. *Oscula Dis magnis trans mare digna peti.* Scribe cum Puteaneo et Sarraviano, *Di magni.* Amor. lib. II, Eleg. ult., vers. 17:

Quas mihi blanditias, quam dulcia verba parabat!
Oscula, Di magni! qualia quoque dabat! H.

103. *Deque tuis demtos. Eque tuis* scripti. HEINS. Mihi *de* placet: geminare enim præpositiones magis amabant veteres: I, Am. IV, 50:

Conscia de gremio pallia deme meo, BURM.

105. *Turris conscia. Nutrix*, Junianus, Bernensis et Douzæ excerpta; sed frustra: ita *ignis conscius* Statio, lib. VI, Theb. 547: alter Mentelianus quoque, *norunt.* B.

106. *Per vada. Lumen per freta monstrat* Bernensis.

108. *Alga.* Francius malebat *unda*, ut Micylli et Bersman. margo habet.

Hoc magis est cautum, ne foret illud iners.
Jamque, fugatura Tithoni conjuge noctem,
Prævius Auroræ Lucifer ortus erat.
Oscula congerimus properata, sine ordine, raptim,
Et querimur parvas noctibus esse moras.
Atque ita cunctatus, monitu nutricis amaro
Frigida deserta litora turre peto.
Digredimur flentes; repetoque ego Virginis æquor,
Respiciens dominam, dum licet, usque meam.
Si qua fides vero est, veniens huc esse natator;
Quum redeo, videor naufragus esse mihi.
Hoc quoque si credas, ad te via prona videtur:
A te quum redeo, clivus inertis aquæ.

110. *Est cautum. Captum*, Sarravii, Lincoln. et Scriverii: forte non male; ut *captum tempus* sæpe apud Livium, Maronem et alios. B.

115. *Atque ita cunctatus.* Eleganter MSS. Palatinus:

Atque ita, contactus monitu nutricis amaro,
Frigida deserta litora turre peto. Dan. H.

— *Cunctatus* scripti plerique. *Cunctatus monitum*, Puteaneus; quidam *amaræ*. Scribo, *cunctatus monitus nutricis amaros*; ut Val. Fl. III, 385:

Haud secus Æsonides monitis accensus amaris.

Vel, *monitum nutricis amaræ*. H. Nos ex codicibus veteribus, *cunctatus, monitu nutricis amaro* etc. retinuimus; sed distinctione sensum adjuvimus, ut sit sensus; *amaro monitu* nutricis, post longam *cunctationem*, *litora peto*. Burm.

119. *Si qua fides vero est* etc. Sanus est locus, quem perverse prius acceptum, et frustra inde, tanquam vitiosum, ut sua, ita Cuperi conjectura sollicitatum dedit, atque interpretatus est Burmannus: *Si qua fides* mihi verum, sed cui *fidem* multi non habeant, dicenti. Versum 121 et sequentem imitatus videtur Claudian. de VI consul. Honor. 143:

... Et quæ venientibus ante
Prona fuit, jam difficilis, jam dura reversis. L.

120. *Naufragus esse mihi.* Robertus Titius lib. V, Locor. Controv. cap. 4, hæc explicat, quasi Leander rediens natasset supinus, more naufragorum; quum Hero petens, pronus nataret, unde et in præcedentibus dixit: *Respiciens dominam, dum licet usque, meam:* quod alia ratione consequi non poterat, quam si supinus nataret. Sed nos nihil hic tam arguti latere credimus, et simplicem esse sensum, se videri natatorem, id est, voluptatis causa se exercere, ostentare artem dominæ, et aquam esse pronam et facilem; sed dum redit, se laborare et difficulter natare, tamquam contra clivum aquæ, quæ nihil adjuvet natantem; sed ut in tempestatibus solet, quum naufragium factum est, se luctari cum aqua, ut naufragis evenire consuevit, qui quocumque modo *natare* dicuntur. Burm.

Invitus patriam repeto; quis credere possit?
Invitus certe nunc moror urbe mea.
Hei mihi! cur animo juncti secernimur undis?
Unaque mens, tellus non habet una duos?
Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos:
Tam tua terra mihi, quam tibi nostra, placet.
Cur ego confundor, quoties confunditur æquor?
Cur mihi causa levis ventus obesse potest?
Jam nostros curvi norunt delphines amores:
Ignotum nec me piscibus esse reor.
Jam patet attritus solitarum limes aquarum;
Non aliter, multa quam via pressa rota.
Quod mihi non esset, nisi sic iterare querebar:
At nunc per ventos hoc quoque deesse queror.
Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent,
Vixque manet portu tuta carina suo.
Hoc mare, quum primum de virgine nomina mersa,
Quæ tenet, est nactum, tale fuisse puto.
Et satis amissa locus hic infamis ab Helle est:
Utque mihi parcat, crimine nomen habet.

126. *Unaque mens.* Elegans locutio, ubi compendioso sermone defunguntur, pro *una mens habet duos;* sed non *una tellus* habet. BURM.

134. *Via pressa rota. Trita* Junianus; ut:

Nec magis est curvis Appia trita rotis. H.

135. *Quod mihi non esset, nisi sic, iterare querebar. Itera* vetus liber Puteaneus, reliquis ejus verbi literis deletis, et recentiori manu superscriptum, *re: iter ante* prius fuisse suspicor: quomodo codex Moreti: idque verum esse existimo. Quatuor *intrare:* alter Moreti, *iterata: iter a te* Patavinus. Regius, *ita rare. Quid* (vel *Qui*) *nisi sic ita rare mihi non esse querebar.* Posset et legi, *iter ire;* ut Art. Amat. III, 37:

Quære novem cur una vices iter irit, et audi.

Si sana illa scriptura. HEINS. Illud tamen *iterare*, quod in optimis codicibus exstat, vix ausim rejicere, propter illud Horatii I, Od. 7: *Cras ingens iterabimus æquor;* et I1, Od. 34: *Iterare cursus cogor relictos.* BURM.

141. *Et satis amissa. At satis*, in uno Mediceo, ut Ep. XIV, 87: videtur autem respicere ad τάφος Ἕλληνος, ut dictus fuit Hellespontus. Herodot. VII, 58. BURM.

142. *Utque mihi parcat.* Lovaniensis unus, *utque mihi pateat. — Nomine crimen habet. Crimine nomen,*

Invideo Phrixo, quem per freta tristia tutum
  Aurea lanigero vellere vexit ovis.
Nec tamen officium pecoris navisve requiro;
  Dummodo, quas findam corpore, dentur aquæ.
Arte egeo nulla: detur modo copia nandi,
  Idem navigium, navita, vector, ero.
Nec sequar, aut Helicen, aut, qua Tyros utitur, Arcton:
  Publica non curat sidera noster amor.
Andromedan alius spectet, claramve Coronam,
  Quæque micat gelido Parrhasis Ursa polo.

quinque scripti cum prima editione, quod magis arridet, ut Epist. XVI, 208:

Et qui Myrtoas crimine signet aquas.

Sic Amor. I, 3, vers. 21:

Carmine nomen habent, etc. HEINS.

146. *Dummodo quas findam. Dummodo quassandæ*, unus Ambrosian.

147. *Arte egeo nulla. Pax sit nulla maris*, quatuor libri: totidem, *Parte querar nulla*: nonnulli, *queror*: duo, *Parte moror nulla*: prima editio, *Arce queror nulla*: septem, *Parte egeo nulla*. Forte, *Pace egeo nulla*. Noster II, Pont. 9:

Si pacem nullam pontus mihi præstet eunti,
Irrita Neptuno cur ego dona feram? H.

— Mihi cæteris præferenda videtur vulgata, *arte egeo nulla*. Nautæ artem hic significari satis manifestum e sequentibus. Hoc vult Leander: si navigio uterer, etiam *arte* nautæ indigerem; jam vero, *modo nandi fiat copia*, *arte nulla egeo*, quum,

Idem navigium, navita, vector, ero. L.

Illud *pace*, huc quadrare non videtur, et obstant sequentia; quum Leander maxime *pacem* maris, ut copia nandi fiat, precetur: mihi non displicet, *parte querar nulla*. BURM. — *Fiat modo. Detur modo* Regius, et multi alii cum prima editione. *Detur mihi* alter Regius et Bern.

148. *Idem navigium*. Verbatim ex Ovidio Musæus, 255:

Αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, ἀυτόςολος, ἀυτομάτος νηῦς.

149. *Nec sequar, aut Helicen* etc. Sic ad Amantem Leander, apud Musæum, 210, sqq:

Μοῦνον ἐμοὶ ἕνα λύχνον ἀπ' ἠλιβάτου σέο πύργου
Ἐκ περάτης ἀνάφαινε κατὰ κνέφας· ὄφρα νοήσας
Ἔσσομαι ὁλκὰς Ἔρωτος, ἔχων σέθεν ἀςέρα λύχνον·
Καί μιν ὀπιπτεύων οὐκ ὄψομαι δύντα Βοώτην,
Οὐ θρασὺν Ὠρίωνα, καὶ ἄβροχον ὁλκὸν Ἁμάξης·
Πατρίδος ἀντιπόροιο ποτὶ γλυκὺν ὅρμον ἱκοίμην.

— *Nec sequar. Sequor*, Puteaneus cum multis aliis: idem *Tyros* pro *Tyrus*. Mox, *Andromedan*, ut et tres alii: quomodo variis apud Nostrum locis optimi codices: nam *Andromeden* vix dicebant. HEINS.

152. *Quæque micat gelido Parrhasis Ursa polo*. Patronymica non tantum ab hominibus, sed ab aliis quoque rebus deducuntur, ut *Cypris*, *Calydonis*, *Pegasis*, *Asis*, de quibus alibi. CIOF.

At mihi, quod Perseus et cum Jove Liber amarunt,
Indicium dubiæ non placet esse viæ.
Est aliud lumen, multo mihi certius istis;
Non erit in tenebris quo duce noster amor.
Hoc ego dum spectem, Colchos, et in ultima Ponti,
Quaque viam fecit Thessala puppis, eam:
Et juvenem possim superare Palæmona nando,
Miraque quem subito reddidit herba Deum.
Sæpe per assiduos languent mea brachia motus;
Vixque per immensas fessa trahuntur aquas.
His ego quum dixi: pretium non vile laboris,
Jam dominæ vobis colla tenenda dabo.
Protinus illa valent, atque ad sua præmia tendunt;
Ut celer Eleo carcere missus equus.

153. *At mihi quod. Quàm* quatuor scripti. Lege, *quas*: quod confirmavit postea alter Mentelii. HEINS. Nihil muta: millies ita Noster loquitur: mox, 179:

Pene manu quod amo, tanta est vicinia, tango.

Epist. XIX, 179:

Tu quam sæpe petis quod amas, tam sæpe relinquis.

Epist. XX, 168:

Idque ego jam, quod tu forsan amabis, amo. B.

155. *Est aliud lumen. Alium* Aldus. *Numen* etiam quidam codices, ut supra 86: sed hic alia ratio est: nam τὸ *certius* exigit, ut legatur *lumen*; ut ita *sidera*, ad quæ navigatio instituitur, *certa* nautis dicuntur fulgere Horatio et aliis. B.

156. *Non erit in tenebris. Non erat in tenebris*, Puteaneus. Forte, *Non eat in tenebris. Non errat tenebris*, alter Moreti. HEINS.

157. *Colchos atque ultima Ponti. Et in ultima Ponti*, Puteaneus; *et ad ultima*, quinque alii. HEINS.

158. *Thessala puppis*. Puteaneus et alii meliores magno numero, *Thessala pinus*: bene.

160. *Miraque, quem subito reddidit herba Deum*. Ingeniosa est doct. viri conjectura (Miscell. Observ. vol. II, tom. I, p. 195) legendum hic rati: *Morsaque quem subito* etc. Glaucus enim apud Nostrum, Metamorphos. XIII, 942:

... Manuque
Pabula decerpsi, decerptaque dente *momordi*.

Potest tamen et vulgata ferri. *Subitum Deum* Heinsius malebat; quod certe non improbandum: haud tamen vulgato præstare adeo putem, ut, vel reclamantibus codd. in textum velim recipere. LENNEP.

163. *His ego quum* etc. Desunt verba, quibus notentur istiusmodi nugæ.

165. *Ad sua præmia. Ad sua gaudia*, Excerpta Douzæ et Balliolensis: *munera*, Sarravii.

166. *Ut celer Eleo carcere missus equus*. Sic Am. lib. III, Eleg. 2, v. 9:

Hoc mihi contingat, sacro de *carcere* missis
Insistam forti mente vehendus equis.

Ipse meos igitur servo, quibus uror, amores:
Teque, magis cælo digna puella, sequor.
Digna quidem cælo, sed adhuc tellure morare:
Aut dic, ad Superos hinc mihi qua sit iter.
Hic es, et exiguum misero contingis amanti:
Cumque mea fiunt turbida mente freta.
Quid mihi, quod lato non separor æquore, prodest?
Num minus hoc nobis tam brevis obstat aqua?
An malim dubito toto procul orbe remotus
Cum domina longe spem quoque habere mea.
Quo propius nunc es, flamma propiore calesco:

Vid. Tibul. lib. 1, Eleg. 4, vers. 31:

Quam jacet, infirmæ venere ubi fata senectæ,
Qui prior Eleo *carcere* missus equus.

Contra hæc ita scriptum reliquit Caper: « *Carcer* masculini generis, non nisi singulariter dicitur, in quo homines coercentur: pluraliter vero *Carceres*, unde currus effunduntur. » Eruditus lector, perpetuone vera hæc differentia sit, judicabit. C.

168. *Teque magis.* Forte:

Teque mari, cælo digna puella, sequor. H.

Perperam: te *magis* dignam inter stellas recipi et Deam fieri, quam Andromeda, Ariadna et aliæ.

169. *Tellure morare.* Ita in Aldinis habetur, itaque legendum potius existimo; ut sit imperativi modi, quam *morari* infinitivo, aut *moraris* indicativo modo. Nam et sequens verbum ejusdem modi est, quum ait:

Aut dic, ad Superos hinc mihi qua sit iter. M.

Moraris, Puteaneus et alii multi: tres, *moreris*: unus *morari*. Heins.

170. *Hinc mihi qua sit iter. Et mihi*, Puteaneus cum tribus aliis: bene. Lego autem:

Aut duc, ad Superos et mihi qua sit iter. H.

Aut hinc ad Superos dic mihi qua sit iter, Excerpta Douzæ.

171. *Hic es* etc. *Hinc est quod raro misero contingis amanti.* Sic in quibusdam legitur; estque illatio absque antecedente: cui enim inferas, *Hinc est quod raro?* An ei quod proxime antecedit, *Aut dic, ad Superos?* At interrogationi huic non potest, et ulterioribus inconveniens est. Lego ergo cum Aldinis: *Hic es, et exiguum misero contingis amanti;* quod est: Non es in cælis, aut tam longe remota, et tamen exiguum contingis: hoc est, raro ac modice: posito adjectivo neutri generis, pro adverbio. Micyl. — *Et exiguum misero contingis amanti*, omnino legendum e bonis exemplaribus, et ratione. Id est, et perraro eam capimus voluptatem, quam frequentissime capere deberemus. Ciof.

174. *Non minus hæc. Num* Puteaneus. Vide Notas Epist. xi, v. 19: unus Mediceus et fragmentum Farnesianum, *Non minus hoc.* Lego, *Num minus hoc;* et pro *Num malim* sequenti versu, *An malim;* elegantius certe, ut cum *propiore* colludat, more Ovidiano. Heins.

177. *Quo propius. Quo propior*, Excerpta Douzæ, Sarravii, et multi alii.

Et res non semper, spes mihi semper adest.
Pæne manu, quod amo, tanta est vicinia, tango:
Sæpe sed, heu! lacrimas hoc mihi pæne movet.
Velle quid est aliud fugientia prendere poma,
Spemque suo refugi fluminis ore sequi?
Ergo ego te nunquam, nisi quum volet unda, tenebo;
Et me felicem nulla videbit hiems?
Quumque minus firmum nil sit, quam ventus et unda,
In ventis et aqua spes mea semper erit?
Æstus adhuc tamen est: quid, quum mihi læserit æquor,
Plias, et Arctophylax, Oleniumque pecus?
Aut ego non novi, quam sit temerarius; aut me
In freta non cautum tum quoque mittet Amor.
Neve putes id me, quod abest, promittere tempus:
Pignora polliciti non tibi tarda dabo.
Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus æquor;
Ire per invitas experiemur aquas.

178. *Et res non semper. Ut res* Lovaniensis: familiaris vero illa agnominatio scriptorib. Aus. Parent. XI: Pastor chare nepos, *spes* cujus certa fuit *res*. Et Profes. carm. VI:

O Flos Juvenum
Spes læta Patris,
Nec certa tuæ
Data *res* Patriæ.

180. *Sæpe sed (heu!) lacrimas hoc mihi pæne movet.* Hoc *pæne*, inquit, facit mihi sæpe lachrymas: id est, quod *pæne* manu nos tangimus, et tamen contingere non possumus. Allusio autem est ad priorem versum, in quo idem adverbium, *pæne*, ponitur. MICYL.

182. *Refugi. Profugi* Lovaniensis et duo alii. *Reflui* Francof. quæ sollemnis est permutatio librariorum.

186. *In ventis et aqua.* Francius malebat, *in vento atque unda*, ut esset repetitio sollemnis.

187. *Quum mihi læserit. Quum modo læserit* volebat Franc.: illud, *mihi læserit æquor*, mihi suspectum est: forte *cluserit*, pro *clauserit*. *Clausum æquor* quid sit, notum. Florus III, 6. *Piratæ mare bello, quasi tempestate* præcluserant. Apposite Manil. 1, 365: Tunc subeunt hædi, *claudentes* sidere pontum Nubibus. BURM.

189. *Aut ego non novi, quam sim temerarius. Quam sit* cum Scriverio et uno Farnesii legendum: de Amore sermo est. Amor. lib. I, El. II, ad Cupidinem, vers. 43:

Tum quoque non paucos, si te bene novimus, ures.

Sequenti etiam versu, *non cautum* tres libri: bene. HEINS. Legerem etiam, *non cautum tunc*, vel quia in

Aut mihi continget felix audacia salvo;
  Aut mors solliciti finis amoris erit.
Optabo tamen, ut partes expellar in illas,
  Et teneant portus naufraga membra tuos.
Flebis enim, tactuque meum dignabere corpus:
  Et, mortis, dices, huic ego causa fui!
Scilicet interitus offenderis omine nostri:
  Literaque invisa est hac mea parte tibi.
Desino; parce queri: sed et, ut mare finiat iram,
  Accedant, quæso, fac tua vota meis.
Pace brevi nobis opus est, dum transferor istuc;

Juniano est, *captus jam, non cautum jam*; infr. 210 :

Tunc piger ad nandum, tunc ego cautus ero.

In Moreti erat, *In freta non cautum turbida mittet amor:* eleganter. B.

195. *Continget. Contigerit* alter Moreti. HEINS.

197. *Optabo tamen, ut partes. Et tamen optabo ut partes*, unus Patavinus : recte, si τὸ *ut* tollatur. Tres alii, *Optabo tantum partes expellar in illas.* Vel lege, *Sed tamen optabo, partes expellar in illas.* HEINS.

199. *Tactuque.* Francius conjiciebat *jactuque*, scil. arenæ, qua cadavera ejecta tegere solebant; sed ita *jactu* absolute ponere durum est et insolens.

200. *Mortis. Morti* Moreti, quod mollius obsequens *dices.*

203. *Desino; parce queri.* Prima editio et tres scripti; *Desine, parce queri.* Puteaneus, *desino parce.* Scribe, *Desino; parce queri:* quod et Douzæ in mentem venerat. Tibul. lib. II, El. ult., v. 41 :

Desino, ne Dominæ luctus renoventur acerbi.

Deinde, *sed et ut mare finiat* cum eodem Puteaneo et decem aliis repone : alter Mentelianus, *Sed et ut mare desinat iram.* HEINS. *Sed quod* Moreti et unus Heinsii : forte, *Sed quo mare finiat iram :* ita et Epist. XX, 23, vulgo :

Fraus mea quid petiit, nisi uti tibi jungerer uni.

Sed editiones primæ et scripti, *quod*, et Bersmanni, *nisi quo*, quod rectum, et probat Heinsius. Vide ibi, et alibi : *sed ut hoc*, Edit. prima, et nonnulli codices : *sed ut hanc*, Bernensis unus. BURM.

205. *Pace brevi nobis opus est* etc. Hinc sane enatum lepidissimum hoc Martialis Epigramma ; Libell. de Spectac. Epigr. XXV :

Quum peteret dulces audax Leandrus amores,
  Et fessus tumidis jam premeretur aquis,
Sic miser instantes affatus dicitur undas :
  Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.

In quo quidem ita sibi ipse complacuit poeta, ut iterum, sed multo feliciter minus, lib. XIV, Ep. 181, de Leandro quodam marmoreo :

Clamabat tumidis audax Leander in undis :
  Mergite me, fluctus, quum rediturus ero.

Elegantior hæc et venustior sententia, quam quæ Gallicos poetas fugeret; illamque sic expressit *Voltaire :*

Léandre, conduit par l'Amour,
En nageant disait aux orages:

Quum tua contigero litora, perstet hiems.
Illic est aptum nostræ navale carinæ,
Et melius nulla stat mea puppis aqua.
Illic me claudat Boreas, ubi dulce morari:
Tunc piger ad nandum, tunc ego cautus ero.
Nec faciam surdis convicia fluctibus ulla:
Triste nataturo nec querar esse fretum.
Me pariter venti teneant, pariterque lacerti;
Per causas istic impediarque duas.
Quum patietur hiems, remis ego corporis utar:
Lumen in adspectu tu modo semper habe.
Interea pro me pernoctet epistola tecum;
Quam precor ut minima prosequar ipse mora.

Laissez-moi gagner les rivages;
Ne me noyez qu'à mon retour.

— *Istuc.* Seculo Ovidii non admodum usitatum verbum hoc existimo. *Isto* vero probamus, nam et Francofurtensis habet. BURM.

206. *Perstet.* In uno Heinsiano erat, *perflet;* sed nihil temere mutem. Epist. XVI, 25:

Perstet, et ut pelagi sic pectoris adjuvet æstum.

Perflare aliam habet significationem, ut in illo Virgilii, I Æneid. 813:

... Et terras turbine perflant. BURM.

208. *Stat mea puppis aqua.* Et his verbis obscœnum sensum subesse putabat Douza; injurius certe poetæ nostro. IDEM.

211. *Fluctibus.* Novi multos esse poetas in illa locutione, *surdior mari,* vel *freto;* sed hic bis idem diceret, si vera est lectio, *fluctibus: triste* enim *fretum* est idem, ac fluctibus agitatum et tumidum. Quare mallem hic, *flatibus* legere, quibus jam sequentia optime respondent: *Me pariter venti teneant.* BURM.

213. *Me pariter venti teneant, tenerique lacerti.* Quatuor libri, *pariterque lacerti.* Forte, *teneantque lacerti.* Vid. Notas Epistolæ VI, vers. 29.

214. *Impediarque. Detinearque,* unus Lovaniensis.

216. *Lumen in aspectu* etc. Apud Musæum idem, 216:

Ἀλλὰ, φίλη, περύλαξο βαρυκνείοντας ἀήτας,
Μή μιν (λύχνον) ἀποσβέσσωσι.

218. *Persequar ipse mora. Prosequar,* Puteaneus et alii ex melioribus. HEINS. Francius malebat, *subsequar.*

EPISTOLA XIX.

HERO LEANDRO.

QUAM mihi misisti verbis, Leandre, salutem,
Ut possim missam rebus habere, veni.
Longa mora est nobis omnis, quæ gaudia differt;
Da veniam fassæ; non patienter amo.
Urimur igne pari; sed sum tibi viribus impar:
Fortius ingenium suspicor esse viris.
Ut corpus, teneris sic mens infirma puellis;
Deficiam; parvi temporis adde moram.
Vos, modo venando, modo rus geniale colendo,
Ponitis in varia tempora longa mora.
Aut fora vos retinent, aut unctæ dona palæstræ:

1. *Leandre.* Dubitat Egnatius an non, prima syllaba producta, Græcorum more *Leiandre* sit scribendum. Non puto; nam nec *Cythereia* scribitur, aut *Medeia* aut *Æneias.* Græcis porro tam Λέανδρος in usu, quam Λείανδρος, aut Λεάνδρος fuisse, probat Alex. Severi nummus, apud Morellium in specimine Rei nummariæ, p. 188. LENNEP.

7. *Sic mens. Ita mens* Puteaneus et ex melioribus alii nonnulli: sequenti versu, *deficiar* puto legendum, pro *deficiam.* HEINS. Ego *deficiam* non muto; nam quibus animus et vires cadunt, *deficere* eleganter dicuntur. BURM.

9. *Rus geniale colendo.* Rus ornando, excolendo, ubi *genio*, id est, voluptatibus indulgeatis.

10. *In varia. In varias moras*, unus Heinsii.

11. *Aut unctæ dona palæstræ.* Τὸ *dona* non satisfacit: quod ex officina interpolatorum censeo prodiisse, quum in exemplaribus esset, *unctæ palæstræ*, omissa videlicet unica voce, quam cognatio literarum τοῦ *unctæ* absorpserat; cujusmodi mendas propemodum infinitas, tum in Nasone, tum in aliis scriptoribus deprehendimus. Videtur ergo a Nasonis manu fuisse:

... Aut unctæ lucta palæstræ. HEINS.

Flectitis aut freno colla sequacis equi.
Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo:
Diluitur posito serior horâ mero.
His mihi submotæ, vel si minus acriter urar,
Quid faciam, superest, præter amare, nihil.
Quod superest, facio: teque, o mea sola voluptas,
Plus quoque, quam reddi quod mihi possit, amo.
Aut ego cum cara de te nutrice susurro;
Quæque tuum, miror, causa moretur iter;

— Nihil mihi videtur opus hoc commento, ad quod nec Heinsius, ut puto, confugisset, nisi *palæstræ dona* perperam cum vulgo interpretum *palmas*, aliaque victorum in palæstris *præmia* intellexisset, quum hoc quidem optime vir egregius videret, ad prolatam hic ab Herone sententiam non tam *præmiorum*, quam *luctæ* et quorumvis exercitiorum in palæstra, commemorationem requiri; at vero jucundissima hæc adolescentibus quotidiana exercitia *palæstræ*, *dona* ejus quidni dixerit Ovidius, quum sic etiam alibi *donum* et *munus* alicujus rei dictum illud reperiatur, quod vel ex re ipsa, vel ex ejus sive ope, sive occasione, commodi aut beneficii aut jucunditatis aliquis percepit? Hor. III, 8, 27:

Dona præsentis cape lætus horæ.

Virgil. Æn. VIII, 657:

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris, et *dono* noctis opacæ. L.

14. *Diluitur posito* etc. Mos olim erat Græcis, dein et Romanis, ut,

Postquam exemta fames epulis, mensæque remotæ, (VIRG.)

tempus viri ludo vel confabulationibus producerent; decederent vero mulieres, ne si quid dicentibus excideret liberius, pudicas aures offenderet. Qui mos etiam nunc apud quasdam hodiernæ Europæ gentes inviguit.

15. *His mihi submotæ* etc. Quæ mihi quum desint, nihil, quod faciam, superest, *præter amare*, etiamsi non acriter adeo *urar*.

17. *Mea sola voluptas*. Prima editio et tres scripti, *mi sola*: ἀρχαϊκῶς; pro *mea*: aut pro *mihi*, ut sit Græcismus. Sic apud Tragicos, ὦ τέκνον μοι, ὦ γύναι μοι: et similia. Tibullus I, El. VI, 63:

Vive diu *mihi* dulcis anus: proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos conteruisse velim.

Sic scribe: inepte vulgo, *contribuisse*. H. — Illud *mi sola* non placet, et Apulejo convenire magis rancidam antiquitatem credo, quam Ovidio: neque Tibullo decoram credidit Broukhusius, ad laudata ejus poetæ verba. BURM. Quin et τὸ *mi* si recipiatur, aliter accipi nolim, quam pro *mihi*. HEYN. ad loc. Tibull.

18. *Plus quoque quam credi. Quam reddi*, Puteaneus et Basileensis: venuste. Sic I, Art. Amat. 370:

Ut puto non poteris ipsa *referre* vicem.

Hoc est, non poteris paria facere amando. HEINS.

19. *Cum cara*. Franc. mallet, *cana*: ut mox 26, *Anus* dicitur: et 46, *Movens anile caput*. — Male: *Cara* enim, quæ heræ amoribus ita inserviret.

Aut mare prospiciens, odioso concita vento
  Corripio verbis æquora pæne tuis:
Aut ubi sævitiæ paulum gravis unda remisit,
  Posse quidem, sed te nolle venire, queror.
Dumque queror, lacrimæ per amantia lumina manant,
  Pollice quas tremulo conscia siccat anus.
Sæpe tui specto si sint in litore passus;
  Impositas tanquam servet arena notas.
Utque rogem de te, et scribam tibi, si quis Abydo
  Venerit, aut, quæro, si quis Abydon eat.
Quid referam, quoties dem vestibus oscula, quas tu
  Hellespontiaca ponis iturus aqua?

21. *Aut mare. Aut freta* Douzæ excerpta, et novem codices.

22. *Æquora pæne tuis.* Male alii, *sæpe meis.* Respicit enim ad expostulationem Leandri, quam supra vidimus; nisi *æquora sæva*, placet reponi. Heins. *Nempe meis* Bernensis: *sæva* etiam Francius conjecerat: et hoc probum puto, ob repetitionem *sævitiæ*, sqq. vers. Sic apud Horat. II, Od. X, 9: *sævius*, pro *sæpius* reponendum puto. Burm.

23. *Sævitiæ paulum.* Potest capi ut apud Terent. And. V, 3, v. 32: *Paulum supplicii.* In editionibus antiquis Venetis et Bersmanni, et quatuordecim scriptis reperi *sævitiam. Sævitiem* etiam in Moreti, et quinque aliis: ut dictum esset, quomodo *parum fidem habere*, apud Plautum et Terentium. Burm.

26. *Conscia siccat anus.* Hafniensis et Lovaniensis, *Cretica;* cum glossa, *id est de Creta.* Sed legendum puto, *Trecia.* Sic lib. II, Art. Amat. pro *Mars Trecen occupat*, male *Creten* scribebatur ante. Apud Horatium lib. III, Od. IX: quæ in vulgatis codicibus, *Chloe Cressa* est, hanc vetusta exemplaria *Thressam* faciunt: apud Maronem, pro *Cressa genus Pholoe*, Scholiastes Horatii antiquus agnoscit *Thressam.* Heins.

27. *Si sint. Quasi sint*, unus Moreti.

29. *Utque rogem de te et scribam tibi.* Versus paulo durior. Libri sex τὸ *et* non agnoscunt: unus Ambrosianus, *ut scribam.* Puto legendum hoc modo totum distichon:

Utque rogem de te quæramque, huc si quis Abydo
Venerit: aut scribam, si quis Abydon eat. H.

—Nihil puto movendum: sed sensus et ordo ita constituendus; ut rogem de te, et scribam tibi, quæro, *si* (id est *an*) quis Abydo venerit, aut si quis Abydon eat: illud *aut* male cum *quæro* conjunctum confudit sensum. Burm.

31. *Quoties do vestibus oscula. De vestibus* Puteaneus. Lege *dem*: atque ita sex scripti. Sic apud Valer. Flaccum simili errore legitur, *Desinite amplexus*, quum reponendum sit, *Dem sinite*, lib. IV, 634. Heins.

32. *Hellespontiaca.* Farnesianus et Oxoniensis a manu prima, *Hellespontiacas aquas.* Burm.

Sic ubi lux acta est, et noctis amicior hora
Exhibuit pulso sidera clara die;
Protinus in summa vigilantia lumina turre
Ponimus, adsuetæ signa notamque viæ;
Tortaque versato ducentes stamina fuso,
Feminea tardas fallimus arte moras.
Quid loquar interea tam longo tempore, quæris?
Nil, nisi Leandri nomen, in ore meo est.
Jamne putas exisse domo mea gaudia, nutrix?
An vigilant omnes? et timet ille suos?
Jamne suas humeris illum deponere vestes:
Pallade jam pingui tingere membra putas?
Adnuit illa fere: non nostra quod oscula curet;
Sed movet obrepens somnus anile caput.

33. *Sic ubi lux acta est. Facta est* Puteaneus et novem alii: nil muto. Sed et hic posset *tracta* legi.

35. *In summa turre. In summo tecto,* Puteaneus et Moreti codex. HEINS. Non probo. *Turris* enim etiam in præcedenti Epistola meminit.

36. *Signa notâmque. Signa notanda,* Leidensis: similis diversitas III, Fast. 650:

... Apparent signa notæque pedum.

Ubi *signa notata* Heinsius mavult, cum undecim scriptis: editio prima habet, *signaque nota.* Lincol.: *notaque signa;* duæ editiones Venetæ et margo Micylli et Bersman., *signa notasque.* BURM.

42. *Timet ille suos.* In quibusdam, *patrem*, non *suos* legitur: utrumque recte. NAUGER.

44. *Pallade jam pingui tingere membra putes.* Vel contra codicum fidem, *fingere* reponendum contendo. Sic in Catalectis Pithoei Avienus, Epigrammate, quod Martiali ab aliis tribuitur, et in ejus est vetustis exemplaribus, lib. IV, Ep. 90; in aliis, 89:

Tunc oleo corpus *fingo* mollique palæstra;

Quomodo meliores scripti, non *corpusque frico:* atque ita apud Martialem quoque libro I, Epigr. LXXIX, scribendum videtur:

Fingit cutem Churinus, et tamen pallet. H.

Non puto hic locum posse habere *fingere*, ut alibi; et tamen offendit ille soni ejusdem iteratio, *pingui tinguere:* quare ego mallem, *Ungere jam pingui pallade membra putes;* nam in antiquis omnibus editis est, *Tingere jam pingui pallade membra putes:* voces autem *tinguere* et *unguere*, ubique fere commutatæ a librariis. *Tangere* erat in uno Moreti, et excerptis Douzæ: etiam eleganter: nam *oleo tangere*, Catonem et Varronem dixisse docuit Scriver. ad Martial. lib. VI, Epigr. 74. BURM.

45. *Annuit illa fere. Fere*, pro *plerumque*, et, *fere semper*, posuit. Sic et Cicero: *Pater meus hic fere agit ætatem in literis.* MICYL.

46. *Obrepens. Obrepans* Ambros.

Postque moræ minimum : jam certe navigat, inquam ;
Lentaque dimotis brachia jactat aquis ;
Paucaque quum tacta perfeci stamina tela,
An medio possis, quærimus, esse freto.
Et modo prospicimus : timida modo voce precamur,
Ut tibi det faciles utilis aura vias.
Auribus interdum voces captamus ; et omnem
Adventus strepitum credimus esse tui.
Sic ubi deceptæ pars est mihi maxima noctis
Acta, subit furtim lumina fessa sopor.
Forsitan invitus, mecum tamen, improbe, dormis ;
Et, quamquam non vis ipse venire, venis.
Nam modo te videor prope jam spectare natantem :
Brachia nunc humeris humida ferre meis.
Nunc dare, quæ soleo, madidis velamina membris :
Pectora nunc juncto nostra fovere sinu.
Multaque præterea, linguæ reticenda modestæ ;
Quæ fecisse juvat, facta referre pudet.

Forte, *obreptans*. Heins. *Obserpens* volebat Douza.

47. *Moræ minimum. Nimium* Puteaneus, et alii plurimi codices ; et Bersmanni editio, quod accommodatius non patienter amanti : notandum vero *navigat* hic dici, pro *natat*.

49. *Paucaque quum tacta perfeci stamina tela. Tracta*, pro *tacta* videtur reponendum : hinc et *tractum* neutro, et *tracta* feminino genere, voces substantivæ, de quibus Scaliger ad lib. I, Eleg. VII, Tibulli. *Vos lanam trahitis*, apud Juvenalem Sat. II, 54. *Trahere telam*, ut *trahere lanam*, et *trahere pensa* ; posset et *facta tela* : ut *facere stamen* Juven. Sat. II, vers. 57 : et *facere pensa* Propert. IV, v. 9. Heins. Ego *tacta* retinui, id est, leviter, negligenter tacta, quia mens, alibi occupata, non attendebat lanificio. Burm.

53. *Interdum. Incertas voces* Puteaneus ; ut Dejanira, Epist. IX, 41 : Aucupor infelix *incertæ* murmura *famæ*. H.

58. *Et quamquam non vis ipse venire, venis*. Fieri potest, ut non *ipse* velis venire ; *venis* tamen : somnianti quippe non potes quin adstes, vel invitus. Nugatur hic more suo Ovid. Narrat deinde somnium.

59. *Prope jam*. Tres libri, *prope me* : alii duo, *te* ; sed *prope me* præstat. Sic ex MSS. IV, Trist. III, 41 : Spiritus hic prope te patrias exisset in auras. H.

60. *Humida. Uvida* mallet Franc.

63. *Lingua reticenda modesta. Modeste*, Puteaneus et Mentelianus : *linguæ modestæ* duo alii ; quod verum est. H. Posset etiam, *multaque*

Me miseram! brevis est hæc, et non vera voluptas:
  Nam tu cum somno semper abire soles.
Firmius o cupidi tandem coëamus amantes;
  Nec careant vera gaudia nostra fide.
Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?
  Cur toties a me, lente natator, abes?
Est mare, confiteor, nondum tractabile nanti:
  Nocte sed hesterna lenior aura fuit.
Cur ea præterita est? cur non ventura timebas?
  Tam bona cur periit, nec tibi rapta via est?
Protinus ut similis detur tibi copia cursus:
  Hoc melior certe, quo prior, illa fuit.
At cito mutata est jactati forma profundi;
  Tempore, quum properas, sæpe minore venis.

prætereo linguæ reticenda modestæ.

65. *Me miseram.* Distichon hoc suspectum est: legerem etiam:

Me miseram! brevis hæc, et non sincera voluptas!

Ut lib. VIII, Metam. 455:

... Usque adeo nulla est sincera voluptas. H.

Probæ notæ distichon: et *vera voluptas*, opponitur isti vanæ et imaginariæ, quæ in somnis capi videtur. B.

70. *Lente natator. Morator*, vel *natator*, Puteaneus. Moreti codex, *viator: toties abes*, ut apud Propertium, IV, III, 2:

Quum toties absis, si potes esse meus. H.

71. *Tractabile. Tranabile*, Lovaniensis: sed *non tractabile cælum*, Virgil. IV, Æneid. 53. *Penetrabile*, Basileensis: etiam non invenuste; ita *penetrabile tempus*, Claud. Bell. Get. 278. BURM.

72. *Lenior aura. Mollior* duo libri.

74. *Nec tibi capta via est. Rapta*, Puteaneus et undecim alii cum prima editione. Optime. Seneca, Agamemn. 154:

Rapienda rebus in malis præceps via est.

Rapere tempus, Lucano et Silio. *Rapere fortunam*, Statio, Theb. V, 131. Apud Pers. Sat. V:

... Nihil obstat, quin trabe vasta
Ægæum rapias. HEINS.

75. *Copia cursus.* Navigandi facultas. CIOF. *Nandi* liber Leidensis et Excerpta Douzæ: ex Epist. præced. 147. HEINS.

76. *Hoc melior certe, quo prior illa fuit. Fuit*, pro *fuerit* dixit. Estque sensus: si detur tibi copia similis cursus, hoc est, similis facultas natandi, eo quo prior sive citior fuerit, eo melior eadem fuerit. M. — Non est hic *fuit* pro *fuerit*, neque sensus ille, quem Micyllus putat; sed hoc dicit Hero: quamvis protinus tibi *similis* hesternæ, *copia cursus detur*, hoc ipso tamen illa hesterna *melior, quo prior fuit.*

77. *Mutata est.* Non negligendum quod in Leidensi codice erat, *mutarit.* Solebant enim hac forma uti veteres hoc verbo, ut Liv. III, 10.

Hic, puto, deprensus, nil quod quererēris haberes;
Meque tibi amplexo nulla noceret hiems.
Certe ego tum ventos audirem læta sonantes,
Et nunquam placidas esse precarer aquas.
Quid tamen evenit, cur sis metuentior undæ?
Contemtumque prius, nunc vereare fretum?
Nam memini, quum te sævum veniente minaxque
Non minus, aut multo non minus, æquor erat.
Quum tibi clamabam: sic tu temerarius esto,
Ne miseræ virtus sit tua flenda mihi.
Unde novus timor hic? quoque illa audacia fugit?
Magnus ubi est spretis ille natator aquis?
Sis tamen hoc potius, quam quod prius esse solebas:

79. *Hic, puto, deprensus* etc. A tempestate scilicet, quæ ne Abydum redires vetaret, non haberes ideo unde *quererēris*, quum solito longius apud amicam, et illius in amplexibus immorari te cogeret hiems.

81. *Ventos audirem læta sonantes.* Puteaneus et Leidensis, *lenta*: recte. *Sonantes.* Scriverii codex, *tonantes*: quod verum puto. Mox mallem, *placidas ire precarer aquas. Ire* enim proprie aquas dici docuit egregie Broukhusius ad Tibul. I, Eleg. X, 38: ubi simile mendum sustulit. Adde et quæ Barthius ad Statii, lib. IV, Theb. 778, adnotavit. BURM. — Minus recte ut opinor: nam quod *ire* proprie dici *aquas* scribit Burman. idque egregie docuisse Broukh. ad Tibull. verum est quidem de aquis fluminum, ab editis locis versus inferiora semper decurrentibus; at non verum est de aquis modo huc modo illuc agitati maris. LENNEP.

83. *Cur sis metuentior.* Ita Tacitus, XIII, Ann. 25. *Nero metuentior in posterum*; quod cur in *metu intentior* mutandum censeant viri eruditi, ipsi viderint. Ipse Ovidius, I, Metam. 323:

...Aut illa *metuentior* ulla Deorum. HEINS.

88. *Tua virtus.* Propertius, III, Eleg. X, 9:

Illa quidem interea fama tabescet inani,
Hæc *tua* ne *virtus* fiat amara tibi.

Ubi Heinsius mallet *sibi*, ut in ora codicis notavit. Eodem fere sensu Terent. Phorm. III; I; V. 11. *Vereor ne isthæc fortitudo in nervum erumpat*: ubi *fortitudo* etiam in malam partem, pro confidentia, audacia, ut hic *virtus*. BURM.

89. *Unde novus timor hic.* In Scriverii codice erat, *unde timor nothus hic*: quæ lectio, si vera, pro *degeneri* sumenda est. Eo verbo et utitur in Epistola IV, 122:

Scilicet ut caperes regna paterna *nothus*. H.

Ex Virgilio posset illustrari, qui libro IV, 13:

Degeneres animos timor arguit.

Sed non puto Ovidium *timorem nothum* dixisse, quamvis *nothum lumen Lunæ* Catullus et Lucret. tribuant. B.

91. *Hoc potius, quam quod. Hic*

Et facias placidum per mare tutus iter.
Dum modo sis idem : dum sic, ut scribis, amemur;
Flammaque non fiat frigidus illa cinis.
Non ego tam ventos timeo, mea vota morantes,
Quam, similis vento, ne tuus erret amor :
Ne non sim tanti, superentque pericula causam;
Et videar merces esse labore minor.
Interdum metuo, patria ne lædar, et impar
Ducar Abydeno Sesta puella toro.
Ferre tamen possum patientius omnia, quam si
Otia, nescio qua pellice captus, agas ;
In tua si veniant alieni colla lacerti;
Sitque novus nostri finis amoris amor.
Ah ! potius peream, quam crimine vulnerer isto;
Fataque sint culpa nostra priora tua !
Nec, quia venturi dederis mihi signa doloris,
Hæc loquor, aut fama sollicitata nova.
Omnia sed vereor : quis enim securus amavit ?
Cogit et absentes plura timere locus.
Felices illas, sua quas præsentia nosse
Crimina vera juvat, falsa timere vetat !

potius, quam qui, Leidensis : sed frustra ; mox *cautus iter,* volebat Franc.

100. *Ducar Abydeno Sesta puella toro. Pro Sesta*, unus Mediceus, *Cresa.* Argentinus et Basileensis, *Cressa :* unus Moreti, *Festa.* Puteaneus, *Thressa ;* optime. Certe Thressæ despectæ, ut ex Græcorum patet commentariis. Atque ita Themistocli objectum, quod *e Thressa* prognatus esset, ut liquet ex Æmilio Probo. Citantur ab Athenæo in Deipnosophistis, et ab aliis Grammaticis, Θρᾷτται, Comœdia Cratini, in qua Thressas feminas fuisse exagitatas nullum mihi dubium fit. Hinc et apud Valerium Flaccum, III, 706, Zethes et Calais, *Thracia proles* per contemptum ab Jasone vocantur, quod ex Borea nati essent. HEINS.

103. *Si veniant. Quam veniant*, Moreti.

105. *Crimine*, Francius conjiciebat, *nomine.*

111. *Sua quas præsentia nosse Crimina vera juvat.* Quæ quum cuncta per se videant, quia *præsentes*, falli nullo modo possunt. Emendabat Scaliger *jubet ;* sicque *legendum* imperat Heinsius, ex auctoritate, inquit, decem librorum.

Nos tam vana movet, quam facta injuria fallit:
Incitat et morsus error uterque pares.
O utinam venias! aut ut, ventusve, paterve,
Causaque sit certe femina nulla moræ!
Quod si quam sciero, moriar, mihi crede, dolendo.
Jamdudum peccas, si mea fata petis.
Sed neque peccabis, frustraque ego terreor istis:
Quoque minus venias, invida pugnat hiems.
Me miseram! quanto planguntur litora fluctu!
Et latet obscura condita nube dies!
Forsitan ad pontum mater pia venerit Helles,
Mersaque roratis nata fleatur aquis:
An mare, ab inviso privignæ nomine dictum,
Vexat in æquoream versa noverca Deam?

113. *Vana movet.* Admodum variant scripti: multi, *vera movet:* alii, *falsa movet, quam ficta:* sed vulgata proba est: *vana* enim injuria est, quæ incertis et levibus auctoribus, et rumore ad nos perfertur; et ita recte opponitur *factæ* injuriæ; vana enim temere jactatur, nec unquam admissa est. BURM.

114. *Incitat et morsus* etc. Pariter me sollicitat *error uterque*, meus scil. ob vanam suspicionem; et tuus, propter mutuum amorem.

116. *Causaque sit certæ.* Lege, *causaque sit tantæ.* CIOF. *Certæ moræ* plerique veteres cum Puteaneo; bene. Remed. Am. v, 112, dictum. Sic contra *certa fuga*, Rem. Am. 266: Ille dedit certæ lintea plena fugæ. HEINS. Omnino scribendum, *certe.*

118. *Jamdudum peccas.* Versus suspectus. HEINS. Forte scribendum: *jam durus pecca.* Vel *actutum pecca, si mea fata petis.* LENNEP.

123. *Forsitan ad pontum mater pia venerit.* Nephelen intelligit, matrem scilicet Helles, quæ, dum, Phryxo fratre comite, novercæ Inus iram fugeret, aureo velleri arietis insidens, in eam partem maris incidit, quæ deinde ab ejus nomine *Hellespontus* vocata est. Fingit Hero tempestatem hanc a Nephele suscitatam, in memoriam, et fieri si possit, in vindictam natæ suæ casus. — *Pontum.* Sex scripti codices *portum* habent: forte non male; nisi malis *Porthmum* legere: nam hoc fretum Πορθμὸς dictum fuit. HEINS. Sed et Πόντος apud Homer. et alios sæpe eximie vocatur Hellespontus.

124. *Mersaque roratis.* Hæc est genuina lectio. CIOF. Sic sæpe Ovid. sed ferri etiam potest *turbatis*, quod plures codices habent. HEINS.

125–126. *An mare..... vexat in æquoream versa noverca Deam?* Et ita quidem se res habent. Ino quippe, quum in mare se præcipitem cum Melicerta filio dedisset, in Deam *æquoream* conversa est, quæ Græcis Ἀινυάλη; Latinis, *Matuta*

Non favet, ut nunc est, teneris locus iste puellis.
  Hac Helle periit; hac ego lædor aqua.
At tibi flammarum memori, Neptune, tuarum
  Nullus erat ventis impediendus amor:
Si neque Amymone, nec laudatissima forma
  Criminis est Tyro fabula vana tui;
Lucidaque Alcyone, Calyceque Hecatæone nata,
  Et nondum nexis angue Medusa comis;
Flavaque Laodice, cæloque recepta Celæno,
  Et quarum memini nomina lecta mihi.

nomine, celebratur. — *Vexat. Vexet* scribendum postulant superiora: nisi pro *Aut*, præcedenti versu, *An* legas, cum Putean.: idque præstat.

127. *Non favet, ut nunc est* etc. Similiter Thessaloniensis Antipater, Epig. LII, Anal. Brunck, t. II, p. 102: Αἰεὶ θηλυτέρῃσιν ὕδωρ κακὸν Ἑλλήσποντος. Navigaverat etiam ipse Hellespontum; certe appositam ei Sestum et servata ibi Herus ac Leandri amorum monumenta, turrim illius et commune amborum sepulchrum oculis lustraverat; unde Epigr. LIV, ibid. 123.

Οὗτος ὁ Δειάνδροιο διάπλοος, οὗτος ὁ πόντου
  Πορθμὸς, ὁ μὴ μούνῳ τῷ φιλέοντι βαρύς.
Ταῦθ' Ἡροῦς τὰ πάροιθεν ἐπαύλια· τοῦτο τὸ πύργου
  Λείψανον, ὁ προδότης ὡδ' ἐπέκειτο λύχνος.
Κοινὸς δ' ἀμφοτέρους ὁδ' ἔχει τάφος, εἰσέτι καὶ νῦν
  Κείνῳ τῷ φθονερῷ μεμφομένους ἀνέμῳ.

Turrim, τὸ τῆς Ἡροῦς πύργον, memorat etiam Strabo, XIII; nec spernenda Lucan. auctoritas, Phars. IX, 954; nec Statii, Silv. I, 3, 27.

132. *Criminis est Tyro* etc. Eadem, quæ *Salmonis* apud Nostrum, Amor. III, Eleg. VI, 43, a Salmoneo patre, dicitur.

133. *Circeque et Alymone nata.* Non expediunt se ex hoc loco interpretes, qui haud dubie mendosissimus est. Monstra lectionum in vetustis codicibus apparent: pro *Circe* plerique, *Ceyce, Ceiceque, Ceyceque*: pro *Alymmone*, scripti *Avenone, Aveone, Arreone, Aneone* etc., et quid non? sed ita ut plerique, *Aveone*, aut *Aneone* agnoscant. Helmæstadiensis, *Ceyceque et Neone nata.* Puteaneus, *Ceyceque et Aveone nata.* Scribo, *Calyceque Ecatheone nata.* Hyginus, Fab. CLVII: ubi Neptuni filios recenset, *Cygnus ex Calyce Hecatonis filia*: ubi *Hecatæonis* videtur rescribendum. Scholiastes Theocriti, Idyll. XVI. Κύκνον λέγει τὸν Ποσειδῶνος καὶ Κήϋκος. Vel ut aliæ editiones habent, Καΰκος. Lego Καλύκης: addit autem, *Hecatæone nata*, ut ab altera Calyce Endymionis matre, filia Æoli, distinguat. H. — Quum autem, ipso Heinsio teste, pro *Circe* codd. hic plerique *Ceyce, Ceiceque, Ceyceque* exhibeant, certe non minore aliquis veri specie pro Κήϋκος in illis scholiis legendum Κηΰκης, hicque *Ceyceque* veram esse lectionem, contendat. LENNEP.

Has certe pluresque canunt, Neptune, poetæ
Molle latus lateri conseruisse tuo.
Cur igitur, toties vires expertus amoris,
Adsuetum nobis turbine claudis iter?
Parce, ferox; latoque mari tua prælia misce.
Seducit terras hæc brevis unda duas.
Te decet aut magnas magnum jactare carinas;
Aut etiam totis classibus esse trucem.
Turpe Deo pelagi, juvenem terrere natantem:
Gloriaque est stagno quolibet ista minor.
Nobilis ille quidem est, et clarus origine; sed non
A tibi suspecto ducit Ulixe genus.
Da veniam, servaque duos: natat ille; sed isdem
Corpus Leandri, spes mea, pendet aquis.
Interea lumen, posito nam scribimus illo,

137. *Has certe. Has etenim* corrigebat Francius.

138. *Latus lateri conseruisse tuo. Composuisse*, Puteaneus, et alii majori ex parte cum prima editione: et recte; quidam *supposuisse*, et *continuasse*. Heins.

140. *Turbine claudis iter. Turbide* duo scripti. Sed rectum est *turbine*: si enim *tempestate præcludere maria* potuerit dixisse Florus, III, 6, cur non iter possit turbine claudi? *Turbo* autem poetis vox familiaris pro procella. Burm.

141. *Tua prælia.* Francius volebat, *fera prælia.*

145. *Terrere.* Moreti unus, *turbare.*

148. *A tibi suspecto.* Ad Polyphemum referenda sunt hæc, cujus gratia Neptunus Ulixi infensus erat. Excæcaverat enim illum Ulixes, cum exprobatione ea, ut diceret, neque patrem Neptunum auxiliaturum illi esse, aut oculum restituturum: Odyss. I, 525. Micyl. — *Ducit Ulixe genus.* Quum multis e locis, in ipsa hac Epistola, tum ex hac potissimum Ulixis mentione, patet Hero Leandrumque, opinione certe Ovidii, Trojanis temporibus longe recentiores exstitisse. Statius tamen Thebano bello facit antiquiores, quum illorum meminerit, in pallio, quo donatur Admetes victor in ludis ad tumulum Archemori celebratis. Theb. VI, 542.

151. *Interea lumen* etc. Sternutationem sive crepitum lucernæ faustum in amoribus omen præbuisse docet Anthol. Græc. VII, Epigr. 177:

Ἡδύ, φίλτατε λύχνε, τρὶς ἑπταρες· ἦ τάχα τερπνὴν
Ἐς θαλάμους ἄξειν Ἀντιγόνην προλίγεις;
Εἰ γὰρ ὄναξ εἶη τόδ' ἰητύμον, οἷος Ἀπόλλων,
Θνητοῖς μάντις ἔσχ', καὶ σὺ παρὰ τρίποδι.

Sternuit, et nobis prospera signa dedit.
Ecce merum nutrix faustos instillat in ignes:
Cras erimus plures, inquit; et ipsa bibit.
Effice nos plures, evicta per æquora lapsus,
O penitus toto corde recepte mihi!
In tua castra redi, socii desertor Amoris.
Ponuntur medio cur mea membra toro?
Quod timeas, non est: auso Venus ipsa favebit;
Sternet et æquoreas, æquore nata, vias.
Ire libet medias ipsi mihi sæpe per undas:
Sed solet hoc maribus tutius esse fretum.
Nam cur, hoc vectis Phryxo Phryxique sorore,
Sola dedit vastis femina nomen aquis?
Forsitan ad reditum metuas ne robora desint;

152. *Et nobis.* Francius malebat, *et nutu.*

153. *Instillat.* Ita meliores codices. Micyllus et Bersmannus ediderunt, *distillat;* aliæ editiones, *destillat;* et quidam codices utramque lectionem agnoscunt. Sed nihil muta: nam Cicero de Senect. XI, dixit, *Oleum lumini* instillare: et Horatius, II, Sat. II, 62:

... Cornu ipse bilibri
Caulibus *instillat*, veteris non parcus aceti. B.

154. *Cras erimus. Crasque* meliores. HEINSIUS.

155. *Evicta per æquora. Erupta*, Lincolniensis, *evecta* alius. *Errata* Ambrosianus. *Pacata*, Farnesianus. *Extrema*, Lovaniensis. *Invita*, Bernensis: alii aliter. Francius malebat, *devicta:* sed omnes frustra: nam *evicta* est, natando superata. B. Inde infra, 181: *tumidarum* victor *aquarum.* Quod sic Virgilius explicat, Æneid. lib. V, 21:

Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus.

Quod idem paulo magnificentius alibi, Æneid. lib. I, 248:

... Fontem superare Timavi.

156. *Recepte mihi. Recepte meo*, Lincoln. Leid. et Bernensis.

158. *Ponuntur medio cur mea membra toro?* Execrabile erat hoc amantibus: itaque Ovidius ipse lib. II, Amor. Eleg. X, quum malum hostibus imprecatur, optat eos dormire in vacuo lecto, et in medio toro membra ponere: ejus versus sunt:

Hostibus eveniat vacuo dormire cubili,
Et *medio* late *ponere membra toro.* CIOR.

161. *Ire libet medias.* Præcessit modo, *medio toro;* et mox sequitur, *medium æquor:* quare cum uno Regio hic, *tumidas* præferrem: ut mox vers. 181, et millies alibi. B.

162. *Tutius esse.* Franc. volebat, *mitius.*

165. *Forsitan ad reditum metuis ne robora desint. Metuas* bene Puteaneus et Regius. Deinde *tempora desint* idem Puteaneus cum multis aliis. HEINS. *Metuas ut tempora de-*

Aut gemini nequeas ferre laboris onus.
At nos diversi medium coeamus in æquor,
Obviaque in summis oscula demus aquis;
Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes.
Exiguum! sed plus quam nihil illud erit.
Vel pudor hic utinam, qui nos clam cogit amare,
Vel timidus famæ cedere vellet amor!
Nunc male res junctæ, calor et reverentia, pugnant.
Quid sequar, in dubio est: hæc decet; ille juvat.
Ut semel intravit Colchos Pagasæus Iason,
Impositam celeri Phasida puppe tulit.
Ut semel Idæus Lacedæmona venit adulter,
Cum præda rediit protinus ille sua.
Tu, quam sæpe petis quod amas, tam sæpe relinquis;
Et quoties grave fit puppibus ire, natas.
Sic tamen, o juvenis, tumidarum victor aquarum,
Sic facito spernas, ut vereare, fretum.

sint, Regius codex : quod si mox *queas* posset legi, vel pro eo, *possis*, placeret : majorem enim in complexibus amicæ moram trahere coactus, metuere poterat non ardens amator, sibi tempus defuturum ad redeundum; et sarcasmus elegantior inesset. *Metuas* tamen recte. B.

166. *Et nequeas gemini. Aut gemini nequeas* plerique codices, etiam meliores. Heins. — Alii, *ac nequeas*. Longe vero alius sensus in una et altera lectione : si enim *et* legas, vel *ac*, de *reditu* laborem *geminum* sane intelligit Hero; sin autem *aut*, respicere videatur ad *laborem*, qui potissimum viæ finis simul et præmium.

169. *Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes*. Notandum hic verbum *quisque*, de duobus dici. C. Ita et Sueton. Aug. 26.: *Ut Caium et Lucium filios, suo quemque tyrocinio deduceret in forum.* Quintil. III, Instit. Orat. 6 : *Sed in hoc propria quisque eorum quæstione nitetur. In urbes* etiam alii : *ad arces* duo : *ad oras*, Barberinianus. Burm.

171. *Clam cogit.* Sic legendum. Aliæ editiones, *tam cogit.*

173. *Calor* etc. Excerpta Douzæ, *Venus et rev.* Gronovii codex, *pudor et reverentia.*

174. *In dubio est. Quod sequitur dubium est*, Puteaneus, an, *quod sequar in dubium est* : vid. ad Epist. XVII, 138. *In pugna est.* Regius.

175. *Pagasæus Iason. Pagaeos*, Puteaneus; quod est *Pagaseos* Græca enuntiatione, ut sæpe alibi. H.

180. *Grave sit. Grave fit* ex scriptis multi : ut lib. 1, Amor. 2 :

... Leve fit, quod bene fertur, onus. H.

Franc. volebat, *et quamvis grave fit.*

Arte laboratæ vincuntur ab æquore puppes:
Tu tua plus remis brachia posse putes?
Quod cupis, hoc nautæ metuunt, Leandre, natare:
Exitus hic fractis puppibus esse solet.
Me miseram! cupio non persuadere, quod hortor;
Sisque, precor, monitis fortior ipse meis.
Dummodo pervenias, excussaque sæpe per undas
Injicias humeris brachia lassa meis.
Sed mihi, cæruleas quoties obvertor ad undas,
Nescio quæ pavidum frigora pectus habent;
Nec minus hesternæ confundor imagine noctis,
Quamvis est sacris illa piata meis.
Namque sub Aurora, jam dormitante lucerna,

183. *Arte laboratæ vincuntur ab æquore puppes.* Melior lectio: in aliis, *arte laboratæ merguntur ab æquore puppes.* Ciof. Sed ego illud *merguntur*, glossam esse librarii adfirmare ausim: ut et *franguntur*, quod in Menteliano erat: elegantius enim, et a vulgi usu remotius *vincuntur.* Virgil. IX, 91:

Ne cursu quassatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur. Burm.

— Adludere hic poetam ad tutelam navis, sive affabre *laboratam* numinis imaginem in puppi, minus recte censuit Burmannus. Lennep.

184. *Posse putas. Putes* duo scripti.

186. *Puppibus. Navibus*, Regius: quod placet, quia *puppes* præcedit. Douza hic *natare* pro navigare positum accipit: et legit, *exitus hic*, id est, hoc loco solet venire exitus, id est submersio et perditio navigii. Verum quidem est *natare* poni pro navigare, ut docuit Cerda ad Virg. IV, Æneid. 398: et ita Noster VIII, Met. 104; sed *natare* hic de naufragis capiendum, qui *fracta nave natant.* Burm.

187. *Quod hortor. Opto* alii. Heins. Nihil muta, nam æque Latine dici, *hortor aliquid*, atque *ad aliquid*, docuit, hoc etiam loco producto, summus Gronovius, ad Sen. Ep. 121, et Tacit. XI, Annal. 3; et Grævius ad Cicer. VII, ad Att. 14. Burm.

191. *Sed mihi cæruleas quoties obvertor ad undas.* Ita legendum est: non ut Commentator, qui legit, *obversor.* Est autem sensus: Quoties obvertor ad undas; hoc est, quoties cogito, vel respicio ad undas, *Nescio quod pavidum pectora frigus habent.* Nam et hunc versum magis probo, quam ut vulgo legitur, *Nescio quid pavidum frigore pectus habet.*

192. *Nescio quod pavidum pectora frigus habet.* Putabam aliquando *hebet.* Nunc accedo duodecim scriptis codicibus, qui legunt:

Nescio quæ pavidum frigora pectus habent.

Sic quoque Mentelianus alter. Argentinus:

... Pavidum pectore frigus habet.

Forte: pro *pavidam pectore*, vel *pavidæ pectora.* Heins.

195. *Sub Aurora.* Ita edit. priores,

Somnia quo cerni tempore vera solent,
Stamina de digitis cecidere sopore remissis;
Collaque pulvino nostra ferenda dedi.
Hic ego ventosas nantem delphina per undas
Cernere non dubia sum mihi visa fide.
Quem, postquam bibulis illisit fluctus arenis,
Unda simul miserum vitaque deseruit.
Quidquid id est, timeo; nec tu mea somnia ride:
Nec nisi tranquillo brachia crede mari.
Si tibi non parcis, dilectæ parce puellæ,
Quæ nunquam, nisi te sospite, sospes erit.

et scripti omnes : malebat tamen Heinsius, *sub Auroram* : ut *sub noctem*, IV, Met. 79. *Sub prima crepuscula*, V. Fast. 455, et alibi : sed quum utrumque recte dicatur, (vide ad Vellei. Paterc. II, 24) hic *Aurora*, ob sequentem voculam similis soni *jam*, est præferendum. Eadem varietas lib. II, Art. 315, ubi *sub autumnum* et *autumno*, varie in MSS. exhibetur. BURM. — *Dormitante lucerna*. Eleganter dictum, pro *deficiente*. Similiter prorsus Meleager, Analect., t. I, Epigr. CII :

Εἴ τις ὑπὸ χλαίνῃ βεβλημένος Ἡλιοδώρας
Θάλπεται ὑπναπάτῃ χρωτὶ χλιαινόμενος,
Κοιμάσθω μὲν ὁ λύχνος· ὁ δ' ἐν κόλποισιν ἐκείνης
Ῥιπτασθεὶς κείσθω δεύτερος Ἐνδυμίων.

198. *Quo cerni somnia vera solent*. Post mediam noctem somnia vera esse dicuntur. Seneca, apud quem Andromacha loquitur, quum ei suus Hector, qui moneret Astyanacta a Græcis, ut eum præcipitarent, quæsitum iri, in somnis sibi apparuisset, jubens illum abscondere, ita ait in Troadibus :

Partes fere nox alma transierat duas,
Clarumque septem verterant stellæ jugum,

Et Horatius lib. I, Serm. Satyra X :

... Vetuit tali me voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, quum somnia vera.

Vera esse somnia, quæ post mediam noctem fiunt, adfirmat et Theocritus, qui quum dixisset :

Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵςαται, ἐγγὺς δ' ἠώς.

Addit paulo post :

Εὖ τε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων. CIOF.

204. *Brachia crede mari*. *Tende mari*, Douzæ codex et Barberinianus, qui pro varia lectione habebat, *redde*, etiam non male.

206. *Quæ nunquam, sine te sospite, sospes erit*. Nec sua verbis fides defuit. Vix enim Leandri corpus jactatum undis, scopulisque illisum summa de turre despexit Hero, quum :

Δαιδαλέον ῥήξασα περὶ ςήθεσσι χιτῶνα,
Ῥοιζηδὸν προκάρηνος ἀπ' ἠλιβάτου πέσε πύργου.
Καδδ' Ἡρὼ τέθνηκεν ἐπ' ὀλλυμένῳ παρακοίτῃ,
Ἀλλήλων δ' ἀπόναντο καὶ ἐν πυμάτῳ περ ὀλέθρῳ. (Mus. 338.)

— *Sospes erit*. *Ero*, Puteaneus, et tres alii ex melioribus. HEINS.

Spes tamen est fractis vicinæ pacis in undis :
Tum placidas tuto pectore finde vias.
Interea, nanti quoniam freta pervia non sunt,
Leniat invisas litera missa moras. *

207. *Spes tamen est fractis..... undis : in undis* vel ipso, qui nunc agitat, furore *fractis*, id est, pacatis; quod sequens statim indicat versus, *tum placidas* etc.

208. *Tu placidas toto pectore finde vias. Tunc* quatuor scripti : totidem *Tum :* utrumque bene ; sex *tuto pectore :* vid. supr. v. 92, et hoc probe. Scriverianus, *placitas vias :* quod etiam arridet. Sic *placita bona.* Epist. Helenæ : *placita puella* lib. 1, Art. Am. 37, ex antiquis libris. H.

209. *Nanti freta pervia non sunt.* Subaud. *tibi;* et dictum quidem ironice putabis, modo te referas ad v. 83, et sqq. hujus Epistolæ.

210. *Leniat invisas litera missa moras.* Hæc est veterum librorum lectio. *Missa* a te mihi. *Invisas moras,* quod odi longum tempus. Ciof. *Litera nostra* alii. *Litera visa* Regius. *Leniat immensas* etiam Sarravianus a manu prima.

* Exquisivit, scrutator diligentissimus vir de Musæo quam optime meritus, nec indignus sane qui clarissimi se Heynii discipulum profiteretur, Carol. Franc. *Heinrich*, (Præfat. ad Mus.) in quanam ætate fabulæ hujus de Herone et Leandro quærenda sint incunabula : utrum ea vetustatis auctoritatem habeat, an serius demum sit inventa. Quod quidem indaganti petendum est præsidium partim ex re veterum numaria; partim ex variis mentionibus apud scriptores antiquos investigandis. Hos inter princeps Virgilius, qui in loco celeberrimo, lib. Georg. III, 258 et sqq. ubi vim amoris in omne hominum ferarumque genus exemplis illustrat, inter alia Leandri audaciam attingit, sed leviter, nec nominato quidem Juvene, ut rem satis notam, et lectori cuilibet obviam. Illius exemplo Ovidius argumentum hoc tractandum suscepit, ut pote quod ipsi arriserit, quia amatorium, nec ingratum fore lectoribus suis crediderit. Nulla igitur Virgiliana certior auctoritas, nec antiquior : unde vero fabulam ille hauserit, incertum omnino. Pro nihilo enim faciendum, quod affert Domitius, ad Stat. Silv. 1, Carm. 2, 87, historiam hanc Leandri Apellem pictura nobili celebrasse ; quum unde hoc petiverit, et quibus argumentis confirmet, non proferat, nec tabulam inter Apellis opera Plinius recenseat, Natur. Histor. XXXV, c. 10. Non caliges minus, si a Latinis ad scriptores Græcos transieris. Facerent quidem, quæ indicavimus, Antipatri Epigrammata. Quis vero, quum plures exstiterint hujus nominis poetæ, ea potius Macedonio Antipatro adscripserit qui in Philippi ætatem incidit, quam Thessalonicensi, juxta Brunckii sententiam, qui multo serius ætate Augusti Cæsaris, Tiberii et Caii Caligulæ impp. vixit? Non dubia minus rei numariæ auctoritas. Supersunt quidem Abydenorum numi, in quibus Heronem manu lucernam protendentem, Leandrumque cum fluctibus colluctantem, conspicias : sed quum ad ætatem Caracallæ et Alexandri Severi manifeste perti-

neant, quid inde speres auxilii ad rem nostram illustrandam?

Restat igitur unus auctor carminis de Leandri et Heronis amoribus; cujusquidem ætas, patria et vita pariter ignorantur. Fuerunt enim, qui Ovidio longe antiquiorem prædicaverint, dum alii ad seculum XIII vel XIV ætatis reparatæ, pertinere hunc scriptorem contenderint. Hos inter medius, idemque judex gravissimus, Heyn. Musæum nostrum ad sec. IV, vel V, refert, et æqualem Synesio, Nonno et Proclo vixisse affirmat, Opusc. Acad. vol. I, p. 101. Quis ergo primus de Herone et Leandro scripserit, *grammatici*, credo, diu multumque in posterum *certabunt*, neque res forsan inde clarior.

EPISTOLÆ VIGESIMÆ

ARGUMENTUM.

Juvenis quidam Acontius nomine, quum in insula Delo Dianæ sacris interesset, quæ frequenti virginum concursu celebrabantur, in amorem Cydippes, puellæ nobilis, subitus exarsit: quam quum nec opibus nec genere clarus, in uxorem a parentibus non auderet sollicitare, in pulcherrimo pomo inscripsit:

> Juro tibi sane, per mystica sacra Dianæ,
> Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram;

projectumque malum fraudis inscia Cydippe sustulit, legitque imprudens quod in ipso fuerat inscriptum; sicque se religione sacramenti Acontio obligavit: nam quæ ante Deos in templo Deliæ Dianæ dicerentur, rata esse, lex erat. Facti nescius pater aliquanto post filiam petenti cuidam despondit; sed eam subita febris correpsit: quod statim ut Acontius rescivisset, Cydippæ scribit, ut persuadeat morbum hunc a Diana immissum, quia quæ, ipsa præsente, promiserat, non adimpleret. — Aristænet. 1, Epist. 10.

EPISTOLA XX.

ACONTIUS CYDIPPÆ.*

PONE metum : nihil hic iterum jurabis amanti ;
Promissam satis est te semel esse mihi.
Perlege : discedat sic corpore languor ab isto,

* Carmen scripsisse Callimachum de Cydippes et Acontii amoribus, constat e fragmentis quæ passim disjecta apud Scholiastas et Grammaticos collegit, collectaque, qua præstat solertia, illustravit Cl. Rich. Bentleius. (ad Callimachum, tom. I, p. 305, sqq., edit. Spanheim); unde facile conjicias Ovidium, qui multis in locis Callimachum æmulari tentavit, hoc quoque ab eo argumentum depromsisse, quod mire poetæ nostri ingenio videbatur accommodatum; sed ita tamen tractasse, ut quæ poeta græcus leviter attigerit, diligentius elaboranda susciperet; ea vero negligeret, quæ prior optime tractaverit. Quodquidem dubitandi locum iis non relinquet, qui non nescierunt Aristenætum, qui eroticam hanc historiunculam (Ep. I, 10, p. 22, edit. Abresch.), tam venuste descripsit, Callimachi vestigiis ita protinus institisse, ut poetæ Elegos Sophista ingeniosissimus in pedestrem sermonem tantummodo solverit. Docuerunt pridem eruditissimi viri Mercer. ad Aristenæt. Hemsterhus. ad Propert. et Rhunkhen. ad fragm. Bentleiana. Loca igitur conferenti cuilibet, ubi cum Ovidio consentit Aristenætus, patebit utrumque ex uno eodemque fonte argumentum idem hausisse, quod pro sua quisque lubidine tractandum existimavit.

1. *Pone metum : nihil hic iterum jurabis amanti.* Priscæ editiones et codices nonnulli manu exarati hoc distichon in fronte hujus Epistolæ exhibent :

Accipe, Cydippe, despecti nomen Aconti,
Illius in pomo qui tibi verba dedit.

Est autem hæc Epistola fœde depravata plurimis in locis. HEINS. Et ipsum illud distichon varie exhibetur in MSS. *Excipe.* Leidens. *Suspecti* pro *despecti*, Vossianus : ut Epist. præced. 148 : *A tibi suspecto ducit Ulixe genus. Carmen Aconti*, Gottorphianus. *Istius*, etiam Moreti. Ceterum hæ duæ Epistolæ mihi ab Ovidiana vena non fluxisse videntur. B. — Durior justo Henr. Stephan. sententia, qui eas vel ipsi Sabino vix tribuendas judicabat, in Diatr. ad Horat. p. 78.

3. *Languor ab isto.* Francius volebat, *languidus isto*, ut cum *dolore* conjungeretur.

Qui meus est, ulla parte dolente, dolor.
Quid pudor ora subit? nam, sicut in æde Dianæ,
Suspicor ingenuas erubuisse genas.
Conjugium pactamque fidem, non crimina posco:
Debitus ut conjux, non ut adulter, amo.
Verba licet repetas, quæ demtus ab arbore fœtus
Pertulit ad castas, me jaciente, manus;
Invenies illic id te jurasse, quod opto
Te potius, virgo, quam meminisse Deam.
Nunc quoque idem timeo; sed idem tamen acrius illud
Adsumsit vires, auctaque flamma mora est.
Quique fuit nunquam parvus, nunc tempore longo,
Et spe, quam dederas tu mihi, crevit amor.
Spem mihi tu dederas: meus hic tibi credidit ardor.

4. Qui meus est, ulla parte dolente, dolor. Dolore, Puteaneus et alii nonnulli, tres libri, *dolente*: quomodo et alter Mentelianus pro diversa lectione.— Sit sensus: dolor iste *meus* est, me tangit, qui vel minimam *tui* partem. Si quid tibi doleat, id quoque mihi ægre sit necesse est. Is animorum consensus!

5. *Ora subit.* Occupat faciem; atque hæc est vera lectio. Ciof. *Ante subit*, Puteaneus aliique codices magno numero. Scribe, *Quid? pudor anne subit?* ut apud Claudianum, Præfat. lib. II, in Eutrop. 41: Quid soror? audebit tecum conscendere classem? Vulgatam tamen lectionem non sollicitem temere: nam ita IV, Trist. l. III, 10:

Avertis vultus, et subit ora rubor. Heins.

6. *Ingenuas. Ambiguas*, Bern.

11. *Invenies illic id te spondere, quod opto!* etc. Acontius ad Cydippen, apud Aristenæt. dicta Epist.: Εἴθε μὲν οὖν, ὡς ἀρτίως ἠυχόμην, εὔορκος εἴης· εἴθε γὰρ εἰ σὺ ἀποβαίη, ὅπερ μηδὲ λέγειν καλὸν, ἢ Ἄρτεμις ἴσχει σοι παρθένος πρωτεῖα.— *Invenies illic id te spondisse.* Libentius lego, ut est in aliis lib. *jurasse.* Infra: *Hæc adjuravit amanti:* et, *sed hæc metuit perjura vocari:* et initio, *iterum jurabis amanti.* C. — *Quod opto. Optem* malo. Heins.

13. *Nunc quoque idem timeo* etc. Ne scil. Diana promissi tui plus æquo meminerit; ideoque *adsumpsit vires* illud quod *timeo.*

14. *Mora est. Metu*, Moreti.

15. *Vel tempore longo. Nec tempore* Puteaneus, aliique plurimi: quinque, *tam tempore*; lege, *jam tempore longo*: nisi malis, *nunc tempore*, quomodo Moreti codex cum uno Ambrosiano. IV, Metam. 60: *Tempore crevit amor.* Unus, *nec tempore parvo*: unus itidem, *ne tempore longo*: alius, *non tempore longo.* Heins.

16. *Ex spe.* Puteaneus et decem alii, *Et spe*: quidam cum prima editione, *Et spem*: plures, *Et spes.* Leidensis, *Is spe. Crevit* etiam pro *crescit*, Puteaneus, et decem alii. Id.

Non potes hoc factum teste negare Dea.
Adfuit, et præsens, ut erant, tua verba notavit:
Et visa est mota dicta probasse coma.
Deceptam dicas nostra te fraude licebit,
Dum fraudis nostræ causa feratur amor.
Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi jungerer uni?
Id me, quod quereris, conciliare potest.
Non ego natura, nec sum tam callidus usu:
Solertem tu me, crede puella, facis.
Te mihi compositis, si quid tamen egimus arte,
Adstrinxit verbis ingeniosus Amor.
Dictatis ab eo feci sponsalia verbis;

18. *Non potes hoc factum teste negare Dea.* Forte *pactum:* ut et paulo post:

S t fraus huic nomen *pacto.*

Supra *pactam fidem* appellat.

20. *Mota dicta tulisse coma. Notasse* multi ex scriptis. Gronovianus, Oxoniensis et Leidensis, *probasse:* quod verum est. IDEM.

23. *Nisi uti tibi jungerer uni. Quo tibi jungerer* etiam Douza legebat: sed forte totum distichon ita constituendum:

Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi jungerer?
unum
Id me, quod quereris, conciliare potest.

Hoc unicum, *quod quereris* (ita enim veteres locuti, pro *de quo quereris*), meriti locum habet, et me tibi conciliare potest. BURM. Ingeniosa, sed non necessaria correctio. LENNEP.

24. *Id me, quod quereris, conciliare* etc. Malebat hic legi Heinsius:

Me tibi, quod quereris etc.

Ut pote qui valde suspectam habuerit vulgatam, quod verbo *conciliare* nullum adjunctum viderat dativum personæ. Sed, omissis, et quidem, plurimis ex ipso Ovidio, quæ possim adferre, liceat et satis sit ad partes hic Quintil. advocare, qui, Instit. Orat. IX, 1: «Plurimum tamen ad commendationem facit, sive in *conciliandis* agentis moribus, sive ad promerendum actioni favorem.»

25. *Callidus usu. Arte* quidam. Argentinus *astu.*

27. *Si quid tamen egimus arte. Egimus ante*, duo libri: *egimus a me* Puteaneus; hoc est, a me compositis: pro *compositis*, *conspicis*, Vossianus: forte *conceptis.* HEINS.

29. *Dictatis ab eo* etc. Totum hoc distichon longe remotum mihi videtur a Nasonis elegantia. Nihil etiam sequens continet, nisi jejunam eorum repetitionem quæ jam v. 21 et sqq. melius longe dixerat. Versus item 33, haud sententia minus, quam dictione frigidus: nec satis intelligo, quomodo vers. 34, *fraudem* vocet Acontius, quod Cydippæ verba mittat rogantia; aut quomodo *fraudis* hæc confessio cum exordio Epistolæ conveniat. LENNEP.—*Feci. Misi* Bernensis.

Consultoque fui juris amore vafer.
Sit fraus huic nomen facto, dicarque dolosus;
Si tamen est, quod ames velle tenere, dolus.
En iterum scribo, mittoque rogantia verba:
Altera fraus hæc est; quodque queraris, habes.
Si noceo, quod amo; fateor, sine fine nocebo;
Teque petam, caveas tu licet ipsa peti.
Per gladios alii placitas rapuere puellas:
Scripta mihi caute litera crimen erit?
Di faciant, possim plures imponere nodos!
Ut tua sit nulla libera parte fides.
Mille doli restant: clivo sudamus in imo:
Ardor inexpertum nil sinet esse meus.
Sit dubium, possisne capi; captabere certe.

30. *Consultoque.* Douza tmesim vult esse, *consulto juris*, pro *Jurisconsulto*, amore: sed ego puto sensum esse, *consulto amore fui vafer juris:* nam et *vafer* proprie de Jurisconsulto, et in bonam partem sumitur. Vide Acron. ad Horat. I, Sat. III, 130. BURM.

34. *Fraus hæc est. Fraus hoc est*, Leidensis et Lovaniensis. Vide ad Epist. II, 156.

36. *Teque petam caveas tu licet, ipse petam.* Inconcinna hoc loco repetitio: *usque petam* duo libri; quatuor alii, *ipsa peti:* recte: posset et legi, *Teque, peti caveas tu licet, usque petam.* Nam Argentinus, *Teque peto.* HEINS. Non video satis quid significet hic, τὸ *caveas*, nisi ex jure velis explicare cum Bersmanno et aliis. In Lovaniensi erat, *nolis tu licet ipsa peti;* quod planius esse puto. BURM. Quum, ipso teste Heinsio, in duobus libris sit *usque petam*, malim quidem:

Teque petam, caveas tu licet *usque* peti.

Sequentia quin Ovidii sint, nullus dubito. LENNEP.

37. *Per gladios.* Curtius IV, 1. *Quod alii per ignes ferrumque peterent.* Ep. XVII, 246, diverso paullum sensu ducit Ovidius:

Ibit per gladios (hei mihi!) noster amor.

Rigidas rapuere, Bersman. in margine, ex codice suo. BURM.

39. *Di faciant, possim plures imponere nodos. Plures possim tibi ponere nodos* Moreti codex, venuste. Epist. IV, 135; tamen:

Imposuit nodos cui Venus ipsa suos. H.

41. *Clivo sudamus in imo.* In quibusdam, *clivo sudamus in isto.* NAUG. Proverbii speciem hæc verba præferre apparet ex Petronio, c. XLVII: *Nec adhuc sciebamus, nos in medio lautitiarum, quod aiunt*, clivo *laborare.* Alludunt ad hanc sententiam illa Propertii, I, Eleg. XIII, 7:

Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis, et primo lapsus abire gradu.

Ubi cum Heinsio malim, *lassus. Imo clivo* vero recte vindicat Hein-

Exitus in Dîs est; sed capiere tamen.
Ut partem effugias, non omnia retia falles:
Quæ tibi, quam credis, plura tetendit Amor.
Si non proficiant artes, veniemus ad arma;
Inque mei cupido rapta ferere sinu.
Non sum, qui soleam Paridis reprehendere factum;
Nec quemquam, qui, vir possit ut esse, fuit.
Nos quoque; sed taceo: mors hujus pœna rapinæ
Ut sit, erit, quam te non habuisse, minor.
Aut esses formosa minus, peterere modeste:
Audaces facie cogimur esse tua.
Tu facis hoc, oculique tui, quibus ignea cedunt
Sidera; qui flammæ causa fuere meæ.
Hoc flavi faciunt crines, et eburnea cervix;

sius. Ita Flor. II, 3: *Ligures imis Alpium jugis adhærentes;* et III, 20: *Ad imas Vesuvii descendere radices.* Livius, IX, 35: *Imi montes,* XL, 22: *Imi colles Æmi.* BURM.

44. *Exitus in Dis. In dubio est,* Gottorphianus: nil muta; Pindarus: Νῦν δ' ἔλπομαι μὲν' ἐν θεῷ γε μὸν τέλος.

46. *Quam credis, plura. Credas* scribe. Sic Epist. XIX, 18:

Plus quoque, quam credi quod mihi possit, amo.

Mox *proficiant,* multi ex scriptis. H.

47. *Ad arma. Ad enses* Regius et unus Heinsii.

48. *Cupido sinu. Inque tui cupidus,* vel, *Inque meo cupido,* Puteaneus. Lege, *Inque meo cupidi sinu, meo cupido,* etiam prima editio, et ex melioribus scriptis decem. Alii complures, *mei cupido:* alter Mentelianus, *mei cupidi.* HEINS. *Inque tui cupidos rapta ferere sinus,* malebat Francius. *Ferere,* pro *auferere,* ut Ep. XII, 200, *laturo* pro *ablaturo.*

49. *Non sum qui soleam.* Plena locutio esset, *non is sum, qui soleam;* lib. I, Amor. XII, 29. *Non est, qui debeat uri:* plenam locutionem habes, apud Ciceronem IV, ad Fam. 2. *Si ii essemus, qui debemus;* et Lucan. l. I, 171. *Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret:* et ita alii. B.

53. *Aut esses. Si esses tu,* olim fuisse lectum testatur Lipsius lib. I, Ant. Lect. 20: qui fecit, *aut esses.* Francius, *Quod si esses:* in Oxon. et Lincoln. erat, *Aut si esses:* in Moreti, *O esses:* non male. BURM.

57. *Hoc flavi faciunt* etc. Sic de Cydippe Aristenætus: Τὴν μὲν ἅπασι τοῖς ἑαυτῆς φιλοτίμοις κεκόσμηκεν Ἀφροδίτη, μόνου τοῦ κεροῦ φεισαμένη· καὶ τοῦτον πρὸς τὴν παρθένον ἔτιχεν ἐξαίρετον ἡ θεός· καὶ τοῖς ὄμμασι Χάριτες οὐ τριῖς καθ' Ἡσίοδον, ἀλλὰ δικάδων περιχορεύει δικάς. Et paulo infra, ubi quod pomo inscripserat Acontius perlegit: τοσοῦτον ἐξεφοινίχθη τὸ πρόσωπον, ὡς δοκεῖν ὄνε τῶν παρειῶν ἔνδον εἰχέ τινα ῥόδων λειμῶνα. Totus hic locus ita Ovidianus, ut qui scripserit, vix alium poetam censeas.

Quæque, precor, veniant in mea colla manus :
Et decor, et vultus sine rusticitate pudentes ;
Et, Thetidi quales vix rear esse, pedes.
Cetera si possem laudare, beatior essem ;
Nec dubito, totum quin sibi par sit opus.
Hac ego compulsus, non est mirabile, forma,
Si pignus volui vocis habere tuæ.
Denique, dum captam tu te cogare fateri,
Insidiis esto capta puella meis.
Invidiam patiar : passo sua præmia dentur.
Cur suus a tanto crimine fructus abest ?
Hesionen Telamon, Briseida cepit Achilles :
Utraque victorem nempe secuta suum.
Quamlibet accuses, et sis irata licebit ;
Irata liceat dum mihi posse frui.
Iidem, qui facimus, factam tenuabimus iram :
Sit modo placandæ copia parva tui.

58. *Quæque precor. Quasque* prima editio cum plurimis scriptis. Heins.

60. *Et Thetidi quales.* Pertinet hoc ad Homericum epitheton, quo Thetis ἀργυρόπεζα ab Homero dicitur, hoc est, pedes argenteos habens. — *Rear.* Sic prima editio, Puteaneus, et alii complures : bene. Lege etiam, *Thetidi :* nam in Gottorphiano, *Thetidem vel Veneri.*

62. *Nec dubito totum* etc. Subsequentes : *Nec dubito totum quin tua pars sit opus. Tibi pars,* prima editio : quatuor scripti, *tibi par.* Gottorphianus et prior Moreti pro diversa lectione, *sibi par :* quomodo jampridem esse restituendum divinaram, Amor. l. II, Eleg. VI, 60 :

... Tumulus pro corpore parvus,
Quo lapis exiguus par sibi carmen habet.

Et Metamorph. XII, 618. Heins.

64. *Si pignus volui vocis habere tuæ.* Ut ipsa te mihi sponderes, et datam sacramenti religione fidem obligares.

67. *Sua præmia. Mea præmia* Excerpta Douzæ.

69. *Hesionen Telamon.* Hercules quum Laomedonta interfecisset, Telamoni, quod primus Ilium intrasset, Hesionam præmii loco dedit. Apollodorus, II, 6 ; III, 11 : Τελαμῶνι ἀριστεῖον Ἡσιόνην τὴν Λαομέδοντος Συγατέρα δίδωσι, ἐξ ἧς αὐτῷ γίνεται Τεῦκρος. Ciof. — *Briseida cepit Achilles.* Quum Lyrnessum expugnasset.

70. *Utraque victorem nempe secuta suum. Victa secuta,* Gottorphianus et unus Ambrosianus : argute. Propert. lib. III, IX, 16 :

Vicit victorem candida forma virum. H.

74. *Placandæ tui.* Meliores, cum

Ante tuos flentem liceat consistere vultus,
Et liceat lacrimis addere verba suis;
Utque solent famuli, quum verbera sæva verentur,
Tendere submissas ad tua crura manus.
Ignoras tua jura; voca: cur arguor absens?
Jamdudum dominæ more venire jube.
Ipsa meos scindas licet imperiosa capillos,
Oraque sint digitis livida facta tuis,
Omnia perpetiar: tantum fortasse timebo,
Corpore lædatur ne manus ista meo.
Sed neque compedibus, nec me compesce catenis:
Servabor firmo vinctus amore tui.
Quum bene se, quantumque volet, satiaverit ira;
Ipsa tibi dices: quam patienter amat!
Ipsa tibi dices, ubi videris omnia ferre:
Tam bene qui servit, serviat iste mihi.
Nunc reus infelix absens agor; et mea, quum sit
Optima, non ullo causa tuente perit.

Puteaneo, *placandi*: recte. Alterum latine vix dicitur. Heins. Sanctius lib. III, Miner. cap. 8, *placandi tui* defendit; sed Cl. Periz. n. 18, utrumque dici posse docet: et ad lib. I, c. 2, n. 7, præfert *placandæ*.

75. *Ante tuos flentem.* Lovaniensis, *Ante tuos vultus liceat consistere flenti.* Bernensis, *Ante tuos oculos liceat consistere flentem.*

76. *Et liceat lacrimis addere verba meis. Suis*, Puteaneus, cum Lovaniensi et altero Moreti: probe. *Sed liceat*, quoque Lovaniensis. Heins.

78. *Tendere submissas in tua crura manus. Ad tua* meliores: quidam etiam, *sub tua jura.* Amor. l. I, El. II:

Porrigimus victas *ad* tua crura manus.

Ut quidem vetus illic membrana exhibet. Idem.

80. *Dominæ more.* Francius malebat, *jure*: ex Epist. III, 154.

82. *Oraque sint digitis livida nostra tuis. Livida facta* probe libri duodecim: *aspera facta* duo alii. Epist. Œnones:

Oraque sint digitis aspera *facta* meis.

Sic *frigida facta*, et *saucia facta*, Ep. Hypermnestræ. Am. I, Eleg. VI, 18:

Uda sit ut lacrimis janua *facta* meis.

Quare l. III, Fast. forte scribendum:

Factaque quum fuerit rore bis uda seges.

Quum *Tactaque* illic legatur. Heins.

83. *Tantum fortasse timebo.* Francius conjecerat, *tantum, formosa, timebo.*

86. *Amore tui. Amore tibi*, codex Douzæ. *Amore tuo*, Junianus.

87. *Quum bene se quantumque volet.* Malo *voles*. Heins.

Hoc quoque, quod jus est, sit scriptum injuria nostrum :
Quod de me solo nempe queraris, habes.
Non meruit falli mecum quoque Delia : si non
Vis mihi promissum reddere, redde Deæ.
Adfuit, et vidit, quum tu decepta rubebas ;
Et vocem memori condidit aure tuam.
Omina re careant : nihil est violentius illa,
Quum sua, quod nolim, numina læsa videt.
Testis erit Calydonis aper : nam scimus, ut illo
Sit magis in natum sæva reperta parens.
Testis et Actæon, quondam fera creditus illis,
Ipse dedit leto cum quibus ante feras;

93. *Hoc quoque* etc. *Hoc quod amor jussit, scriptum est injuria nostra. Hoc quoque quod... jussit, scriptum injuria nostrum,* Puteaneus. *Hoc quoque quod jussit scriptum est injuria nostri*, vel *nostra*, vel *nostrum* plerique. *Hoc quoque quod vis sit,* prima editio et quatuor scripti. Lovaniensis, *Hoc quod opus jussit.* Puto :

Hoc quoque, quum jus sit, sit scriptum injuria nostrum.

Vel quid simile. Sed totum distichon opinor esse adulterinum. HEINS. — Facile acquiesco in recepta semel hujus versus lectione, quum sensum præbeat huic loco vel inprimis accommodatum. Etiamsi concedam, inquit, *scriptum* illud in pomo jusjurandum, in quo tamen nihil nisi *jus est,* contra jus, sive *injuria*, scriptum fuisse. LEN.

95. *Non meruit.* Malo, *num.* HEINS. *Nec meruit* Francof. Lovan. et Excerpta Douzæ.

100. *Quum sua, quod nolim.* Formula usitatissima in avertendo omine ; Propertius, lib. 1, 7 :

Quod nolim nostros evoluisse Deos.

Cicer. Ep. VIII, ad Fam. 2, et 6 : *Si, quod nolim, adversi quid evenerit. Quod nollem*, Moreti ; et hac formula usus est Martial. 1, 72 :

Hesterna factum narratur, Postume, cœna,
Quod nollem.

et alii. Contraria formula, *quod mallem* utitur Noster Ep. sqq. vers. 35.

101. *Testis erit Calydonis aper : nam scimus, ut illo* etc. Mihi et hoc distichon adulterinum videtur. Scholiastes aliquis exemplum apri Calydonii reliquis duobus de Actæone et Niobe addiderat : ex eo scholio distichon postea est conflatum, barbarum sane et insulsum. HEINS. — Quamvis variare circa lectionem hujus distichi codices videam, non ideo minus optimam hic vulgatam habeam. Locus enim, qualis circum fertur, egregie facit ad ostendendam læsæ Dianæ violentiam, quæ, non contenta immisso in agrum Calydonis apro sævissimo, ipsam quoque domum Oenei furiali ista ac superante belluæ sævitiam matris in filium immanitate misere funestari voluisset, Meleagri demum et sororum ejus pœnis satianda. LENNEP.

Quæque superba parens, saxo per corpus oborto,
Nunc quoque Mygdonia flebilis adstat humo.
Hei mihi, Cydippe! timeo tibi dicere verum;
Ne videar causa falsa monere mea!
Dicendum tamen est: hoc est, mihi crede, quod ægra
Ipso nubendi tempore sæpe jaces.
Consulit ipsa tibi: neu sis perjura, laborat;
Et salvam salva te cupit esse fide.
Inde fit, ut, quoties exsistere perfida tentas,
Peccatum toties corrigat illa tuum.
Parce movere feros animosæ Virginis arcus:
Mitis adhuc fieri, si patiare, potest.
Parce, precor, teneros corrumpere febribus artus:
Servetur facies ista fruenda mihi.
Serventur vultus, ad nostra incendia nati;
Quique subest niveo lætus in ore rubor.
Hostibus e si quis, ne fias nostra, repugnat;
Sic sit, ut invalida te solet esse mihi.
Torqueor ex æquo, vel te nubente, vel ægra:

105. *Quæque superba parens* etc. Nioben designat, quæ, licet

... Intra quoque viscera saxum est,
Flet tamen, et validi circumdata turbine venti
In patriam rapta est; ibi fixa cacumine montis
Liquitur, et lacrimas etiamnum marmora manant. (Metam. VI, 309, sqq.)

106. *Adstat.* Oxon. Lovaniensis et Excerpta Douzæ, *exstat:* quod verum puto: nam Pausanias lib. I, Attic. cap. 21, dicit quidem marmor in monte Sipylo prominere, quod procul intuentibus præbet speciem mulieris lugentis. BURM.

108. *Monere. Movere mea* Bernensis, Oxoniensis et quindecim alii.

110. *Sæpe jaces.* Mallem, *nempe*, qua vocula Noster delectatur. B.

113. *Inde fit. Unde fit*, Francof. et Lovan. — *Exsistere.* In nonnullis, *obsistere*, in aliis, *insistere.* N. *Obsistere* legendum puto. CIOF. Puteaneus, *exi....re:* quatuor scripti, *obsistere*, sed *consistere* Vossianus; unus Farnesianus, *resistere.* Jureti excerpta, *hanc fallere.* HEINS. Forte, *persistere. Exsistere* probum est. Respicit enim hic Acontius ad tentatam a Cydippe celebrationem nuptiarum, cum ipsius rivali, cui nubens demum *exstitisset* perfida.

120. *Lætus in ore rubor.* In quibusdam, *levis.* Sed *lætus*, quatuor scripti. Sic apud Silium, lib. XV:

... Stans vultus et ore
Incessuque viro propior, *lætique* pudoris. H.

Dicere nec possum, quid minus ipse velim.
Maceror interdum, quod sim tibi causa dolendi;
Teque mea lædi calliditate puto.
In caput hæc nostrum dominæ perjuria, quæso,
Eveniant : pœna tuta sit illa mea.
Ne tamen ignorem, quid agas, ad limina crebro
Anxius huc illuc dissimulanter eo.
Subsequor ancillam furtim famulumve, requirens
Profuerint somni quid tibi, quidve cibi.
Me miserum! quod non medicorum jussa ministro,
Effingoque manus, insideoque toro!

124. *Dicere nec possum quod minus esse velim. Quid minus ipse velim*, Puteaneus et alii ex melioribus : *possim* præterea legendum. HEINS.

125. *Maceror interdum* etc. Et hic Noster Callimachum sequitur, cujus fragm. inter Bentleian. CCXXIX : Ἄτρος ἐγὼ, τί δὲ σοι τόνδ' ἐπέθηκα φόβον; quem verbatim expressit Aristenætus : Ὦ δυστυχὴς ἐγὼ· τί δὲ σοι τοῦτον ἐπῆγον τὸν φόβον; — *Maceror interdum.* Grammatici quidam, dum *macerari* verbum prima correpta pronuntiari posse contendunt, versiculum hunc ingeniosissimi vatis contaminaverunt, non advertentes inversum esse verborum ordinem, et sic restituendum, ut nos emendavimus. E.

127. *Inque caput nostrum. In caput nostrum*, Puteaneus. Alii multi, *in caput et nostrum :* alter Mentelianus, *et caput est nostrum.* Lego, *in caput o nostrum :* nam in uno Farnesiano, *hoc nostrum;* Gottorphianus, *hæc nostrum*, in quas voces Τὸ *o* sæpe degeneravit, ut ad Epistolam primam, vers. 101, *v. d. s.* — Græca imprecatio, apud quos frequenter occurrit, Aristophanem præsertim, εἰς κεφαλήν σοι. Sic, *Transferre pericula in caput suum*, apud Valer. Maximum, lib. II, c. IV. Posset et restitui, *Di capiti nostro*, quod malo. HEINS.

130. *Dissimulanter.* Ita et primo libro Art. Am. 488 :

Lecticam dominæ dissimulanter adi.

Huc illuc vero notat deambulationem, quæ non ad certum locum instituitur, sed quum sæpe eadem spatia facimus, et animi causa tantum ambulamus, ut ambulemus : ut apud Terent. Heaut. III, III. *Abi deambulatum sane istac, istorsum, quovis.* BURM.

131. *Requirens.* Alii, *requiro.* H.

132. *Quidve cibi. Sive cibi*, Bern.

134. *Astringoque manus. Effingoque*, Puteaneus et alii magno numero, cum prima editione : eleganter : et sic paullo post, *ille manus istas effingit :* cum iisdem codicibus. Est autem *effingere*, demulcere, leviter tergere : ut apud Catonem de R. R. CLXVII : *Fiscinas spongia effingat;* quod æmulatus Cicero, oratione pro Sextio cap. 35 : quomodo et *plaudere* pro *palpare* dicebant. Afranius

Accedo ad te, ut tibi cervicem *fingam* linteo.

Et rursus miserum! quod, me procul inde remoto,
  Quem minime vellem, forsitan alter adest.
Ille manus istas effingit, et adsidet ægræ,
  Invisus Superis, cum Superisque mihi.
Dumque suo tentat salientem pollice venam,
  Candida per causam brachia sæpe tenet;
Contrectatque sinus; et forsitan oscula jungit.
  Officio merces plenior ista suo est.
Quis tibi permisit nostras præcidere messes?
  Ad sepem alterius quis tibi fecit iter?
Iste sinus meus est; mea turpiter oscula sumis;

Atque ita legendum, ex codicibus scriptis. Eleg. in mortem Drusi, 137:

Nunc ego te infelix summum teneoque tuorque,
  Effingoque manus, oraque ad ora fero. H.

135. *Quod me procul inde removi. Remoto*, Puteaneus cum tribus aliis; recte: malim etiam, *Ter rursus miserum!* Heins.

140. *Candida per causam brachia sæpe tenet.* Trist. I, VII:

Per causam meminit se tetigisse manum.

Illustrarunt bellam hanc et optimis scriptoribus perfamiliarem locutionem Broukh. ad Tibull. et Tennul. ad Fronton. lib. III, Strateg. cap. 3, §. 6. Burm.

142. *Plenior illa suo est. Plenior* hic est major, amplior; proprium de divitiis vocabulum. Ita Martialis, VII, 45:

Divitibus poterat Musas Elegosque sonantes
  Mittere: pauperibus munera *plena* dato.

Ut legendum recte Vossius ad Catulli, carm. XIII, esse censet, et explicat. Ita apud Horat. II, Od. 12: *Plenas Arabum domos*, Scholiastes *divites* reddit. Cicer. VII, ad Fam. 9: *Serius potius ad nos, dum plenior.* B.

143. *Nostras præcidere messes. Nostras præcernere messes;* sic Puteaneus cum aliis nonnullis, ut et primæ editiones. Vulgati, *decerpere:* tres scripti, *præcipere;* multi, *percipere.* Strozzæ codex, *percidere.* Lege *præcidere*, cum altero Moreti: quod verbum Columellæ, præsertim autem de ramis arborum, frequenti in usu. Heins. *Præcidere* usus et Lucanus, Phars. VI, 340: *Et maturato* præcidit *vespere lucem.*

144. *Ad spes alterius quis tibi fecit iter? Ad sepem alterius* codex unus Mediceus cum prima editione; optime: persistit enim in metaphora, et *sepem* dixit, pro agro sepibus munito. Sic lib. III, Art. Amat. 562:

Te semper norit, tibi semper inhæreat uni:
  Cingenda est altis *sepibus* ista *seges.*

Hinc et apud Virg. in Georgicis, lib. I, 270: *Segeti prætendere sepem. Et sepire segetem* Columell. lib. II, cap. XXII. *Ad spem alterius*, Patavinus, et Arondelianus: proxime ad verum. Heins.

145. *Iste sinus meus est* etc. Versum hunc, et qui sequuntur ad 166, quem non exceperim, ita parum Ovidio dignos censeo, ut obelo libens notassem, sineret nominis auctoritas. Quamvis enim poetæ

A mihi promisso corpore tolle manus.
Improbe, tolle manus : quam tangis, nostra futura est.
Postmodo si facias istud, adulter eris.
Elige de vacuis, quam non sibi vindicet alter;
Si nescis, dominum res habet ista suum :
Nec mihi credideris : recitetur formula pacti;
Neu falsam dicas esse, face ipsa legat.
Alterius thalamo, tibi nos, tibi dicimus, exi :
Quid facis hic? exi : non vacat iste torus.
Nam quod habes et tu thalami verba altera pacti;
Non erit idcirco par tua causa meæ.
Hæc mihi se pepigit; pater hanc tibi, primus ab illa;
Sed propior certe, quam pater, ipsa sibi est.
Promisit pater hanc; hæc adjuravit amanti.

nostri lenta admodum et ductilis facilitas formas se se in omnes flectat versatilis, ea tamen est, quam semper eamdem deprehendas, qualecumque sit quod tractat argumentum, vel persona quam inducit loquentem. Quis enim vero Medeam, Ariadnen, Didonem etc., ejusdem familiæ sorores fuisse non arbitretur, aut potius mulierculas Ovidianæ ætati coæquales? Raro tamen, ne nunquam dixerim, in illas excurrit argutias, quæ ingenium, quo mirificé abundabat sophistarum ætas, arguerent, et poetam simul Ovidio longe posteriorem. Unde non ita vero absimile judicem, Nostro quidem argumentum hoc arrisisse, sed quædam tantum prælusisse, quæ, quum ad posteros imperfecta pervenissent, perficere quisque, pro suo ingenio, et ea, qua vivebat, ætate, conatus est. Inde illa dicendi sentiendique varietas, quæ vel imprudentes offendat necesse est, et peritis bilem moveat.

151. *Nec mihi credideris.* Malo, *Ne mihi :* nam in uno Regio erat, *Ni.* Heins.

153. *Tibi nos, tibi dicimus.* Elegans et solemnis increpationis gravissimæ formula, IX, Metam. 122 :

... Tibi, Nesse biformis,
Dicimus : exaudi, nec res intercipe nostras.

Male hic Junianus : *vel nos tibi dicimus exi.* Sequenti versu multi editi et scripti, *quid facis? hinc exi.*

155. *Et tu thalami verba altera pacti.* Sic Franc.: alii, *et tu humani.* —Sensus, credo : thalamum *habes*, quem propriis ipsa *verbis* alii promisit. Sic enim capio *altera verba.*

156. *Non erit idcirco.* Eleganter Francof., *Non venit :* ut sæpe Ovid.

158. *Sed propior. Et propior*, malebat Francius. *Sed prior est certe*, Moreti liber.

159. *Hæc et juravit amanti.* Regius, *sed et hæc :* præstat tamen, quod editiones nonnullas occupat, *adjuravit.* Noster Metam. III, 659 : Per tibi nunc ipsum, neque enim præsentior illo

Ille homines, hæc est testificata Deam.
Hic metuit mendax, timet hæc perjura vocari:
Num dubites, hic sit major, an ille metus?
Denique, ut amborum conferre pericula possis,
Respice ad eventus: hæc cubat; ille valet.
Nos quoque dissimili certamina mente subimus;
Nec spes par nobis, nec timor æquus adest.
Tu petis ex tuto: gravior mihi morte repulsa est;
Idque ego jam, quod tu forsan amabis, amo.
Si tibi justitiæ, si recti cura fuisset,
Cedere debueras ignibus ipse meis.
Nunc quoniam ferus hic pro causa pugnat iniqua,
Ad quid, Cydippe, litera nostra redit?
Hic facit ut jaceas, et sis suspecta Dianæ:
Hunc tu, si sapias, limen adire vetes.
Hoc faciente, subis tam sæva pericula vitæ:
Atque utinam pro te, qui movet illa, cadat!
Quem si reppuleris, nec, quem Dea damnat, amaris;

Est Deus, *adjuro*, tam me tibi vera referre,
Quam veri majora fide.

Terentius, Andria IV, 2: *Per omnes tibi* adjuro *Deos*. Servius ad illa Virg. XII, 816:

Adjuro Stygii caput implacabile fontis:

pro, *juro*: nam prothesis est. Quidam tamen volunt *juro* dici tunc debere, quum confirmamus aliquid, aut promittimus: ut, juro me facturum: *Adjuro* vero, quum negamus. *Adjuro* me non posse, *Adjuro* me non fecisse. Terentius: « *Adjurat* se non posse apud vos, Pamphilo absente, perdurare. » Potest tamen et *ad* significare *valde*; ut sit, *Adjuro, valde juro*. Heins.

164. *Hæc cubat*. Nempe in morbo: pro *decumbere* enim hac voce veteres usos eleganter Douza in Succid. Append. ad Horat. c. 4, ostendit. B.

165. *Mente subimus. Marte*, præstiterit. Heins.

171. *Nunc quoniam ferus hic. Nunc ferus hic quoniam* concinnius legatur.

172, *Ad quid*. In quem usum. B. Ex notis Hubertini patet legisse eum, *ad quod*; sed non satis capio hæc verba. *Ad te*, *Cydippe*, editio princeps.

176. *Qui movet ille cadat*. Sic videtur legendum; quum sequatur, *Quem si reppuleris*. C. *Ista*, Douzæ codex: sed *illa* jam Aldus et alii receperunt. *Qui movet arma*, Leidensis. *Qui movet illa, ferat*, legebat Francius. — Optat ut moriatur, qui mortem sic intentat Cydippæ.

177. *Reppuleris. Respueris*, Moreti codex.

Et tu continuo, certe ego salvus ero.
Siste metum, virgo : stabili potiere salute :
Fac modo polliciti conscia templa colas.
Nec bove mactato cælestia numina gaudent;
Sed, quæ præstanda est et sine teste, fide.
Ut valeant aliæ, ferrum patiuntur et ignes :
Fert aliis tristem succus amarus opem.
Nil opus est istis : tantum perjuria vita;
Teque simul serva, meque, datamque fidem.
Præteritæ veniam dabit ignorantia culpæ :
Exciderint animo fœdera lecta tuo.
Admonita es modo voce mea, modo cassibus istis;
Quos, quoties tentas fallere, ferre soles.
His quoque vitatis, in partu nempe rogabis,

178. *Et tu continuo.* Malim, *At tu.* HEINS. *Tu, puto, continuo,* conjiciebat Francius. Elegans et ingeniosa conjectura est Nodellii, Obs. Crit. cap. 2, p. 18 :

Et tu, continuo ; *per te* ego salvus ero.

179. *Siste metum.* Sex codices, *pone metum :* ut initio Epistolæ, et millies alibi.

180. *Polliciti. Solliciti,* Moreti.

182. *Et sine teste.* Francius putabat, *vel sine teste.*

183. *Ferrum patiuntur et ignes.* Tres libri, *patientur.* Junianus et Strozza, *patiantur;* recte. HEINS. Præferenda lectio prior, *patiuntur;* ob sequens *fert.* LENNEP.

184. *Fert aliis tristem succus amarus opem. Medicam opem,* Ambrosianus unus et Gottorphianus : ut Amor. II, El. 9, 8 :

Confessum *medica* postmodo juvit *ope.*

188. *Exciderant animo fœdera nostra tuo. Fœdera lecta,* scripti fere omnes, et recte ; ita *litera lecta,* Epist. XXI, 238; et mox v. 214 : *Verba lecta.* Deinde, *Exciderint,* quod in tribus inveni, etiam amplector : nisi *Exciderunt* quis malit.

189. *Modo cassibus istis. Cassibus* scribendum : quod Regius et Moretanus meliores confirmant. *Tendere retia* hoc vocabit Cyd. paullo post :

... Tu nostra justius ira,
Qui mihi *tendebas, retia* dignus eras. IDEM.

—Veterem lectionem *Casibus* reduxit Lennep. ægre ferens *Cassibus* prætulisse Heinsium ac Burmannum ; et intelligit de morbis, quibus tentabatur Cydippe, quoties *perfida exsistere tentabat.* Quod lucide satis illustrat, quod sequitur, *quoties tentas fallere.* Quid rursus *casses, retia,* aut *nodos ferre? Casus* autem *ferre* Latinorum usu tritum est. Recte Ciofanus intellexerat : morbo quo *nunc laboras.*

191. *In partu nempe vocabis. Rogabis,* cum scriptis. HEINS. Quod præstat : proprium enim, de iis, qui implorant auxilium Deorum. Eadem diversitas, lib. X, Met. 300 :

Ut tibi luciferas adferat illa manus.
Audiet; et repetens quæ sunt audita, requiret
Ipsa, tibi de quo conjuge partus eat.
Promittes votum; scit te promittere falso.
Jurabis; scit te fallere posse Deos.
Non agitur de me : cura majore laboro ;
Anxia sunt vitæ pectora nostra tuæ.
Cur modo te dubiam pavidi flevere parentes,
Ignaros culpæ quos facis esse tuæ?
Et cur ignorent? matri licet omnia narres ;
Nil tua, Cydippe, facta ruboris habent.
Ordine fac referas, ut sis mihi cognita primum,
Sacra pharetratæ dum facis ipsa Deæ;

... Orphea nequicquam voce rogatur.

Ita legendum ex MSS. quum vulgo ingratissima soni repetitione, *voce vocatur* circumferatur. BURM.

192. *Luciferas adferat illa manus. Offerat* libri meliores : quidam *efferat*, proxime ad verum. *Luciferas* autem *manus* hic dixit, ut *equos luciferos*, Epist. Canaces. Numus apud me argenteus Juliæ Piæ, DIANÆ LUCIFERÆ inscriptum habet, cum emblemate Dianæ tædam gerentis. Item alius ejusdem Juliæ, LUNA LUCIFERA. Luna biga boum vecta. Sic et Diana φωσφόρος apud Græcos dicta. HEINS.

193. *Audiet hæc repetens quæ sunt audita. Quæ sint,* scripti : *et repetens* etiam bene prima editio. *Recolens*, Barberinus.

195. *Promittere falso. Falsum*, Junianus. *Falsa*, novem alii : mox *posse Deos*, Moreti et Lovaniensis.

197. *Non agitur de me. Nil agitur*, tres libri.

198. *Anxia sunt vitæ.* Francius corrigebat, *Anxia pro vita pectora nostra tua. Sunt vita pectora nostra tua*, Leidensis et Bernensis; sed *anxia vitæ* eleganter dicitur. Ita Plinius, lib. XV, 18. *Cato perniciali odio Carthaginis flagrans nepotumque securitatis anxius.* BURM.

199. *Te dubiam. Te dubii*, editiones priscæ, et Regius, cum novem codicibus; male tamen : *dubius* æger dicitur, quia ejus salus *in dubio* est : ut Ep. seq. 31, *incerta salutis.* Et ita *dubiæ rates*, Nostro, libro II, Art. 514. *Et dubiis Malea vitata carinis;* Stat. IV, Theb. 224 : ubi Barth. *De salute sua : locus enim est valde periculosus.* IDEM.

200. *Ignaros culpæ quos facis esse tuæ. Cur licet*, Jureti Excerpta, cum Menteliano et uno Mediceo : duo alii, *quos licet.* Scribe, *quos liquet.* Sequenti versu, *ignorent* pro *ignorant* meliores. HEINS. *Quos sinis*, malebat Francius.

202. *Facta ruboris habent.* In aliis *pudoris :* probo, CIOF. *Ruboris*, ex iisdem reponendum.

204. *Sacra pharetratæ dum facis*

Ut, te conspecta, subito, si forte notasti,
  Restiterim fixis in tua membra genis:
Ut, te dum nimium miror, nota certa furoris!
  Deciderint humero pallia lapsa meo.
Postmodo nescio qua venisse volubile malum,
  Verba ferens doctis insidiosa notis;
Quod quia sit lectum, sancta præsente Diana,
  Esse tuam vinctam, numine teste, fidem.
Ne tamen ignoret quæ sit sententia scripto,
  Lecta tibi quondam nunc quoque verba refer.

ipsa Deæ. Tò *ipsa* otiosum quum sit hoc loco, vix dubitem Ovidium scripsisse, *Æde Deæ*: cognatio nimirum literarum in utraque voce effecit, ut alterutram oscitantes librarii omiserint; quod et alibi factum. Heins. Conjectura hæc dubia mihi videtur: mallem: *dum facit ipsa*: dum mater sacra facit, conspexit Cydippen Acontius etc.: confer Epist. seq. vers. 93: unde apparet Cydippen, dum mater sacrificat, cum nutrice obambulasse loca sacra, et tunc visam ab Acontio; postmodo demum quum reversa fuisset in ædem Dianæ, *venisse* pomum. Burm.

207. *Et te dum nimium miror. Ut te*, recte Mentelianus, Arondelianus, et Basileensis: pro *nota certa furoris*, malim quoque, *stuporis*. Epistola Paridis:

Dum *stupeo* visis (nam pocula forte tenebam)
  Tortilis e digitis excidit ansa meis. Heins.

208. *Deciderint humero pallia lapsa meo. Reciderint* Excerpta Jureti: probe; et sic videtur legendum, lib. III, Fast. 30:

Ignibus Iliacis aderam; cum lapsa capillis
  Recidit ante sacros lanea vitta focos.

Nam *Deficit* inveni in quibusdam libris. Heins. *Deciderint* mihi præferendum videtur; ad pedes enim *decidisse* docet vox addita *lapsa*, pro quo male quidam codices *laxa*. *Recidere* puto vestem, quum in tergum retro cadit; *decidere*, quum ad pedes labitur. Eadem differentia inter *dejicere vestes* et *rejicere*, quæ verba confuderunt sæpe librarii, observanda est. Burm.

210. *Verba ferens doctis insidiosa notis.* Sic et membranæ, quotquot a me inspectæ sunt. Scribe nihilominus, *ductis notis*. Heins. Mihi *doctæ notæ* movendæ non videntur: nullis enim *notis* Epistola scribi potest, nisi *ductis*: vide ad Quint. I, Instit. I, qui *ductus* literarum dicit; sed *doctas notas* amor dictaverat Acontio, id est callidas, quibus peritus et vafer amator deciperet puellam. Sic *docta* illa *vox* Cæsaris, apud Flor. IV, 2. Burm.

212. *Esse tuam vinctam* etc. Id urget potissimum, quod majoris ipsi momenti; scilicet non sui jam juris esse, nec parentum suorum Cydippen, quæ tam solemni jurejurando, et Diana quidem teste, Acontio se se devinxerat.

214. *Verba refer.* Editio princeps et unus Mediceus:

Lecta tibi quondam nunc quoque verba lego.

Nube, precor, dicet, cui te bona numina jungunt:
  Quem fore jurasti, sit gener ille mihi.
Quisquis is est, placeat, quoniam placet ante Dianæ.
  Talis erit mater, si modo mater erit.
Sic tamen et quærat, qui sim quantusque, jubeto:
  Inveniet vobis consuluisse Deam.
Insula, Coryciis quondam celeberrima Nymphis,
  Cingitur Ægæo, nomine Cea, mari:
Illa mihi patria est: nec, si generosa probaris
  Nomina, despectis arguor ortus avis.
Sunt et opes nobis: sunt et sine crimine mores:
  Amplius utque nihil, me tibi jungit amor.
Appeteres talem vel non jurata maritum;

Non invenusta repetitione; et ita etiam Francius conjecerat. IDEM.

219. *Si tamen et quærat quis sim qualisque, videto.* Scripti nonnulli, *sed tamen inquirat.* Argentinensis, *Si tamen et quærit qui sim: jubeto* etiam est in nonnullis. Scribe:

Sed tamen inquirat qui sim qualisque jubeto:
  Inveniet etc.

Nam *inveniet* pro *invenies* quoque exstat in nonnullis. Posset etiam, *Sic tamen inquirat*, quod tres codices præferunt: et, *qui sim quantusque* cum Jureti Excerptis. HEINS. *Quærat*, ne muta: vide ad Epist. XVII, 198; deinde *sic tamen* prætulimus, XIII, Metam. 243:

Sic tamen et spreto noctisque hostisque periclo.

Eadem elegantia, qua *sic quoque*, sæpe occurrit. IDEM.

222. *Nomine Cea. Cea* non est adjectivum hoc loco, ut Egn. Hubertinus putat: sed proprium. Nam et Plinius IV, 12: *Ceos*, inquit, *quam nostri quidem Ceam, Græci Hydrusam vocant.* Et Virgil. I, Georg. 15:

...Et cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci.

Nymphas autem, quas hic *Corycias* dicit, idem poeta Metam. 10, simpliciter *Nymphas Carthæas* vocat, a *Carthæa*, una ex quatuor urbibus Ceæ. MICYL. — Lege, *Cea;* tam hic, quam Met. X. Κεῖος enim est Græcis, vel Κεὸς. Insula *Cea* etiam Columellæ dicta, lib. IX, cap. 11. *Ceam* simpliciter Virg. I, Georg. 14; ubi, teste Servio, regnavit Aristæus Cyrenes filius. Pro *Coryciis Nymphis* male, et invito metro *Carystiis* reponit Ortelius, Thesauro Geographico, in *Ceos:* sunt enim, quas Noster *Corycidas*, lib. I, Met. vocat; et Parnassi incolas facit Apollonius, II, 711, ubi de Parnasso agit et Apolline:

Πολλὰ δὲ Κωρύκιαι Νύμφαι, Πλείστοιο θύγατρες,
Θαρσύνεσκον ἔπεσσιν, Ἰήϊε κεκληγυῖαι.

223. *Nec si generosa probaris* etc. Nodellio, V. Cl. Obs. Crit., p. 23, legendum videtur *probavit;* mater scilicet, de cujus judicio agitur. L.

224. *Arguor.* Francius malebat, *Arguar.* Cui libenter assentiar.

Juratæ vel non talis habendus erat.
Hæc tibi me in somnis jaculatrix scribere Phœbe;
Hæc tibi me vigilem scribere jussit Amor.
E quibus alterius mihi jam nocuere sagittæ:
Alterius noceant ne tibi tela, cave,
Juncta salus nostra est: miserere meique, tuique.
Quid dubitas unam ferre duobus opem?
Quod si contigerit, quum jam data signa sonabunt,
Tinctaque votivo sanguine Delos erit;
Aurea ponetur mali felicis imago,
Causaque versiculis scripta duobus erit:
Effigie pomi testatur Acontius hujus,
Quæ fuerint in eo scripta, fuisse rata.
Longior infirmum ne lasset epistola corpus,
Clausaque consueto sit tibi fine: vale.

228. *Juratæ vel non talis habendus erat.* Forte:

Vel non juratæ talis emendus erat.

In Amoribus, I, Eleg. 8, v. 34:

Si te non emptam vellet, emendus erat.

Propertius, lib. III, Eleg. XVI:

Tali mors pretio vel sit emenda mihi.

Possit et *amandus* legi. HEINS. Eadem varietas I, Trist. VIII, 44; sed hic *habendus*, mihi præferendum videtur. Epist. VII, 17:

Alter habendus amor tibi restat, et altera Dido.

Vid. et lib. III, Amor. El. XII, 6, ubi etiam *amandus* et *habendus* confunduntur in MSS. BURM.

235. *Quum jam data signa sonabunt.* Variant scripti; tres, *tibi quum data;* Lovaniensis, *tibi cognita signa.* Barberinus, *tibi quum data tura fumabunt.* Forte ex vestigiis codicum, *Quod si contigerit, tuba quum data signa sonabit.* H. E glossa margini adscripta, *tuba*, factum est *tibi*, unde variæ codd. lectiones, quarum posterior etiam in metrum peccat. LENNEP.

240. *Quæ fuerint. Fuerant*, septem codices. Lege, *fuerunt.* Art. Am. III, 405, ex veteri libro:

Cura ducum fuerunt olim regumque poetæ.

241. *Longior.* Monuisse quid opus?

242. *Clausaque consueto sit tibi fine, vale.* Barberinus et Lincoln. *clausula consueto:* forte non male, si legas:

Clausula consueto sit tibi fine; vale.

Cicer. lib. II, Ep. IV ad Fam. *Utarea clausula, qua soleo.* Senec. Epist. XI: *Jam clausulam Epistola poscit:* ubi Lipsii liber, *clausam.* Epist. XXVII: *Finire jam volebam, et manus spectabat ad clausulam.* Ita *clausula Histrionum*, de qua vide Casaubon. ad Suet. Aug. 100. BURM.

EPISTOLA XXI.

CYDIPPE ACONTIO.

PERTIMUI, scriptumque tuum sine murmure legi,
Juraret ne quos inscia lingua Deos.
Et, puto, captasses iterum, nisi, ut ipse fateris,
Promissam scires me satis esse semel.
Nec lectura fui; sed, si tibi dura fuissem,
Aucta foret sævæ forsitan ira Deæ.
Omnia quum faciam, quum dem pia tura Dianæ;
Illa tamen justa plus tibi parte favet.
Utque cupis credi, memori te vindicat ira.
Talis in Hippolyto vix fuit illa suo.
At melius Virgo favisset virginis annis;
Quos vereor paucos ne velit esse mihi.
Languor enim, causis non apparentibus, hæret;
Adjuvor et nulla fessa medentis ope.
Quam tibi nunc gracilem vix hæc rescribere, quamque

1. *Sine murmure legi.* Nec motis quidem labris, ne quid *insciæ* excideret, ut prius.

3. *Et, puto, captasses* etc. Et hoc tibi credo propositum, scilicet ut jurarem *iterum*; nisi scires satis esse *semel* jurasse.

10. *In Hippolyto* etc. Male, qui *in Hippolytum*:

At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis *in hoste* fuit *Priamo*. (Æneid. II, 540.)

11. *Virginis.* Male hæc de Hippolyto capit Douza, ad ipsam Cydippen referenda.

12. *Quos vereor.* Codices omnes post hunc versum deficiunt, præter Sarravianum, Mediceum, et unum ex meis recentiorem, quem a Luca Langermanno donum habui. Arondelianus quoque reliquos hujus Epistolæ versus majori ex parte in calcem voluminis, post Sapphus Epistolam rejecerat. HEINS. — *Quos vereor* etc. Non ultra procedit Editio prisca ann. 1470, neque interpres Græcus Planudes. Quod videatur confirmare quæ diximus, ad v. 145, Epistolæ præcedentis.

Pallida vix cubito membra levare putas?
Huc timor accedit, ne quis, nisi conscia nutrix,
Colloquii nobis sentiat esse vices.
Ante fores sedet hæc; quid agamque rogantibus intus,
Ut possim tuto scribere, dormit, ait.
Mox ubi, secreti longi causa optima, somnus
Credibilis tarda desinit esse mora,
Jamque venire videt, quos non admittere durum est,
Exscreat; et ficta dat mihi signa nota.
Sicut eram, properans verba imperfecta relinquo,
Et tegitur trepido litera cauta sinu.

17. *Nunc timor.* Malim *Huc;* ut lib. III, Amor. Eleg. VII, 37: *Huc pudor accessit.* HEINS.

19. *Quid agamque rogantibus inter.* Hic versus præcipue ex iis unus est, unde colligitur, hos non esse poetæ proprios ac γνησίους. Neque enim hanc figuram apud Ovidium facile alibi reperias. Est enim *Rogantibus inter*, dictum, pro *interrogantibus;* quod haud scio, an apud ullum alium poetam reperias: nedum apud Ovidium, qui ubique orationi æquabili ac planæ studuit. Sed tamen fieri potest, ut vel insititius versus hic idem sit, vel alias corruptus; poteratque nullo incommodo legi:

... Quid agamque rogantibus, ipsa,
Ut possim tuto scribere, dormit, ait.

Nisi quod nobis nihil immutare, quod ab aliis intactum hactenus manserit, constitutum est. MICYL. Scribo, *intus.* Columella Præfatione Rei Rusticæ, *Neque enim roganti quid agatur intus, servi respondere dignantur.* H. Male Douza et alii capiebant *rogantibus inter*, pro *interrogantibus:* certa Heinsii est emendatio. BURM.

21. *Mox ubi secreti longe. Longi*, Mediceus cum prisca editione; bene.

23. *Quos non admittere durum est.* Cave *tutum est* reponas. Tib. I, El. 6:

Illa quidem tam multa negat: sed credere *durum est.*
Sic etiam de me pernegat usque viro. H.

24. *Ficta dat mihi signa nota.* Malim *tecta*, ut Epist. XVII, 81:

... Quoties ego tecta notavi
Signa supercilio pæne loquente dari!

Furtivas notas dixit, Amor. lib. I, Eleg. IV. Propert. III, Eleg. 7:

Tecta superciliis si quando verba remittis.

Forte, *dicta nota*, quæ inter nos convenit: vid. ad IV, Metam. 95, et supra ad Epist. XII, 194. BURM. — Equidem vulgatam retinere malim. *Fictus screatus*, optime dici mihi videtur ille, qui non ex vera tussi, sed ad *notam* alicui dandam, de industria profertur. Eum autem ad notam Cydippæ dandam fictum a nutrice screatum brevius hic poeta *fictam notam* dixit. LENNEP.

26. *Trepido.* Forte, *tepido*, ut III, Art. 622:

Quos tegit in *tepido* fascia lata sinu. H.

Recte *trepido:* ea enim Cydippæ conditio, ut nihil non reformidet.

Inde meos digitos iterum repetita fatigat.
Quantus sit nobis, adspicis ipse, labor!
Quo, peream, si dignus eras, ut vera loquamur:
Sed melior justo, quamque mereris, ego.
Ergo te propter toties incerta salutis
Commentis pœnas doque dedique tuis?
Hæc nobis, formæ te laudatore superbæ,
Contingit merces! et placuisse nocet!
Si tibi deformis, quod mallem, visa fuissem,
Culpatum nulla corpus egeret ope.
Nunc laudata gemo: nunc me certamine vestro
Proditis, et proprio vulneror ipsa bono.
Dum neque tu cedis, nec se putat ille secundum;
Tu votis obstas illius; ille tuis.
Ipsa, velut navis, jactor, quam certus in altum
Propellit Boreas; æstus et unda refert.
Quumque dies caris optata parentibus instat,
Immodicus pariter corporis ardor inest:
Et mihi conjugii tempus crudelis ad ipsum
Persephone nostras pulsat acerba fores.
Jam pudet; et timeo, quamvis mihi conscia non sim,

28. *Quantus sis nobis. Sit* recte meus codex et Arondelianus. H. Habet vero vetus lectio *sis*, ut ad Acontium referas, qui *labor* ipse sit Cydippæ, et quidem gravissimus.

30. *Sed melior justo* etc. *Melior* hic est mitior, benignior. Ego sum mitior *justo*, id est quam æquum est, et tu mereris. Ita infr. v. 170; *gravius justo*: vid. ad Vell. Paterc. II, 25. Douza exponebat, *Quæ*, (scil. præcedentia, quæ a me indicata sunt) ut vere tibi prædicem, peream si dignus eram. Ego tamen, non quia tu dignus, sed quia ego verax tibi mendacia obtrudere nolui, quæ longe absunt a mente poetæ.

39. *Tu cedis. Credis* unus Mediceus: forte, *te credis*. Heins.

42. *Æstus et unda.* Id est, *recursus undæ*: is enim *æstus* dicitur: videturque usus figura poeta, quam Græci vocant τὸ διὰ δύο. Qua de re Virgilii illud quoque est, *Chalybem frenosque momordit*: pro frenum ferreum, sive ex chalybe factum.

45. *Pulsat acerba fores.* Imitatio est Horatiana, I, Od. 4:
Pallida mors æquo *pulsat* pede etc.

47. *Jam pudet.* Francius legebat,

Offensos videar ne meruisse Deos.
Accidere hoc aliquis casu contendit; et alter
Acceptum Superis hunc negat esse virum.
Neve nihil credas in te quoque dicere famam,
Facta veneficiis pars putat ista tuis.
Causa latet; mala nostra patent: vos pace movetis
Aspera submota prælia: plector ego.
Dicam nunc, solitoque tibi me decipe more:
Quid facies odio, sic ubi amore noces?
Si lædis quod amas, hostem sapienter amabis.
Me, precor, ut serves, perdere velle velis.
Aut tibi jam nulla est speratæ cura puellæ,
Quam ferus indigna tabe perire sinis;
Aut Dea si frustra pro me tibi sæva rogatur,

Et pudet: ita, Epist. XVII, 177: *Et libet, et timeo.*

48. *Offensos videar ne meruisse Deos.* Non sat commode dictum. Sententia tamen est: ne videar Deos offendisse, aut *meruisse*, ut essent mihi *offensi*, pro, *infensi*.

51. *Neve mihi credas.* Omnino scribendum:

Neve nihil credas in te quoque dicere famam.

55. *Dicam nunc, solitoque tibi me decipe more. Dic jam nunc* Crispinus corrigebat; quod si admittimus, ita distinguendum esset:

Dic jam, nunc solitoque tibi me decipe more,
Quid facias odio, sic ubi amore noces?

Sed Douza notavit Petronium sic quoque initium sententiæ et periodi auspicatum esse, cap. 129: *Dicam*; vel, *narrabo tibi, Adolescens, paralysin cave.* Et in Declamationibus, quas non male hæ ultimæ Epistolæ referunt, sæpe illa formula occurrit. Sic Quintil. Decl. 329: *Dicam nunc ego: Qui pulsaverit aliquem, injuriarum teneatur.* Decl. 338: *Dicam nunc ego illa, quæ leviora sunt.* Et passim. BURM.

56. *Facies.* Mallem *facias*; ut sæpe alibi.

57. *Hostem sapienter amabis.* Feceris sapienter, si *hostem* amaveris, quum *lædas* ita quod *amas*.

58. *Me precor ut serves: perdere velle, velis.* Locus manifeste corruptus. *Tò velle* perperam, ex *velis* proxime sequenti inculcatum, quum ultimas duas syllabas in *perdere* librarius geminare neglexisset:

Me, precor, ut serves, perdere, *dure*, velis.

Christianus Daumius opinabatur dictum vulgatum; ut *negat negare* apud Catullum. HEINS. Non est, ut putat Heinsius, *tò velle perperam* e *velis* proxime sequenti inculcatum etc. Esse enim hic nihil minus quam otiosum, aut redundans; contra in hujusmodi formulis, *perdere velis, facere velis, dare velis* etc., ipsum hoc *velis* haud ineleganter redundare; certe nullam præcipuam voluntatis significationem in se con-

Quid mihi te jactas? gratia nulla tua est.
Elige quid fingas : non vis placare Dianam?
Immemor es nostri : non potes? illa tui est.
Vel nunquam mallem, vel non mihi tempore in illo
Esset in Ægæis cognita Delos aquis.
Tunc mea difficili deducta est æquore navis,
Et fuit ad cœptas hora sinistra vias.
Quo pede processi! quo me pede limine movi!
Picta citæ tetigi quo pede texta ratis!
Bis tamen adverso redierunt carbasa vento....
Mentior ah demens! ille secundus erat.
Ille secundus erat, qui me referebat euntem;
Quique parum felix impediebat iter.
Atque utinam constans contra mea vela fuisset!
Sed stultum est venti de levitate queri.
Mota loci fama properabam visere Delon;
Et facere ignava puppe videbar iter.

tinere certum habeam. Sensus igitur : voluntatem, quæso, suscipere *velis* me perdendi. LENNEP.

62. *Gratia.* Forte, *Gloria nulla tui est.* HEINS. Male. — *Gratia*, qua valere, et potens esse apud Dianam vis videri. Ovid. IV, Met. v. 653 : *At quoniam parvi tibi gratia nostra est.* Et hoc exigit præcedens *te jactas*, ut solent gratia potentes; et etiam sequens verbum *potes. Posse* enim, et *valere potentes* dicuntur, qui *gratia* valent. BURM.

67. *Tunc mea difficili.* Et hæc locutio durior : *deducuntur* litore naves in æquor; sed subducuntur ex æquore in litus. Si mei res arbitrii esset, legerem, *difficili deducta est litore puppis. Litus difficile*, quod mala omina daret, et ægre quasi dimitteret navem *subductam.* Potest tamen et *difficili æquore* absolute positum intelligi, pro, quum æquor esset *difficile;* id est, turbatum. BURM.

71. *Bis tamen.* Vide, ne legendum sit, *bis :* ut significet Cydippe, non semel *ventum* adversum fuisse. EG. — Quid non *bis* legamus? an non formula hæc *bis*, *ter* ve, in præsagiendo, usitatissima?

76. *Sed stultum est.* Versus suspectus. HEINS. Quinimo locus hic omnis declamantis est, et curiosi potius verborum ostentatoris, quam poetæ, nedum personæ loquentis, quæ quum ex ipso, quo febre affixa languet, lecto hæc scribat, non ea sane corporis et animi tranquillitate fruitur, quæ in isto dicendi genere tantopere, tamque diu sibi complaceat. Citius evanescit, si quid Ovidianum aliquando emicat in quatuor posterioribus Epistolis.

Quam sæpe, ut tardis, feci convicia remis;
Questaque sum vento lintea parca dari!
Et jam transieram Myconon, jam Tenon, et Andron;
Inque meis oculis candida Delos erat.
Quam procul ut vidi: quid me fugis, insula, dixi?
Laberis in magno numquid, ut ante, mari?
Institeram terræ, quum jam prope luce peracta,
Demere purpureis Sol juga vellet equis:
Quos idem solitos postquam revocavit ad ortus,
Comuntur nostræ, matre jubente, comæ.
Ipsa dedit gemmas digitis, et crinibus aurum;
Et vestes humeris induit ipsa meis.

79. *Quam sæpe ut tardis. Heu tardis*, malo. HEINS. *Ut* est hic tanquam, licet celerrime navis progrederetur.

81. *Et jam transieram Myconen.* Scribe *Myconon* cum prima editione. *Myconos* enim, non *Mycone* dicta hæc insula. Statius, in Achilleide, manifeste; et Theb. I, 205:

... Placet ire per altas
Cycladas: hinc spretæ Myconos humilisque Seriphos.

82. *Candida Delos.* In prima editione, et Mediceo, et Herculan. codice erat, *candida Phosphor erat:* forte aliquid latet. Adludi vero ad etymon Deli, ut Micyllus, et alii credunt, potest quidem statui; sed simul illam facile nautis conspici, aut etiam præclaram et nobilem notari hoc epitheto: ut Horat. I, Od. 14: *Nitentes Cycladas;* non, ut Cerda ad Virgil. III, Æn. 126, a marmore.

84. *Laberis in magno numquid, ut ante, mari? Magno* proprie, ut solent Ægeum sæpe poetæ vocare. Stat. III, Theb. 433:

... Magnoque volantes
Injicit Ægæo.

Laberis vero est *natas*, ut insula *natans* proprie dicitur. Ita XIV, Met. 8: *Tyrrhena per æquora lapsus:* et ita, quemadmodum et *labi*, pro navigare, poni vidimus ad Epist. X, 65: sic et *nare* pro navigare; et labi, et *navigare* pro natare. Sic etiam Callim. Hym. in Del. 36, de Delo, Ἄφετος πελάγεσσιν ἐείκεις. BURM.

89. *Et crinibus aurum.* Mediceus et Sarravianus et Langermannianus, *cruribus;* cum quibus editiones Venetæ consentiunt: nisi quod in una operarum errore sit, *auribus*, et de *crinibus* comendis jam præcesserat; intelligit ergo periscelidas, quas *genualia* vocat, X Metam. 593:

Poplitibus suberant picto *genualia* limbo.

Heinsius ad oram codicis conjecerat, legendum *cruribus:* quia nimis operose toties de *crinibus* ageret poeta. Confusas vero has voces, docet etiam locus V, Fast. 37:

Mille manus illis dedit, et pro crinibus angues.

Ubi codices meliores, *pro cruribus angues.* BURM. — Quid vetat, quo minus mater ornandæ filiæ curiosior, comtis jam capillis aurea ornamenta addiderit?

Protinus egressæ, Superis, quibus insula sacra est,
  Flava salutatis tura merumque damus;
Dumque parens aras votivo sanguine tingit,
  Festaque fumosis ingerit exta focis;
Sedula me nutrix alias quoque ducit in ædes,
  Erramusque vago per loca sacra pede;
Et modo porticibus spatior, modo munera regum
  Miror; et in cunctis stantia signa locis.
Miror et innumeris structam de cornibus aram,
  Et de qua pariens arbore nixa Dea est;
Et quæ præterea (neque enim meminive, libetve,
  Quidquid ibi vidi, dicere) Delos habet.
Forsitan hæc spectans, a te spectabar, Aconti;
  Visaque simplicitas est mea posse capi.
In templum redeo gradibus sublime Dianæ:
  Tutior hoc ecquis debuit esse locus?
Mittitur ante pedes malum, cum carmine tali.

91. *Sacra. Grata* Mediceus et Sarravii, pro varia lectione: et certe mox *loca sacra* sequitur. Eadem varietas alibi observatur. Vid. I, Pont III, 80.

94. *Festaque fumosis ingerit exta focis. Sectaque* scribendum, ni fallor. Fast. IV, 638:

Sectaque fumosis exta dedere focis. HEINS.

99. *De cornibus.* Non ego hoc loco plura, quam quæ Politianus de ara Delii Apollinis ex cornibus facta frequentibus, addam; ad illum diligentem lectorem relegamus. EGNAT. Vide Callimach. Hym. Apol. 68, et sqq. et in Del. 319; et ibi interpretes.

100. *Et de qua pariens* etc. Callimach., Hymn. in Delum, 209, sqq.:

Λύσατο δὲ ζώνην, ἀπὸ δὲ ἐκλίθη ἔμπαλιν ὤμοις
Φοίνικος ποτὶ πρέμνον, ἀμηχανίης ὑπὸ λυγρῆς
Τειρομένη· νότιος δὲ διὰ χροὸς ἔῤῥεεν ἱδρώς.

— *Arbore.* Olivæ palmæque arborem, cui Latona pariens innixa est, innuit ipse, lib. VI, Metam. 335:

Illic incumbens cum Palladis arbore palmæ,
Edidit invita geminos Latona noverca.

103. *Forsitan hæc spectans* etc. Non Ovidii, sed Ovidium operose studentis referre versum hunc esse crediderim. Videant, qui nasutiores.

104. *Est mea posse capi.* Francius legebat, *Est mea digna capi.*

107. *Mittitur ante pedes malum* etc. Rem sic venuste exponit Aristenætus: Αὐτίκα γοῦν κατὰ τὸ Ἀρτεμίσιον, ὡς ἐθεάσω προκαθημένην τὴν κόρην, τοῦ κήπου τῆς Ἀφροδίτης κυδώνιον ἐκλεξάμενος μῆλον, ἀπάτης αὐτῷ περιγεγράφηκας λόγον· καὶ λάθρα διεκύλισας πρὸ τῶν τῆς θεραπαίνης ποδῶν. ἡ δὲ τὸ μέγεθος καὶ τὴν χροιὰν καταπλαγεῖσα, ἀνῄρπασεν ἅμα

Hei mihi! juravi nunc quoque pæne tibi.
Sustulit hoc nutrix, miratáque : Perlege, dixit.
Insidias legi, magne poeta, tuas!
Nomine conjugii dicto, confusa pudore
Sensi me totis erubuisse genis;
Luminaque in gremio, veluti defixa, tenebam;
Lumina propositi facta ministra tui.
Improbe, quid gaudes? aut quæ tibi gloria parta est?
Quidve vir, elusa virgine, laudis habes?
Non ego constiteram sumta peltata securi,
Qualis in Iliaco Penthesilea solo:
Nullus Amazonio cælatus balteus auro,
Sicut ab Hippolyte, præda relata tibi est.
Verba, quid exsultas, tua si mihi verba dederunt;
Sumque parum prudens capta puella dolis?

διακοροῦσα κ. τ. λ.—*Cum carmine tali.* Græcum fuisse apparet carmen illud; sed quale, hactenus nemo tradidit, quia ipsa fabula alias nusquam clare aut plene tractata extat. Sic refert Aristenæt. Μὰ τὴν Ἄρτεμιν Ἀχαντίῳ γαμοῦμαι. Unde forsan Hubertinus:

Juro tibi sane per mystica sacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram.

109. *Sustulit hoc nutrix* etc. Quæ hic nutrix, eadem θεράπαινα, apud Aristenætum.

110. *Insidias legi.* Versus suspectus. H. Francius malebat, *docte poeta.*

111. *Nomine conjugii dicto* etc. Ὃν (ut ait Aristen.) σεμνὴ παρθένος, κἂν ἑτέρου λέγοντος, ἐρυθριᾶσα.

113. *Veluti.* Lege, *vel humi.* H. Ego nihil muto. *Veluti defixa*, est tanquam stupens et attonita. Burm.

115. *Improbe, quid gaudes? aut quæ tibi gloria parta est?* Francius legebat: *Quænam tibi gloria parta est?*

117. *Non ego constiteram* etc. *Constiteram* eleganter, ut miles paratus ad pugnam proprie dicitur. Valer. Flacc. VIII, 133: *Rapta victor consistit in hasta.* Burm.

118. *Qualis in Iliaco* etc. De *Penthesilea*, Amazonum regina, vidend. Dictys Cret. 3 et 4: Pausan. X, 31. Virg. Æn. I, 495. De *Hippolyte*, Plutarch. in Thes. Propert. IV, El. III.

121. *Si verba tua dederunt mihi verba.* Schema est, ἀντίφρασιν vocant, quum idem nomen repetitur diversa significatione. Priore enim loco, *Verba* proprie sumuntur: altero, pro deceptione. Micyl. Putidum hoc, et minime Nasonianum.

122. *Sumque parum prudens capta puella dolis.* Rectius opinor fore, *doli: parum prudens doli*, ut paulo post, *prudens animi sententia.* Epist. Œnones, *prudens artis.* H. Francius refingebat: *Sumque tuo imprudens capta puella dolo.*

Cydippen pomum, pomum Schœneïda cepit.
Tu nunc Hippomenes scilicet alter eris.
At fuerat melius, (si te puer iste tenebat,
Quem tu nescio quas dicis habere faces,)
More bonis solito, spem non corrumpere fraude:
Exoranda tibi, non capienda fui.
Cur, me quum peteres, ea non profitenda putabas,
Propter quæ nobis ipse petendus eras?
Cogere cur potius, quam persuadere, volebas,
Si poteram, audita conditione, capi?
Quid tibi nunc prodest jurandi formula juris,
Linguaque præsentem testificata Deam?
Quæ jurat, mens est; nil conjuravimus illa.
Illa fidem dictis addere sola potest.
Consilium prudensque animi sententia jurat,
Et, nisi judicii, vincula nulla valent.
Si tibi conjugium volui promittere nostrum;
Exige polliciti debita jura tori:
Sed si nil dedimus, præter sine pectore vocem,
Verba suis frustra viribus orba tenes.
Non ego juravi: legi jurantia verba.
Vir mihi non isto more legendus eras.

123. *Pomum Schœneida cepit.* Vide Metam. x, 666; et Apollodorum, III.

127. *More bonis. More boni*, Mediceus et Sarravii, cum primis editionibus.

133. *Quid tibi nunc prodest jurandi formula juris* etc. Respondet ad id, quod dixerat Acontius:

Nec mihi credideris: recitetur formula pacti.

Mox:

... Hæc est testificata Deam. CIOF.

135. *Quæ jurat, mens est.* Adludit ad vulgatum versum Euripidis Hippol. 612: Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν, ἀνώμοτος. MICYL.

141. *Sed si nil.* Francio placebat, *Si tibi nil.* — *Sine pectore vocem.* Sic Virgilius, Æneid. x, 640: *Dat sine mente sonum.*

144. *Vir mihi non isto more legendus eras.* Puto *petendus:* quia *volui* præcesserat. HEINS. Ego nihil quoque hic moveo: millies enim *legere*, pro eligere occurrit: adludere quoque videtur ad notam phrasin, qua *vir virum legit. Legendus eris*, erat

Decipe sic alias : succedat epistola pomo.
Si valet hoc, magnas divitis aufer opes.
Fac, jurent reges sua se tibi regna daturos;
Sitque tuum, toto quidquid in orbe placet.
Major es hac ipsa multo, mihi crede, Diana,
Si tua tam præsens litera numen habet.
Quum tamen hæc dixi, quum me tibi firma negavi,
Quum bene promissi causa peracta mei est;
Confiteor, timeo sævæ Latoïdos iram,
Et corpus lædi suspicor inde meum.
Nam quare, quoties socialia sacra parantur,
Nupturæ toties languida membra cadunt?
Ter mihi jam veniens positas Hymenæus ad aras
Fugit, et e thalami limine terga dedit.
Vixque manu pigra toties infusa resurgunt
Lumina : vix moto corripit igne faces.

in antiquis editis, et in Sarraviano qui hic desinit, ut et Editio Veneta, anni 1474. Burm.

145. Huc usque editio Romana ann. 1474. Ad finem vero pergit Veneta, anni 1492.

146. *Divitis aufer opes.* Malim, *ditibus aufer.* Heins.

148. *Orbe placet.* Francius, *patet.*

157. *Positas Hymenæus ad aras.* Francius malebat, *positis Hymenæus ab aris.* Douza etiam *auras* faciebat.

159. *Infusa.* Vix latinum est; et loqui de facibus videtur : forte, *incussa.* Heins. Forte, *totiens incensa resumit lumina;* ut ad Hymenæum referantur. Sic 1, Amor. 1, 8 :

Ventilet accensas flava Minerva faces.

Francius volebat, *perfusa :* si *infusa* esset retinendum, subintelligi debet *oleo :* ut dicimus *perfundi vino*, de ebrio; sed *infundi vino* labentis jam Latinitatis, et corrupti sermonis esse locutionem censuit Janus Broukhusius, ad Tibul. 1, 11, 3. Burm. — *Infusa resurgunt lumina. Lumina* hic commemorari putem lampadum seu lychnorum, quibus, quoties accendi debebant, toties *infundendum* erat oleum. Ita sane mirum non sit, Hymenæum, ter jam frustra functum hoc officio, qui se oleum et operam perdere videret, in his nuptiis, quartum *infundendis luminibus* solito *pigriorem* manum adtulisse. Vulgatam tamen, nec uno quidem nomine, suspectam habuerunt viri docti : primum, quod fax, aut tædæ Hymenæo magis, quam lampas soleat tribui : deinde quia, judice Heinsio, *infusa oleo vix* eo sensu *Latinum est.* Quis vero ignorat, præter facem ab Hymenæo gestatam, innumera in nuptiarum celebratione *lumina* accendi lampadum, lychnorum etc.?—Quod spec-

Sæpe coronatis stillant unguenta capillis,
Et trahitur multo splendida palla croco.
Quum tetigit limen, lacrimas mortisque timorem
Cernit, et a cultu multa remota suo.
Projicit ipse sua deductas fronte coronas,
Spissaque de nitidis tergit amoma comis;
Et pudet in tristi lætum consurgere turba:
Quique erat in palla, transit in ora rubor.
At mihi, væ miseræ! torrentur febribus artus;
Et gravius justo pallia pondus habent.
Nostraque plorantes video super ora parentes:
Et, face pro thalami, fax mihi mortis adest.
Parce laboranti, picta Dea læta pharetra;
Daque salutiferam jam mihi fratris opem!
Turpe tibi est, illum causas depellere leti;
Te contra titulum mortis habere meæ.
Numquid, in umbroso quum velles fonte lavari,
Imprudens vultus ad tua labra tuli?
Præteriine tuas de tot cælestibus aras?

tat ad latinitatem, non video, si Columella, de Re Rust. XLVII, 6, et LIV, 3, 4, recte dixit *olivas, napos aceto infundere*, cur non recte Nostier *lumina oleo infusa*. LENNEP.

162. *Splendida palla croco.* Puto *flammeum* intelligi, quod novæ nuptæ gerebant: id enim crocei coloris erat. Lucanus *luteum* vocat: ut lib. II, 361:

Lutea demissos velarunt *flammea* vultus. M.

165. *Projicit ipse suas deducta fronte coronas.* Legebam, *adducta fronte;* hoc est contracta et rugosa fronte, quod mœstitiæ signum est, et a sequenti proxime hexametro confirmatur: quamquam et *deducta frons*, quo modo *deducta vox:* de qua Macrob. lib. VI, Saturnal. cap. 4. Senèca, Epist. LVIII: *Itaque et vultum adducet ad tristitiam, et inhorrescet ad subita, et caligabit, si vastam altitudinem despexerit.* Suet. Tiber. 68: *Incedebat cervice rigida, et obstipa, adducto fere vultu. Adducere* et *ducere frontem* modus loquendi elegans; quod aliis *contrahere frontem*, apud Juvenalem *obducere frontem.* Sat. IX, 1. HEINS. Ego mallem cum Francio, *deductas fronte coronas*, vel *detractas;* et ita cum sequenti versu melius cohærerent.

172. *Et, face pro thalami* etc. Verbatim fere Aristenætus: Καὶ πρὸς ἐκφορὰν, ἀντὶ νυμφαγωγίας, οἱ τεκόντες ἐώρων.

174. *Fratris.* Apollinis, scilicet; qui ipse, de se ipso, Metam. II, 52:

Atque tua est nostra spreta parente parens?
Nil ego peccavi, nisi quod perjuria legi;
Inque parum fausto carmine docta fui.
Tu quoque pro nobis, si non mentiris amorem,
Tura feras: prosint, quæ nocuere, manus.
Cur, quæ succenset, quod adhuc tibi pacta puella
Non tua fit, fieri ne tua possit, agis?
Omnia de viva tibi sunt speranda: quid aufert
Sæva mihi vitam, spem tibi Diva mei?
Nec tu credideris illum, cui destinor uxor,
Ægra superposita membra fovere manu:
Adsidet ille quidem, quantum permittitur ipsi;
Sed meminit nostrum virginis esse torum.
Jam quoque nescio quid de me sensisse videtur:
Nam lacrimæ causa sæpe latente cadunt.
Et minus audacter blanditur; et oscula rara
Accipit, et timido me vocat ore suam.
Nec miror sensisse, notis quum prodar apertis:
In dextrum versor, quum venit ille, latus;
Nec loquor, et tecto simulatur lumine somnus;
Captantem tactus rejicioque manum.
Ingemit; et tacito suspirat pectore; meque

.... *Opiferque* per orbem
Dicor, et herbarum subjecta potentia nobis.

179. *Præteriine. Præteriive*, Edit. Parm.

182. *Inque parum fausto carmine docta fui. Capta fui* videtur restituendum, ut hæc ipsa Cydippe paulo ante 104:

Visaque simplicitas est mea posse *capi*.

Et 122:

Sumque parum prudens *capta* puella dolis. H.

—Ego vero ob hoc ipsum servandum *docta* existimem; non modo vitandi causa vitiosam repetitionem; sed quia postulat sensus. *Doctam* enim se dicit, præ nutrice, quæ, quum inscriptum pomo carmen legere non posset, legendum dominæ tradiderat.

186. *Non tua sit*. Scribe *fit*: quod τὸ *fieri* proxime subsequens requirit: ea repetitio arguta prorsus καὶ ἑλκυστική. Heins.

198. *In dextrum versor* etc. *Vertor* malebat Francius: *avertor*, olim correxerat Heinsius. Burm.

201. *Meque offensam*. Immo, *me quod*, vel, *me qui*. Heins.

Offensam, quamvis non mereatur, habet.
Hei mihi, quod gaudes, et te juvat ista voluptas!
Hei mihi, quod sensus sum tibi fassa meos!
Si mihi lingua foret, tu nostra justius ira,
Qui mihi tendebas retia, dignus eras.
Scribis, ut invalidum liceat tibi visere corpus...
Es procul a nobis; et tamen inde noces!
Mirabar, quare tibi nomen Acontius esset:
Quod faciat longe vulnus, acumen habes.
Certe ego convalui nondum de vulnere tali;
Ut jaculo, scriptis eminus icta tuis.
Quid tamen huc venias? sane ut miserabile corpus,
Ingenii videas bina tropæa tui.

203. *Si mihi. Hei, mihi*, tam hoc, quam proxime sequenti versu, pro *si mihi*, Gronovius probe reponit. Sed nondum integer, aut sanus est locus. Corrigit igitur Heinsius:

Hei mihi quod gaudes, et te juvat ista simultas?

— Equidem leni mutatione malim *voluntas*. Lennep.

205. *Si mihi lingua foret.* Repetitio quidem hæc, Schema rhetoricum est. Sed ipsa oratio obscura, sive defectuosa, et Ovidianæ dissimilis. M. Locus corruptus. *Si me digna forem*, argute idem elegantissimus Gronovius. Parmensis editio, *At mihi lingua foret*. Heins. *Si me digna forem* etc. Paulo magnificentius dictum, quam pro Cydippes persona.

207. *Scribis ut invalidum.* Respondet ad id, quod Acontius optaverat, ægram coram invisere posse:

Me miserum! quod non medicorum jussa ministro,
Effingoque manus, assideoque toro!

209. *Nomen Acontius esset.* Ego hæc duo disticha inepta et Ovidiana elegantia et judicio plane indigna, et sine ullo acumine esse judico. Sanctioresque et integriores poetas religiose ab infucetis illis adlusionibus ad nomina propria abstinuisse compertum est. Exempla tamen quorumdam Græcorum et Latinorum adduxit Columna, ad Ennii Andromachen. pag. 240; sed aut ridiculi, aut opprobrii causa fere usurpata videbis: in gravi enim et serio poemate nullus his ineptiis locus esse potest, nec debet. Burm.

213. *Quid tamen huc venias.* Est autem remotio, sive extenuatio causæ. Id enim dicit: Non est causa, cur me tantopere cupias invisere. Tu pulchritudinem et formam meam, ut scribis, expetis: ego hic jaceo, *corpus miserabile*, et morbo deformatum, et quale tu fecisti. Nam hoc quoque illi imputat. Mityl. — *Sane miserabile corpus.* Scribe, *Anne ut miserabile corpus.* Sic apud Martialem lib. v, Epigr. ult. *Sane*, pro *At ne* nunc legitur: qui nævus totum ferme epigrammati acumen interverterat. Restituamus igitur lepidis-

Concidimus macie : color est sine sanguine; qualem
  In pomo refero mente fuisse tuo.
Candida nec mixto sublucent ora rubore;
  Forma novi talis marmoris esse solet.
Argenti color est inter convivia talis,
  Quod tactum gelidæ frigore pallet aquæ.
Si me nunc videas, visam prius esse negabis :
  Arte nec est, dices, ista petenda mea :
Promissique fidem, ne sim tibi juncta, remittes;
  Et cupies illud non meminisse Deam.
Forsitan et facies, jurem ut contraria rursus;
  Quæque legam, mittes altera verba mihi.
Sed tamen adspiceres vellem, prout ipse rogabas,
  Et discas sponsæ languida membra tuæ.
Durius et ferro quum sit tibi pectus, Aconti,
  Tu veniam nostris vocibus ipse petas.

simum carmen, et Gallam Martialis Nasonianis Heroidin addamus :

Saturnalia transiere tota;
Nec munuscula parva, nec minora
Misisti mihi, Galla, quam solebas.
At, ne sic abeat meus December,
Scis certe, puto, vestra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti. H.

—Francius legebat, *ut me et miserabile corpus :* sed vix audeo illud *Sane* movere, quum eleganter inserviat ironiæ, vel sit concedentis quasi et permittentis. Vid. ad Phædr. III, Fab. XV, ubi etiam Heinsius pro *sane, an* reponebat. BURM.

223. *Ne sim tibi victa remittes.* Lege, *vincta :* ut supra XX, 22 :

Esse tuam *vinctam* numine teste fidem.

Codex etiam Medic., *juncta :* bene.

224. *Et cupies illud.* Francius malebat, *Et cupies ipsam.*

227. *Prout ipse rogabas.* Celeberrimus Bentlejus ad Horat. II, Sat. VI, v. 67, apud nullum poëtam, ne comicum quidem, hoc verbum se legisse meminit; nec in Horatio patitur in unam syllabam coalescere. Ex Plauto in Bacch. IV, IX, 5, Lexicographi laudant; sed ibi *præut* emendatiores editiones recte exhibent : et sane vix tolerari hic posse videtur, quum nulla sit ratio, quæ suadeat, aut primam syllabam corripi, aut duas in unam coire. Francius *velut* supposuit, sed hoc est pro arbitrio emendare; ideoque malo poëtæ ignobili hanc stribligînem adscribere. *Discas* etiam *membra* durius dictum videtur : si *noscas*, posset legi, mollius esset. B.

229. *Durius et ferro* etc. Nihil dubitat, quin si eam Acontius aspiceret, vota pro salute faciat, et ipse cupiat non meminisse Deam jurisjurandi quo se Acontio Cydippe sponsam obligaverat. Sicque pectus,

Ne tamen ignores, ope qua revalescere possim,
Quæritur a Delphis fata canente Deo.
Is quoque nescio quam nunc, ut vaga fama susurrat,
Neglectam queritur testis habere fidem.
Hoc Deus et vates, hoc et mea carmina dicunt:
At desunt voto carmina nulla tuo.
Unde tibi favor hic? nisi quod nova forte reperta est,

licet *ferro durius* tentat emollire, sibique amantem exorare.

231. *Ope qua revalescere possim, Quæritur a Delphis fata canente Deo.* Consulitur Phœbus, qui Delphis dat responsa, qua medicina possim convalescere, et vires recuperare. C.

234. *Neglectam queritur testis habere fidem.* Jure *inexplicabilia* hæc, ut tunc legebantur, pronuntiavit Micyllus; sed, ut aliquis sensus appareat, ita constituerem:

Is quoque nescio quam, nunc ut vaga fama susurrat,
Neglectam queritur, testis, habere fidem.
Et Deus hoc vates, hoc et mihi carmina dicunt.
(Ah! desunt voto carmina nulla tuo.)

Is Deus, *testis* et arbiter jurisjurandi mei, *queritur nescio quam*, (nominatim enim oraculum non solere alicui designare, apparet etiam ex Epist. XIII, 93:

Sors quoque *nescio quem* fato designat iniquo.)

habere neglectam fidem : testis est ipse Deus. Nam millies ita in hac re dicitur. Sufficiat Cic. III, de Off. 29: *Jusjurandum est affirmatio religiosa: quod autem affirmate, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est.* Et infinita talia adduci possent. *Neglectam fidem habere* recte Crispinus explicat pro negligere, ut Terent. Eun. II, 3, 92: *Despicatam adolescentiam habere.* Si legamus vero *Deus* et *vates*, intelligendus sacerdos et antistes templi: ut *vates* pro augure, aruspice et quovis, qui sanctius Deos colit, sumatur: sed malim, *Et Deus hoc vates*, ut Apollo ipse intelligatur, quem *vatem* dici videbimus, Am. I, El. VIII, 59. Deinde *mea carmina* possent quidem explicari mihi per oraculum edita; sed quum *mea* et *mihi*, *tua* et *tibi* centies apud Ovidium a librariis commutari soleant, malim *mihi dicunt;* ut quod antea *famam*, quæ mendax esse potest, *susurrare* dixerit, nunc sibi quoque constare ex ipso Dei responso, carminibus edito, affirmet. Hæc omnia suspirio quodam concludit. *Ah!* (ita recte etiam Crispinus conjecit) nulla carmina, neque tua, quibus me decepisti, neque Apollinis, tibi desunt, ut voto potiaris tuo. Qui meliora attulerit, libentes ei assurgemus. BURM. — Exstat et in hunc locum doct. V. Medenb. Waker. (Amænitat. Lit. XIII, p. 117.) conjectura:

Is quoque, nescio quam, nunc it vaga fama, sororis
Neglectam etc.

Sed nobis omnino acquiescendum videtur in vulgata lectione, quam eximie quum adstruxit, tum explicuit Burmannus. LENNEP.

236. *At desunt voto* etc. Sensus est: hoc *Deus*, et ille quidem *vates;* hoc Apollinis *carmina*, hoc et *mea mihi* carmina objiciunt, ea scilicet, quibus meam tibi fidem obstrinxi.

Quæ capiat magnos litera lecta Deos.
Teque tenente Deos, numen sequor ipsa Deorum;
Doque libens victas in tua vota manus.
Fassaque sum matri deceptæ fœdera linguæ,
Lumina fixa tenens, plena pudoris, humo.
Cetera cura tua est: plus hoc quoque virgine factum,
Non timuit tecum quod mea charta loqui.
Jam satis invalidos calamo lassavimus artus;
Et manus officium longius ægra negat.
Quid, nisi, quod cupio me jam conjungere tecum,
Restat, ut adscribat litera nostra, vale?

An igitur nulla plane *carmina voto tuo desunt?* LENNEP.

238. *Capiat.* Male Micyllus *delectet, moveat* explicat: est enim *eludat, fallat*, ut supr. vers. 104, 115, 122: ut ergo *me litera* decepit, ita forte *nova Deos* decipiat. BURM.

239. *Tenente Deos.* Omnes hactenus *Deo*, nullo (nisi fallor) sensu. EGNAT. *Teque tenente Deos:* ita legendum est, non, *Deo;* estque conclusio Epistolæ. Quando igitur, inquit, tu Deos ita *tenes*, hoc est, propitios habes, et faventes, et quasi in manu tenes; ego quoque numen deorum tuorum sequor. MICYL. — *Numen sequar.* Vetus liber *pacis.* Puto, *partes sequor.* HEINS. *Nomen*, aliæ editiones. *Partes sequi* etiam dixit lib. I, Amor. 1, 36; sed hic nihil mutandum censeo.

242. *Lumina fixa tenet plena pudoris humo.* Scribe:
Lumina fixa tenens plena pudoris humi. H.

245. *Jam satis invalidos* etc. Longior quidem febricitanti!

247. *Quid, nisi quod cupio.* Puto, *quum cupiam.* HEINS.

NERONIS CLAUD. DRUSI,

COGNOMINE GERMANICI,

ΕΠΙΚΗΔΙΟΝ

OVIDIO PROBABILITER RESTITUTUM.

PRÆFATIUNCULA.

DE AUCTORE HUJUSCE ELEGIÆ.

Carmen hoc *longe præstantissimum*, ut summi Viri verbis utar, et *dignum genio ac majestate sæculi Nasoniani*, etsi non Pedoni Albinovano, ut Jos. Scaliger, Vossius, aliique, tribuendum existimet N. Heinsius, nihilominus Ovidio non ausit adscribere. « Ille tamen, eodem auctore, qui primus eruit e tenebris, *insignem thesaurum* usibus publicis est largitus! » Vossius vero, Art. Grammat. II, 27, indignum quidem non esse Ovidio censet, *ob egregia in illo ingenii lumina*; sed in verba *magni* Scaligeri jurare propmtior, Ovidio non nisi *falso* tribui pronuntiat. Non defuere tamen, qui Nasoni libenter concederent; quos inter *Passerat* *, in Præfatione quam præmittendam curaverat interpretationi hujus Poematis, *quæ utinam prodiisset!* exclamat ex animo Burmannus. Neque negligenda prorsus Cl. Barthii sententia, qui, quoties sese daret, occasionem non prætermisit Ovidiani juris in pulcherrimam hanc Elegiam asserendi **. Quibuscum omnino consentit vir recentioris quidem, sed non minoris ideo auctoritatis, *Dan. Beck*, in sua carminis hujus *suavissimi* editione, quæ Lipsiæ prodiit, 1783, in-8.

* *Jean Passerat*, qui Augustæ Tricassinorum natus, A. D. 1534, Commentarios inter cætera edidit in Catull. Tibull. et Propert. quorum salva adhuc auctoritas, non sine laude unquam ab iis commemoratur, qui curas posteriores in illustrandis Elegiæ Latinæ principibus impenderunt.

** In *Adversariis* passim, et ad Stat. Theb. II, 134; ibid. 345.

Quum igitur lis tantos inter viros quasi componenda nobis supersit, expendendas sine studio rationes censuimus, quibus suam quisque opinionem tueri conatur.

Ac primum quidem de Pedone inquirendum, an is exstiterit poeta, cui *præstantissimum* illud opus, et tot *ingenii luminibus* insigne, tribueretur; quum illi ipsi, qui tribuunt, fateantur Elegiam *in obitum Mæcenatis*, ejusdem ingenii fœtum, *totam languere*, nec quidquam habere *dignum Augustæo ævo**. Meminit quidem Pedonis Quintilianus, lib. x, 1; sed obiter, et cum Rabirio conjungens, de quibus: *non indigni*, inquit, *cognitione;* sed illis tantum, quibus *vacaret*. Quod certe non pronuntiasset judex sagacissimus de auctore *Consolationis ad Liviam*. At, inquient forsan, perierat carmen, quum hæc Quintilianus scriberet: perierat igitur quoque, tempore Senecæ Rhetoris, qui quum Suasor. 1, fragmentum Pedonis afferat *de Navigatione Germanici per Oceanum septentrionalem*, nullam omnino de *Consolatione*, aliisve Albinovani operibus mentionem faciat. Sed ad auctoritatem confugiamus gravioris multo ponderis: illam dico Ovidii, cui vixisse Pedonem conjunctissimum constat, ex Elegia x, de Ponto, lib. IV, ad eum missa, quo tempore, *carmine Thesea laudaret*, id est, *Theseida*, conscriberet. *Sidereum* quoque dicit, in ejusdem Libri Elegia ultima v. 6. Quis porro crediderit Nasonem, qui nulli æqualium poeseos laudem dicitur invidisse, carmen præstantissimum, in laudando Pedone, qui tam fidelem se amico præstiterat, silentio volentem præteriisse?

Faciant magis ad rem, qui, omisso Pedone Albinovano, *fabulatore egregio*, ut vocat Seneca, et *festivo*, in

* Longissime abest a carminis nostri suavitate. *Beck*, op. cit.

scenam inducant auctorem Elegiæ nostræ, Celsum hunc Albinovanum, ad quem inscribit Horatius Epistolam VIII, Libri primi, quemque *scribam* dicit, *comitemque* Neronis (Tiberii); quo scilicet munere potuit quidem Drusi frater poetam ad tempus remunerasse, qui non ita Drusum laudaverat, ut non in Tiberii fratris laudes copiosior exundasset. Diversum hunc a Pedone nostro, licet *Albinovanus* uterque cognomine, a patria *Alba Nova*, recte demonstravit Torrentius, ad Horat. locum, sed nihil adduxit, unde constet scripsisse eum *Consolationem ad Liviam:* conspirant vero multa, quæ Ovidio legitimam restituant.

Si tempora spectemus, occidit Drusus, *in campis æstivis*, eo ipso anno, quo in exilium pulsus Naso, Roma emigravit, mense novembri, A. D. IX. Tam opportunam igitur nactum occasionem flectendi Cæsaris, et Liviam, Tiberiumque sibi conciliandi, quis credat non arripuisse promptissimum? Sed cavisse simul probabile est, ne suus ipsi auctor Epistolæ noceret; ideoque nomine non suo primum emisisse; tacitumque expectasse, quis eam successus apud Augustum exciperet; nec sibi unquam in posterum opus vindicasse, quod infeliciter adeo cessisset.

Si vero ad opus ipsum respexeris, nihil fere deprehendas, quod non Ovidium, et auream latinæ linguæ ætatem referat, unum si tollas alterumve locum, temporum injuria manifeste depravatum. Nec aliter videntur sensisse primi operum ejus editores, qui quum e MSS. proxime exscriberent, Ovidio constanter Elegiam hanc donaverunt. Donemus igitur et nos quoque, donec ejusmodi consurgant argumenta, quæ nodum exsolvant, sicque novum poetam, et egregium quidem, Augusti sæculo congratulentur.

Dignum erat profecto tale carmen, quod post Micyllum,

Scaligerum, et alios, Heinsii et Burmanni studiosam sagacitatem exerceret; sed non ea, qua solent, felicitate. Burmannum præsertim hic ego vix agnosco, qui totus in effundendam, qua tumet, bilem, nauseabundam carminis hujus commentationem ultra modum omnem ea mente produxit, ut dicteriis Clericum incesseret [1], Editionis reum Albinovanæ, quæ Amstelædami prodiit, *Forma* quam dicunt *Octava*, 1702, et iterum 1718, sub *Theodori Goralli* nomine [2], cum Scaligeri et Heinsii notis, quibus et suas adjecerat. Nec cuncta certe probanda in hac editione, quæ præproperum in edendis operibus editorem arguit; neque laus ingens Burmanno frequentes in interprete errores, aut memoriæ lapsus deprehendisse; cui enim interpretum tale nihil aliquando effluxit, quum nec Scaliger quidem, nec Heinsius ipse, omnino se Burmannianæ ferulæ subduxerint? Sed gravius in virum, qui magistrum se in *Arte Critica* profitebatur, peccaverat scriptor, qui, dum Artis hujus fundamenta, regulas et fines describeret, certis aliquot signis homines vere eruditos ab illis discreverat, qui vana tantum verborum ostentatione, vel locorum apparatu hinc et illinc, prout sese offerunt, coactorum; vel emendationum licentia, fucum ignaris faciunt, mentitam

[1] *Jean Le Clerc*, latine Clericus, natus erat Genevæ, A. D. 1657. Vir fuit doctrinæ a teneris tam immodice cupidus, ut sacris simul et profanis literis operam impenderet; et quo tempore scriptores sacros illustraret, aut rebus theologicis vacaret, Græcos et Latinos auctores susciperet interpretandos, et quæstiones philologicas viros inter doctos moveret. Unde effectum est, ut raro festinationis vitium in scribendo effugerit; et secundas tantum teneat, qui primas partes in arte critica potuisset obtinere. Obiit Amstelædami, A. M. DCCXXXVI. Operum illius Catalogus, opus ipse, quod bibliographis relinquendum judico.

[2] *Theodori Goralli.* Quæ voces sunt nominis ejus et prænominis interpretationes; ita ut prænomen quidem Hebraicum sit græce versum; nomen vero Græcum, Hebraica voce expressum.

inde famam doctrinæ consequuti. Quorum hic causam, veluti propriam, quare amplexus fuerit Burmannus non video, nisi lacessitus prior ab ipso Clerico [1], impositam sibi respondendi necessitatem censuerit.

Inde sequitur, ut nihil omnino interpretem novum vetus hic commentator juverit; et tota fere illustrandi operis moles in unum me recubuerit. Quod quidem cui scriptoris et scripti commodo, viderit æquus Lector ac benevolus.

[1] Vid. vitam Clerici, ab ipso conscriptam, p. 117; et Cl. viri Spanheim. Epistol. ad calcem ejusdem libri. Amstelæd. 1711.

ARGUMENTUM.

« Livia amiserat filium Drusum, magnum futurum principem, jam magnum ducem..... Accedebat ad hanc mortem, quam ille pro republica obierat, ingens civium, provinciarumque, et totius Italiæ desiderium ; per quam effusis in officium lugubre municipiis coloniisque, usque in urbem ductum erat funus, triumpho simillimum. Non licuerat matri, ultima filii oscula, gratumque extremi sermonem oris haurire. Longo itinere reliquias Drusi sui prosequuta, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi toties illum amitteret, irritata, ut primum tamen intulit tumulo, simul et illum, et dolorem suum posuit; nec plus doluit, quam aut honestum erat Cæsari, aut æquum matri. Non desiit itaque Drusi sui celebrare nomen, ubique illum sibi privatim publiceque repræsentare, et libentissime de illo loqui, de illo audire. » Senec. Consolat. ad Marciam, Cremutii Cordi filiam ; III.

AD LIVIAM AUGUSTAM,

DE

MORTE DRUSI NERONIS,

FILII EJUS,

CONSOLATIO.

Visa diu felix, mater modo dicta Neronum,
Jam tibi dimidium nominis hujus abest:
Jam legis in Drusum miserabile, Livia, carmen:
Unum, qui dicat jam tibi, mater, habes.
Nec tua te pietas distendit amore duorum:
Nec posito filî nomine, dicis; Uter?
Et quisquam leges audet tibi dicere flendi?
Et quisquam lacrimas temperat ore tuas?
Hei mihi! quam facile est, quamvis hic contigit omnes,
Alterius luctu fortia verba loqui!

1. *Mater modo dicta Neronum.* Tiberii scil. et Drusi, quos ex priori conjuge Tiberio Nerone Livia susceperat.

3–4. *Miserabile carmen.* Ad misericordiam commovendam compositum. Sic apud Virgil. Philomela *miserabile carmen integrat.—Unum qui dicat* etc. E duobus filiis *unus* tantum superest, qui dulci te matris nomine compellet! Idem quod supra: *Jam tibi dimidium nominis hujus* (matris) *abest;* et ad Ovidianos modos et quasi nutus aptissimus sane, qui hæc, si non Ovidius ipse, scripsit.

7–8. *Et quisquam leges audet tibi dicere flendi.* Quis in tanto tamque justo dolore, *flendi* modum aut *leges* audeat tibi præcipere? Eodem animi affectu Horat. ad Virgil. de morte Quinctilii Vari, lib. 1, Od. 24:

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis?

— Notanda in sequenti locutio hæc *lacrimas ore temperare*, quod idem, ac verbis consolatoriis dolorem alicujus imminuere. Hinc sane Statius, Silv. libro v, Carm. v, 60:

... Qui dicere legem
Fletibus, aut fines audet censere dolendi.

9–10. *Hei mihi! quam facile est, Alterius luctu fortia verba loqui!*

Scilicet exiguo percussa es fulminis ictu;
Fortior ut possis cladibus esse tuis.
Occidit exemplum juvenis venerabile morum,
Maximus ille armis, maximus ille toga.
Ille modo eripuit latebrosas hostibus Alpes,
Et titulum belli dux, duce fratre, tulit.
Ille genus Suevos acre, indomitosque Sygambros

Vulgare quippe et cuilibet obvium fortem se in alieno luctu gerere, qui vel minima calamitate adflictus, dum propria, ne consilia quidem admittit, quæ *fortia* adeo aliis dabat. Hinc vere et humaniter Charinus ille apud Terent. And. II, Sc. I, 9:

Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus;
Tu, si hic sis, aliter sentias!

11. *Scilicet exiguo*, etc. Sic enim tecum isti, de quibus modo: non ea est, quam experiris, jactura, quæ animum gravioribus servatum calamitatibus usque adeo debeat affligere.

13. *Occidit exemplum juvenis* etc. Non consentiunt inter se scriptores de mortis genere quo Drusus occubuit. Livius enim Epitom. lib. CXL: « Ex fractura, equo super crus ejus collapso, trigesimo die quam acciderat, mortuus est. » Confuse Vell. Paterc. II, 97: « Illum.... *fatorum iniquitas*, consulem, agentem annum tricesimum, rapuit. » Apertius vere, et quis scit an non verius, Suet. in Claud. I, narrat: « Nonnullos tradere ausos suspectum eum Augusto, revocatumque ex provincia; et quia cunctaretur, *veneno interceptum.* » Cui vero ex illis, quæ sentiret, profari licebat, grassante magis ac magis regnantibus assentandi libidine?

14. *Maximus ille armis*, etc. « Cujus ingenium, (inquit Velleius, II, 97), utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. » Proximeque: « Morum certe dulcedo ac suavitas, et adversus amicos æqua ac par sui æstimatio inimitabilis fuisse dicitur. »

16. *Et titulum belli dux, duce fratre, tulit.* Verbo quidem Tiberius frater, ut qui natu major, *dux* exercitus; sed vere dux ille, qui ducebat ad victoriam, sicque *titulum*, id est, laudem omnem *belli* hujus *tulit*. Vid. Dio. Cass. LIV, et Vell. Paterc. cujus hæc sunt verba: « Adjutore operis dato fratre ipsius (Tiberii) Druso Claudio. »

17. *Ille genus Suevos acre* etc. « Ipsum Suevorum nomen unde originem ceperit, plane incertum est. Est equidem immensum montium jugum in Septemtrione, Norvagiam hodie a Suedia dispescens, olim *Sevo* romanis auctoribus dictum; cui jam inde ab antiquissimis sæculis adfixa fuit *Suionum*, sive Sueonum magna gens; est præterea amnis Ptolemæo Σουήβος, *Suevus*, in Germanicum mare, sive sinum ejus Codanum sese effundens; quorum singula ex uno eodemque fonte, cum universis Suevis sortita fuisse adpellationes suas, nemo temere negaverit. Nec tamen facile quisquam dixerit, cujus vocabulum primum omnium exstiterit, amnis, na-

Contudit, inque fugam barbara terga dedit;
Ignotumque tibi meruit, Romane, triumphum;
Protulit in terras imperiumque novas.
Solvere vota Jovi, fatorum ignara tuorum,
Mater, et armiferæ solvere vota Deæ,
Gradivumque patrem donis implere parabas;
Et quoscumque coli jusque piumque Deos.
Maternaque sacros agitabas mente triumphos:
Forsitan et curæ jam tibi currus erat.
Funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis;
Et tumulus Drusum pro Jovis arce manet.
Fingebas reducem; præceptaque mente fovebas
Gaudia; et ante oculos jam tibi victor erat.

tionis Suenonum, an vero universæ gentis Suevorum.» *Cluver.* German. Antiq. III, 24.—*Indomitosque Sygambros.* Horum populorum, qui varie apud scriptores occurrunt denominati, *Sicambri*, *Sygambri* et etiam *Sugambri*, non dubitat vir idem doctissimus *Cluver.* ibid. c. 9, quin nomen quæsitum sit a flumine *Sige*, quod accoluisse eos, antequam ab Ubiis pulsi, ad Rheni divortium descenderunt, credibile est. Hinc etiam oppidum est in Sigambrorum finibus, *Sigeburg* nomine, veteris sedis ad Sigum amnem memoriam servans. Quapropter omnium rectissime nomen eorum scribi latine putat *Sigambri*.

20. *Protulit in terras imperiumque novas.* Sed hæc ad tempus. « Difficilius est enim, inquit Florus, provincias obtinere, quam facere.» Victi quippe magis Germani, quam domiti, Romanos mores magis, quam arma, sub imperatore Druso susceperant; cui quum in imperio Varus successisset, superbia mox et intempestiva crudelitate irritare victorum animos, qui, correptis subito, Arminio duce, armis, Varianas legiones, tres quidem numero, profligarunt. Quæ clades, ipsa Cannensi exitu fœdior, tanto Augustum dolore confecit, ut per continuos menses, barba, capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quinctili Vare, legiones redde.* Suet. August. 23.—Non hic Varus, cujus de morte Virgil. Horatius consolatur, Od. 24, l. 1; sed ad hunc referendum quod ipse Virg. Ecl. VI, 12:

... Nec Phœbo gratior ulla est,
Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.

24. *Et quoscumque coli* etc. Deos intelligit cæteros, quos colere æquum et pium est.

26. *Forsitan et curæ* etc. Currum jam triumphalem mente exornabas.

28. *Et tumulus Drusum, pro Jovis arce, manet.* Pro Capitolio, ubi Jovi Opt. Max. templum exstructum erat, quod victorem ascensurum Livia Drusum speraba *ignara* scilicet *fatorum* quæ ipsum oppresserant.

Jam veniet; jam me gratantem turba videbit:
Jam mihi pro Druso dona ferenda meo.
Obvia progrediar, felixque per oppida dicar;
Collaque et hoc oculos illius ore premam.
Talis erit; sic occurret, sic oscula junget:
Hoc mihi narrabit; sic prior ipsa loquar.
Gaudia vana foves; spem pone, miserrima, falsam:
Desine de Druso læta referre tuo.
Cæsaris illud opus, voti pars altera vestri,
Occidit: indignas, Livia, solve comas.
Quid tibi nunc mores prosunt, actumque pudice
Omne ævum, et tanto tam placuisse viro?
Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum,
Ultima sit laudes inter ut illa tuas?
Quid tenuisse animum contra sua secula rectum;
Altius et vitiis exseruisse caput?

31. *Jam veniet* etc. Suus eam ita ludit error vere maternus, ut quæ dicet, quæque dicenti referet filius, animo jam præcipiat: *Sic occurret, sic oscula junget; hoc mihi narrabit* etc. Quis vero non festinet *spem* adeo *falsam* abrumpere, et exclamare cum poeta: *Gaudia vana foves!*

39. *Cæsaris illud opus*. Eo sensu *Cæsaris opus* Drusum dicit, quod illum sibi et Tiberium fratrem in filios Augustus adscripserat. — *Voti pars altera vestri*. Sic ex ipso Ovidio corrigendum, qui Pont. IV, Eleg. XIII, 47:

Sic valeant pueri, *votum commune* duorum.

Alii omnes: *Veluti pars altera vestri*.

41. *Quid tibi nunc mores* etc. Nimius hic poeta in Liviæ laudibus: parciores multo, sed forsan iniquiores, Tacit. Suet. Dio. Patercul. vero, lib. II, 130, per omnia Deis, quam hominibus, similiorem feminam dicere non dubitat.

43. *Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum?* Locus certe mendosissimus, in quem tamen restituendum vicissim, sed frustra, conspirasse video viros doctissimos. Non male Pithœus, *in tantum inviolata bonorum*. Maxima quippe *pudicitiæ* laus, quæ *in tanto bonorum* concursu, id est, quum tot suppeditent causæ, quæ possint violare, *inviolata* permanet. Sed latina minus locutio hæc, quam ut admittendam putaverim. Micylli vestigiis insistens Heinsius, aliquando cogitabat:

Quidque pudicitia tantum *cumulasse* bonorum?

Ut sit sensus: quid tibi profuit *tantum bonorum* (tot virtutes) adeo pudicitia *cumulasse* / (*superasse*) ut sit illa (pudicitia scilicet) *ultima* (extrema, summa) tibi virtus, tot inter

Nec nocuisse ulli, et fortunam habuisse nocendi?
Nec quemquam nervos extimuisse tuos?
Nec vires errasse tuas Campoque Foroque;
Quamque libet citra continuisse domum?
Nempe per hos etiam Fortunæ injuria mores
Regnat; et incerta est hic quoque nixa rota.
Hic quoque sentitur: ne quid non improba carpat,
Sævit; et injustum jus sibi ubique facit.
Scilicet immunis si luctus una fuisset
Livia, Fortunæ regna minora forent?
Quid? si non habitu sic se gessisset in omni,
Ut sua non essent invidiosa bona?
Cæsaris adde domum; quæ certe, funeris expers,

virtutes. Legebat Clericus (*Jean Le Clerc*) : *Quidve pudicitiæ* (*profuit*) *turba inviolata bonorum?*

47. *Nec nocuisse ulli, et fortunam habuisse nocendi.* Hanc quoque laudem Paterc. loc. cit. Liviæ tribuit, « cujus, inquit, potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis. »

49–50. *Nec vires errasse tuas* etc. Quid juvat nec suffragia in comitiis, nec in foro judicia corrupisse, quum utrumque tibi, pro tuis *viribus*, (quæ tua est potentia) facile admodum cessisset? — *Quamque libet citra constituisse domum. Vires* subintell. aut *nervos;* et sic e præcedenti 48, interpreteris : nulla domus est, quantumvis humilis (quælibet) quæ quid possis unquam *extimuerit.* Legendum igitur cum Heinsio, *continuisse;* quod ego, quantacumque sit mea in textum reverentia, inducere tamen non dubitavi. Est enim quiddam inter effrenatam quorumdam licentiam, et modestiam alior. multo circumspectiorem.

51. *Nempe per hos mores.* Nonnihil locus hic habet difficultatis, quæ tamen omnis evanuerit, modo ad sententiarum inter se ordinem et concordiam paulo respexeris. *Per hos mores* intelligendum, meo quidem judicio, de iis principibus qui insolentiori potentiæ suæ usu, animos exasperant; sicque fortunæ subserviunt inscii, quæ brevi a miseris pœnas repetit favoris sui. Unde fit, ut miscere principatum cum publica libertate sit res omnium difficillima; statioque (in rota fortunæ) maxime lubrica. Nihil aliud, credo, poeta voluit innuere.

53. *Ne quid* etc. *Neu* vel *neve* cum Heinsio legit Cl. Beck.

54. *Injustum jus sibi ubique facit.* Hoc sibi fortuna arrogat *injuste*, ut *ubique* dominetur.

55. *Immunis si luctus. Luctibus* volebat Heinsius : sed nihil mutandum.

57. *Quid? si non habitu* etc. Fortunæ hoc laudi tribuit, quæ talem se semper gesserat, quo minorem, quæ largitur *bona*, invidiam sui facerent.

Debuit humanis altior esse malis.
Ille vigil, summa sacer ille locatus in arce,
Res hominum ex tuto cernere dignus erat.
Nec fleri ipse suis, nec quemquam flere suorum;
Nec, quæ nos patimur vulgus, et ipse pati.
Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis:
Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro;
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa tumuli bene janua clausa est:
Perficit officium funeris ecce soror.
Ecce ter ante datis, jactura novissima, Drusus
A magno lacrimas Cæsare quartus habet.
Claudite jam, Parcæ, nimium reserata sepulcra;
Claudite: plus justo jam domus ista patet.
Cedis; et incassum tua nomina, Druse, levantur.

61. *Ille vigil, summa sacer ille* etc. Non sine ἐμφάσει repetitio hæc. *In arce:* in cœlo scilicet, ubi suam Augusto jam stationem poeta adsignat.

65. *Erepta stirpe sororis.* Marcello, Octaviæ filio, qui Juliam Augusti filiam duxerat, et tantam sui spem morum candore, et omni virtutum genere fecerat, ut *publicus* defunctum, anno quidem ætatis decimo octavo, *luctus* prosequutus fuerit. Noti nimis, quam ut hic referam, Virgilii de eo versus, Æn. VI, 883. Sed in dubium nuper revocavit Cl. *Mongez*, e Sociis Regiæ Inscript. Academiæ, animo Octaviam defecisse, recitante Virgilio hunc versum, *Tu Marcellus eris;* et jussisse, pro singulis hujus argumenti versibus auctori dena sestertia numerari. Desiderantur, fateor, scriptorum testimonia quæ factum comprobent, a Donato primum, ut videtur, confictum: legimus contra apud Senecam, Consol. ad Marc. II, *carmina celebrandæ Marcelli memoriæ composita rejecisse;* sed ne laudem hanc Musis et tanto poetæ invideamus!

68. *Et cepit generos jam locus ille duos.* Defuncto enim Marcello, Juliam Augustus Agrippæ nuptui dederat, exorata sorore, ut sibi generum cederet. Suet. Aug. 63.

70. *Perficit officium funeris ecce soror.* Octavia, quæ, *perfecto* vix Agrippæ *funere*, et quum tumuli *vix bene clausa* esset *janua*, Romæ decessit, quinquagesimum et quartum agens ætatis annum.

73–74. *Claudite, jam Parcæ* etc. *Plus justo jam domus ista patet.* Ditis, scilicet. Virg. Æn. VI, 127:

Noctes atque dies *patet* atri janua Ditis.

75–76. *Cedis; et incassum tua nomina, Druse, levantur.* Intelligit Burmannus de clamore supremo,

Ultima sit fati hæc summa querela tui.
Iste potest implere dolor vel secula tota,
Et magni luctus obtinuisse locum.
Multi in te amissi: nec, cui tot turba bonorum,
Omnis cui virtus contigit, unus eras.
Nec genetrice tua fecundior ulla parentum,
Tot bona per partus quæ dedit una duos.
Heu! par illud ubi est, totidem virtutibus æquum?
Et concors pietas, nec dubitatus amor?
Vidimus, attonitum fraterna morte, Neronem
Pallida promissa flere per ora coma,
Dissimilemque sui, vultu profitente dolorem:
Hei mihi! quam toto luctus in ore fuit?
Tu tamen extremo moriturum tempore fratrem
Vidisti; lacrimas vidit et ille tuas;
Adfigique suis moriens tua pectora sensit,
Et tenuit vultu lumina fixa tuo;
Lumina, cærulea jam jamque natantia morte;
Lumina, fraternas jam subitura manus.

quo mortuos ciebant, proprio eos nomine vocantes; unde *vocantur* legendum *forte* censebat. Micyllus vero, de titulis et nominibus magnificis quæ jam sibi Drusus virtute paraverat. *Ultima sit fati hæc summa querela tui.* Optat poeta, ut *querela hæc de fato* Drusi sit tandem *ultima*, quum tot secum bona abstulerit. Tentaverat olim Heinsius, sed non sua, ut mihi videtur, fortuna:

Cedis, *ut* incassum tua nomina, Druse, *legantur.*
Ultima sit *factis hæcce* querela *tuis!*

77. *Iste potest implere dolor* etc. Friget admodum oratio ad v. 83, quia longius Naso immoratur, in evolvenda una eademque sententia.

79. *Cui tot turba bonorum contigit* etc. Tot cui virtutes obtigerant: ex emendatione Scaligeri; nam prius legebatur, *tot* verba *bonorum.* Sed correctionem N. Heinsius in textum recipere minime dubitavit, et transtulit, ut vidimus, *Le Clerc*, ad versum 43.

83. *Heu! par illud ubi est* etc. Fratrum scilicet, Tiberii et Drusi, quos eædem exornabant virtutes, et indubitatus amor adhuc conjunxerat.

89. *Tu tamen extremo moriturum tempore fratrem* etc. Tibullum hic agnoscas, vel ipsum Ovidium Tibulli sui deflentem interitum. Vere hæc Elegia est, carmen vere flebile, quod legenti fletus parum abest quin eliciat.

94. *Lumina fraternas jam subitura*

At miseranda parens suprema neque oscula fixit;
Frigida nec fovit membra tremente sinu.
Non animam adposito fugientem excepit hiatu;
Nec traxit cæsas per tua membra comas.
Raptus et absenti, dum te fera bella morantur,
Utilior patriæ, quam tibi, Druse, tuæ.
Liquitur; ut quondam, Zephyris et solibus ictæ,
Solvuntur teneræ, vere tepente, nives.
Te queritur, casusque malos, irrisaque tales,
Accusatque annos, ut diuturna, suos.
Talis in umbrosis, mitis nunc denique, silvis
Deflet Threïcium Daulias ales Ityn:
Halcyonum tales ventosa per æquora questus
Ad surdas tenui voce sonantur aquas:

manus. Quæ mox fraterna manus occludet.

95, *At miseranda parens* etc. Euryali mater apud Virg. Æn. IX, 483, sed vehementius multo, ut matrem ipsam decebat:

... Nec te sub tanta pericula missum
Affari extremum miseræ data copia matri!
Heu! terra ignota, canibus data præda latinis,
Alitibusque jaces! nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens! etc.

101. *Liquitur; ut quondam* etc. Solvitur in lacrimas: propria vox eo sensu *liquitur*. Virg. Georg. I, 43:

... Gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba *resolvit*.

103. *Te queritur, casusque malos, irrisaque tales*. Feliciter Heinsius corruptissimum locum, qui nullum omnino sensum exhibebat, nulla licet MSS. vel scriptorum emendantem auctoritas adjuvaret, sic curavit restituendum:

Te queritur etc. irrisaque *vota*.

Ea scilicet fretus ratione, quod duæ postremæ syllabæ in *irrisaque*, priorem sequentis vocabuli (*vota*) syllabam absorbuissent; unde ex *ta* (quæ syllaba tantum superfuerat) *tales* fecerint inepti exscriptores. Hæc Heinsius: sed ingeniosior certe emendatio, quam conjectura!

104. *Ut diuturna*. Ut quæ vitam longius protulerit.

105. *Talis in umbrosis* etc. Nullus sane hic erat locus in campum mythologicum late adeo excurrendi. Quod si forte poetam Virgilii exemplum tentaverit, qui luctus Orphei, amissa Euridyce, cum luctu Philomelæ comparat, Georg. IV, 511; debuisset attendere Maronem fabulam narrare, quæ sua peteret ornamenta, ex ipso fonte, unde esset oriunda: Nasonem vero facto recentiori, et quidem crudelissimo, matris ipsius aures verberare.

106. *Daulias ales*. Vide Epistolam XV, 156.

Sic plumosa novis plangentes pectora pennis
  Œniden subitæ concinuistis, aves :
Sic flevit Clymene; sic et Clymeneïdes, alte
  Quum juvenis patriis excidit ictus equis.
Congelat interdum lacrimas, duratque, tenetque,
  Suspensasque oculus fortior intus agit.
Erumpunt, iterumque gravant gremiumque sinusque,
  Effusæ gravidis uberibusque genis.
In vires abiit flendi mora : plenior unda
  Defluit, exigua si qua retenta mora.
Tandem, ubi per lacrimas licuit, sic flebilis orsa est,
  Singultu medios impediente sonos :
Nate, brevis fructus, duplicis sors altera partus,
  Gloria confectæ, nate, parentis, ubi es?
Sed neque jam duplicis, neque jam sors altera, partus,
  Gloria confectæ nunc quoque matris, ubi es?
Heu! modo tantus, ubi es? tumulo portaris et igni.
  Hæc sunt in reditus dona paranda tuos?
Siccine dignus eras oculis occurrere matris?

109–110. *Sic plumosa novis..... Œniden concinuistis aves.* Diomedis socios designat, qui ducem amissum tam amare defleverunt, ut illos Dii in cycnos immutaverint. Dicunt alii in aves conversos, ob iram Veneris, quam ferro Diomedes læserat.

111. *Sic flevit Clymene : sic et Clymeneides.* Mater Phaetontis et sorores. Vid. Nostrum Met. lib. II.

113. *Congelat interdum lacrimas.* Facit premendo, ut subsistant lacrimæ, aquæ more, quæ acriori, vel inter cadendum frigore correpta, subito pendet adstricta. De oculis Hom. Odyss. T, 211 : Ὀφθαλμοὶ δ' ὡσεὶ κερὰ ἕστασαν, ἢ τε σίδηρος. Ubi recte Scholiastes κερὰ τόξα interpretatur. Inde *contenti oculi* apud Suet. Tib. c. 7; et mox Noster :

Suspensasque oculus fortior intus agit.

Quod est *resorbere fletum*, ut ait Senec. Herc. Œt. 1285.

117. *In vires abiit flendi mora.* Id est, eo fluunt lacrimæ uberiores, quo longior eas mora detinuit : rem comparatione illustrat.

120. *Singultu.... impediente sonos. Præpediente*, Noster, Tristium, I, Eleg. III, 42 :

Singultu medios præpediente sonos.

122. *Gloria confectæ..... parentis.* Mœrore scilicet; nondum enim annis. Vett. Edd. *conspectæ;* quæ vox in tanto dolore ambitiosior : possit tamen defendi, oppositionis

Sic ego te reducem digna videre fui?
Cæsaris uxori si talia dicere fas est;
Jam dubito, magnos an rear esse Deos.
Nam quid ego admisi? quæ non ego numina cultu,
Quos ego non potui demeruisse Deos?
Hic pietatis honos? artus amplector inanes.
Et vorat hos ipsos flamma rogusque sinus.
Tene ego sustineo positum scelerata videre?
Tene meæ poterunt unguere, nate, manus?
Nunc ego te infelix summum teneoque tuorque?
Effingoque manus? oraque ad ora fero?
Nunc primum adspiceris consul victorque parenti?
Sic mihi, sic miseræ nomina tanta refers?

respectu cum *gloria* filii, unde multo magis *conspicienda* mater. Venus quidem ad Amorem, Æn. libro 1, 668 :

Nate, meæ vires, mea magna potentia solus.

129. *Cæsaris uxori si talia dicere fas est.* Recte corrigit quæ mox dictura : non enim decebat Cæsaris uxorem, qui ut rebus politicis, sic et religiosis præerat, *dubitare an Dii essent*, licet eo desperationis adductam et amentiæ, ut furenti quidquid exciderit, ipsi Dii faciles ignovissent : sed occasionem nactus Ovidius suam Augusto pietatis famam gratulandi, non voluit prætermittere.

132. *Quos ego non potui* etc. Quem inquit, Deorum neglexi, ut adversum sperare *meruerim?*

134. *Et vorat hos ipsos flamma rogusque sinus.* Libri veteres :

Evocat (*vel* Et vorat) hos ipsos flamma rogusque suus.

Qui versus quidem, quin vera sit lectio, minime dubito; nec *sinus*, pro *suus* legentibus ullus adsentior. Agit enim de artubus, quos *inanes* amplectitur, quosque jam *vorat* rogus *suus*, id est, qui ad comburendos paratur. Fuit qui vellet *suos*, quasi illos artus jure suo rogus sibi jam vindicaret; verum hoc argutius. Quam facile autem in *evocat* abierit *et vorat*, non distincte satis exaratum, vix dicendum.

135. *Tene ego sustineo positum scelerata videre. Sustineo* pro possum, vulgare; et *positum*, solemne in exequiis. — *Scelerata.* Pollutam se aliquo *scelere* suspicatur, ideoque Diis invisam, qui tale *pietatis* præmium rependerent. Idem enim sæpe *sceleratus* ac impurus, ἀνόσιος : sic *sceleratus campus* dicebatur, in quo Vestales, quæ incestum fecerant, defodiebantur; et *scelerata* Porta Carmentalis, unde sex et trecenti Fabii, cum clientium millibus quinque, adversus Hetruscos egressi, pugnando interfecti sunt. Vid. Tit. Liv. II, 49.

140. *Nomina tanta refers!* Consulatus quippe, et Germanici co-

Quos primum vidi fasces, in funere vidi :
Et vidi eversos, indiciumque mali.
Quis credat? matri lux hæc mœstissima venit,
Qua natum in summo vidit honore suum!
Jamne ego non felix? jam pars mihi rapta Neronum,
Materni celeber nomine Drusus avi?
Jamne meus non est, nec me facit ille parentem?
Jamne fui Drusi mater? et ipse fuit?
Nec quum victorem referetur adesse Neronem,
Dicere jam potero, Major, an alter, adest?
Ultima contigimus : jus matris habemus ab uno :
Unius est munus, quod tamen orba negor.
Me miseram! extimui, frigusque per ossa cucurrit;
Nil ego jam possum certa vocare meum.
Hic meus ecce fuit : jubet hic de fratre vereri;
Omnia jam metuo : fortior ante fui.
Sospite te saltem moriar, Nero! tu mea condas
Lumina, et excipias hanc animam ore pio.
Atque utinam Drusi manus altera, et altera fratris,

gnomen Druso, eo ipso, quo periit, anno obtigerunt.

142. *Et vidi eversos.* Quidam *inversos.* Solebant enim virorum insignia, vel arma in funere *inverti:* qui mos adhuc apud nos. Sic Virgil. Æn. XI, lib. 93, in Pallantis funere :

... Tum mœsta phalanx, Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, et *versis* Arcades *armis.*

143. *Lux hæc mœstissima venit. Carissima* vett. omnes edd. Quod ita non improbem, ut ironice dictum, neque ideo a summo dolore alienum. Confirmant præterea quæ sequuntur, 145 : *Jamne ego non felix!*

146. *Materni celeber nomine Drusus avi.* Drusorum familia, Livia primum denominabatur; sed quum unus ex illis Gallorum ducem quemdam, *Drusum* nomine, occidisset, hoc sibi cognomen addidit. Hinc genus ducebat *Livia Drusilla*, de qua hic agitur. Drusos Virgil. honorifice commemorat, Æn. VI, 824; sed adulatorie magis, quam historice.

150. *Major, an alter adest?* Nec quærere jam potero, uter adest victor? Natune major, Tiberius scilicet, an Drusus frater? Ambo autem victores jam redierant e Rhætis, Vindelicis etc., quæ quidem victoriæ magnifice adeo fuerunt ab Horatio decantatæ, lib. IV, Od. 4 et 14.

159. *Atque utinam Drusi manus* etc.

Formarent oculos comprimerentque meos!
Quod licet, hoc certe tumulo ponemur in uno,
Druse; neque ad veteres conditus ibis avos.
Miscebor cinerique cinis, atque ossibus ossa.
Hanc lucem celeri turbine Parca neat! »
Hæc et plura refert: lacrimæ sua verba sequuntur,
Oraque nequicquam per modo questa fluunt.
Quin etiam corpus, matri vix vixque remissum,
Exsequiis caruit, Livia, pene suis.
Quippe ducem arsuris exercitus omnis in armis,
Inter quæ periit, ponere certus erat.
Abstulit invitis corpus venerabile frater;
Et Drusum patriæ, quod licuitque, dedit.

Plenus hic miserationis et quidem dulcissimæ locus, qui nobis ponit ob oculos hinc et inde natos morituræ matri assidentes, excipientesque extremam animam, et oculos pia manu componentes!

161. *Quod licet, hoc certe, tumulo componemur in uno. O certe* legendum monebat Heinsius. — *Tumulo in uno.* In mausoleo Cæsarum, non in monumento Claudiæ vel Liviæ gentis; et ita factum fuisse narrat Dio Cass. LV.

163. *Miscebor cinerique cinis.* Nec voto excidit; nam in eodem tumulo, quo Drusus, Livia condita fuit; teste scriptore eodem, ineunte lib. LVIII. — Conferant, qui talibus delectantur, orationem hanc Liviæ cum verbis Evandri, Æn. XI, 152, super exstinctum Pallanta procumbentis, erumpentisque in has voces: Non hæc, o Palla, dederas promissa parenti etc.

167. *Quin etiam corpus matri vix vixque remissum.* Is erat militum amor in Drusum, ut *auferendum* ipsis fuerit corpus; quod quum retinere non potuissent, duci saltem monumentum inane quidem, sed splendidum posuerunt, ad Rhenum, ipsis in locis ubi Germanorum impetum ad tempus fregerat.

171. *Frater.* Tiberius, qui, audita vix fratris valetudine, ad illum advolavit, defunctique corpus « pedibus toto itinere prægrediens, Romam usque pervexit ». Ab hoc uno Tiberium omnem discas licet. — Rem fusius narrat, nec adulatorie minus Val. Maxim. v. 5. « Tantum amorem princeps, inquit, parensque noster insitum animo fratris Drusi habebat, ut quum Ticini, quo victor hostium, ad complectendos parentes venerat, gravi illum et periculosa valetudine in Germania fluctuare cognosset, proinde metu attonitus erumperet. Iter quoque quam rapidum et præceps, vel ut uno spiritu corripuerit, eo patet, quod Alpes, Rhenumque transgressus die ac nocte, mutato subinde equo, ducenta millia passuum, per modo devictam Barba-

Funera ducuntur Romana per oppida Drusi;
Heu facinus! per quæ victor iturus erat;
Per quæ deletis Rhætorum venerat armis.
Hei mihi! quam dispar huic fuit illud iter!
Consul init fractis mœrentem fascibus urbem.
Quid faceret victus, sic ubi victor init?
Mœsta domus plangore sonat, cui figere lætus
Parta sua dominus voverat arma manu.
Urbs gemit, et vultum miserabilis induit unum;
Gentibus adversis forma sit illa, precor!
Incerti clauduntque domos, strepitantque per urbem;
Hic illic pavidi clamque palamque dolent.
Jura silent, mutæque tacent sine vindice leges:
Adspicitur toto purpura nulla foro.
Dique latent templis; neque iniqua ad funera vultus
Præbent; nec poscunt tura ferenda rogo.
Obscuros delubra tenent: pudet ora colentum
Adspicere, invidiæ quam meruere metu.
Atque aliquis de plebe pius pro paupere nato
Sustulerat timidas sidera ad alta manus:
Jamque precaturus: « quid ego autem credulus, inquit,
Suscipiam in nullos irrita vota Deos?

riem, Antabagio duce solo comite, evasit. » Omnes, ut videtur, ex Livio, Epit. lib. CXL.

177. *Consul init* etc. Sic olim legebatur :

Consuluit fractis mœrentem fascibus urbem.

Versum hunc corruptissimum omnium primus Micyllus restituit, legitque pro *consuluit*, *consul init*. Sequuti deinde Pithœus, Scaliger, Heinsius etc. Sed viri modestiam animadvertas, quæso; qui quum plurima felicitate pari emendaverit, textum nusquam immutare ausus est; talemque omnino, qualem invenerat, fideliter exhibuit.

181. *Urbs gemit, et vultum miserabilis induit unum.* Tristitia eadem omnium in vultu pariter insidet; quod *gentibus adversis* accidat, *precatur* poeta; scilicet, ut sic lugeant. — *Incerti clauduntque domos, strepitantque per urbem* etc. Nihil est quod addas, nihil quod velis demere picturæ desolationis hujus, quæ magnam urbem in publica calamitate solet invadere.

190. *Invidiæ, quam meruere, metu.*

Livia, non illos pro Druso Livia movit:
Nos erimus magno maxima cura Jovi? »
Dixit: et iratus vota insuscepta reliquit;
Duravitque animum, destituitque preces.
Obvia turba ruit; lacrimisque rigantibus ora
Consulis erepti publica damna refert.
Omnibus îdem oculi; par est concordia flendi.
Funeris exsequiis adsumus omnis Eques.
Omnis adest ætas: mœrent juvenesque senesque;
Ausoniæ matres, Ausoniæque nurus.
Auctorisque sui præfertur imagine mœsta,
Quæ victrix templis debita laurus erat.
Certat onus lecti generosa subire juventus,
Et studet officio sedula colla dare.
Et voce et lacrimis laudasti, Cæsar, alumnum;
Tristia quum medius rumperet orsa dolor.
Tu letum optasti, Dîs aversantibus omen,
Par tibi; si sinerent te tua fata mori.
Sed tibi debetur cælum: te, fulmine pollens,
Accipiet cupidi regia magna Jovis.
Quod petiit, tulit ille; tibi ut sua facta placerent:

Non ignari quantum in ipsos invidiæ tam acerba Drusi mors apud Romanos debeat incitare.

200. *Consulis erepti publica damna refert.* Enumerat illacrymans, quot quantaque Reipublicæ bona *Consulis*, id est Drusi, letum inviderit. Nec sine mente *Reipublicæ* dixit: prolata enim est, a Tiberio fratre, Drusi Epist., « qua secum, inquit Sueton. Tiber. 50, de cogendo *ad restituendam libertatem* Augusto agebat. » Quid mirum nunc, quod incerto mortis genere, triginta vix annos natus, e vivis excesserit!

209. *Et voce et lacrimis* etc. « Vivum tantopere dilexit Augustus ut coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in senatu professus est; et defunctum ita pro concione laudavit, ut Deos precatus sit, similes ei suos Cæsares facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam ipsi dedissent. » Sueton. Claud. c. 1. Neque contentus (addit scriptor idem, loco cit.) elogium ejus tumulo, versibus a se compositis inculpsisse, etiam vitæ memoriam prosa oratione composuit. »

215. *Quod petiit, tulit ille.* Nihil aliud sibi Drusus in agendo pro-

Magnaque laudatus præmia mortis habet.
Armatæque rogum celebrant de more cohortes,
Et pedes exsequias reddit equesque duci.
Te clamore vocant iterumque iterumque supremo;
At vox adversis collibus icta redit.
Ipse pater flavis Tiberinus inhorruit undis:
Sustulit et medio nubilus amne caput.
Tum salice implexum, muscoque et arundine, crinem
Cæruleo magna legit ab ore manu;
Uberibusque oculis lacrimarum flumina misit:
Vix capit adjectas alveus altus aquas;
Jamque rogi flammas extinguere fluminis ictu,
Corpus et intactum tollere, certus erat.
Sustentabat aquas, cursusque inhibebat equorum,
Ut posset toto proluere amne rogum.
Sed Mavors templo vicinus, et accola Campi,

posuit, quam ut sua tibi facta probarentur; ergo vitæ et mortis ipsius præmium habet, a te post mortem publice laudatus.

221. *Ipse pater flavis Tiberinus inhorruit undis.* Quum ad Tiberim, in campo Martio, defunctorum corpora cremarentur, flumen ipsum poeta evocat, in partem communis omnium luctus; sicque institutam narrationem amplificat, quæ jam protracta longius, admodum frigeat, auxiliaribus ornamentis destituta. Ornari quidem negat dolor; non respuit tamen, quæ ex ipsa re enascuntur ornamenta. — *Flavis undis.* Solemne fluvii hujus epitheton; neque aliter illum unquam designant Virgilius et Horatius. De origine et vero sensu vocabuli, vid. Turneb. Adv. XXII, 7.

222. *Nubilus.* Tristis; et fronte quasi nubibus obducta.

223. *Tum salice implexum* etc. Hinc forsan noster *Boileau*, in celeberrima de Rheno quem Galli duce Ludovico XIV et auspice trajecerunt, Epistola, Rheni effigiem duxit adumbrandam,

Essuyant sa barbe limoneuse.

226. *Vix capit adjectas* etc. Nulla tunc Tiberis exundatio; sed refert poeta ad funus Drusi, quod evenisse narrat Dio, LIII, quo tempore obiit Marcellus; scilicet, adauctum repente Tiberim pontem sublicium evertisse, fecisseque, ut urbs per triduum esset navibus pervia.

227. *Fluminis ictu.* Immisso undarum impetu. Sic illum fingit Hor.

Retortis ... violenter undis,
Ire dejectum monumenta regis,
Templaque Vestæ. ... (I. Od. 2.)

231. *Templo vicinus, et accola campi.* Erat enim Marti templum,

Tot dixit siccis verba nec ipse genis :
Quamquam amnes decet ira, tamen, Tiberine, quiescas :
Non tibi, non ullis vincere fata datur.
Iste meus periit; periit arma inter et enses,
Et dux pro patria ; funere causa latet.
Quod potui tribuisse, dedi : victoria parta est.
Auctor abît operis; sed tamen exstat opus.
Quondam ego tentavi Clothoque, duasque sorores,
Pollice quæ certo pensa severa trahunt,
Ut Remus Iliades, et frater conditor urbis
Effugerent aliqua stagna profunda via.
De tribus una mihi; partem accipe, quæ datur, inquit,
Muneris : ex istis, quod petis, alter erit.

in campo ab ipsius nomine dicto, sacratum, quod A. U. C. DCCLIII, fulmine percussum, totum conflagravit. Dio. LVI.

233. *Amnes decet ira.* Egregie Lucanus, de Nilo, Καταράκτας impetu magno profluente, Phars. X, 315 :

... Quis te tam lene fluentem
Moturum tantas violenti gurgitis iras,
Nile, putet? Sed quum lapsus abrupta viarum
Excepere tuos, et præcipites cataractæ,
Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes
Indignaris aquis, spuma tunc astra lacessis ;
Cuncta fremunt undis ; ac multo murmure montis
Spumeus invictis canescit fluctibus amnis.

Non male certe ; sed quanto major Homerus, in describendis Scamandro et Simoënte, pro ripis cum Achille decertantibus ! Iliad. Φ, v. 234, sqq.

235. *Iste meus periit. Meus*, quem ipse ad artem bellicam informaveram, fovebamque amore paterno ; *periit* quidem ; sed ut alumnum meum decebat perire, *arma inter et enses, et dux pro patria! — Funere causa latet.* Interpretes diu multumque exercuit hoc hemistichion. Intelligebat Micyllus : cur illum Dii, seu fata, tam cito abstulerint, in obscuro est. Qui sensus non ita repugnat, quum non satis inter se constent scriptores, de causa, aut genere mortis : sed admittenda tunc durior multo ἀντίκτωσις, *funere*, pro *funeris vel funeri*. Quod Scaligerum, Heins. et Burmannum impulit, ut legerent, primus quidem :

Et lux proh! patriæ funere *clausa latet.*

Heinsius vero :

Et lux proh ! patriæ *lumine causa* latet.

Servato Burmanni priori hemistichio, levi admodum immutatione, *Ut dux pro Patria*, alterum sic constituit : *funere causa patet.* Id est, ipsum *funus* declarat Drusum *pro patria* occubuisse. Præluserat jam Cuperus, Observ. IV, 3.

244. *Quod petis, alter erit.* Immortalis, scilicet ; qua autem via ad Superos Romulus migraverit, incertum. Poetice quidem :

Hic tibi; mox Veneri Cæsar promissus uterque.
Hos debet solos Martia Roma Deos.
Sic cecinere Deæ; nec tu, Tiberine, repugna,
Irrite; nec flammas amne morare tuo;
Nec juvenis positi supremos destrue honores.
Vade age, et admissis labere pronus aquis.
Paret, et in longum spatiosas explicat undas;
Structaque pendenti pumice tecta subit.
Flamma diu cunctata caput contingere sanctum,
Erravit posito lenta sub usque toro.
Tandem ubi complexa est silvas, alimentaque sumsit,
Æthera subjectis lambit et astra comis.
Qualis in Herculeæ colluxit collibus Œtæ,
Quum sunt imposito membra cremata Deo.
Uritur heu! decor ille viri, generosaque forma,

Martis equis Acheronta fugit. (Hor. III, Od. 3.) Sed historicos audiamus : « fuisse credo, inquit Livius, lib. I, cap. 16, tum quoque aliquos, qui discerptum patrum manibus taciti arguerent. » Plutarch. quoque in *Romul.*

245. *Cæsar uterque.* Julius Cæsar et Augustus, *promissus* uterque *Veneri* ab ipso Jove : Julius quidem, Æn. I, 390; Augustus vero, Metam. XV, 819.

249. *Nec juvenis positi supremos destrue honores.* Nec rogum dejicias, ut *certus* eras, in quem honorandum supremo funere *juvenem* posuerunt.

250. *Admissis labere pronus aquis. Immissis*, codd. nonnulli, et vett. edd. ad unam omnes; et recte quidem. Quum enim Mars, *labere pronus aquis*, dicit, Fluvium monet, ut, receptis in alveo aquis, quæ in rogum Drusi jam jam immittendæ intumuerant, *pronus labatur;* id est, quo suus eum fert decursus, placidus sequatur. Nihil ergo mutandum : ferri tamen posset, si daretur, *admissis.*

25a. *Structaque pendenti pumice tecta subit.* Ita passim apud poetas saxa quævis erosa, de quibus sacra Dearum ac Nympharum antra construxerunt, *pumices* vocantur, aut *tophi*, in quibus *pendere* verbum est maxime proprium.

254. *Lenta sub usque toro.* Veteres, *sibi usque :* Scaliger, *lenta subitque.* Neutri adhærendum, quum res ipsa sensum tam aperte declaret. Flamma enim *cunctata diu*, quasi timeret *caput sanctum* contingere, corripit primum, et lente (*usque*) ligna deposcit, quæ *toro* fuerant subjecta.

256. *Subjectis lambit et astra comis.* Flammas eleganter *comas* dicit, quæ, quum altius exsurrexerint, in totidem apices, capillo-

Et faciles vultus; uritur ille vigor!
Victricesque manus, facundaque principis ora,
Pectoraque, ingenii magna capaxque domus!
Spes quoque multorum flammis uruntur in isdem.
Iste rogus miseræ viscera matris habet.
Facta ducis vivent, operosaque gloria rerum:
Hæc manet; hæc avidos effugit una rogos.
Pars erit historiæ, totoque legetur in ævo;
Seque opus ingeniis carminibusque dabit.
Stabis et in rostris tituli speciosus honore;
Causaque dicemur nos tibi, Druse, necis.
At tibi jus veniæ superest, Germania, nullum;
Postmodo tu pænas, barbara, morte dabis.
Adspiciam regum liventia colla catenis;

rum more, quasi filatim dissolvuntur, et perpetuo ac volubili motu astra videntur *lambere*.

260. *Et faciles vultus : uritur ille vigor!* Quum vero *facilis* habeant Scaliger. Ald. Pith. et aliæ edd. legendum hinc conjiciebat Burmann. Et *facilis* vultus uritur ille *rigor*. Ut qui *rigorem* quemdam vultu præferret, *facilitate* et benignitate temperatum. Quod non ita repugnat de Druso, cujus *dulcedo ac suavitas* maxime a Vell. laudatur, II, 97.

262. *Pectoraque, ingenii magna capaxque domus.* De eodem scriptor idem, loco citato: « Cujus ingenium, utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. Fuisse autem creditur, non minus gloriosi, quam civilis animi. » Suet. Claud. I.

268. *Seque opus ingeniis carminibusque dabit.* Amplam certe materiem suppeditabit, in quam tractandam sese exserant poetarum ingenia. Et Horatio jam, ut vidimus, suppeditaverat, et ipsi deinde Ovidio : Trist. IV, Eleg. II, 39, de Pont. II, Eleg. II, 74. Fast. I, 597.

269. *Stabis et in rostris* etc. Statua in rostris donaberis. « Præterea senatus, inter alia complura, marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit, et *Germanici* cognomen ipsi posterisque ejus. » Suetonius, Claud. I. Dio. LV. — *Tituli speciosus honore.* Honorifica insignis inscriptione, quæ sic adhuc in numismatibus legitur : NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMANICUS IMP. « Non per adulationem, inquit Florus, IV, 12, sed ex meritis defuncto ibi (in German.) fortissimo juvene, ipsi, quod numquam alias, senatus cognomen ex provincia dedit. »

273. *Adspiciam regum liventia colla catenis* etc. Durior justo imprecatio hæc in Germanos, qui, communi gentium jure, suam sibi libertatem et patriam armis vindicare conabantur. Cæterum, hunc

Duraque per sævas vincula nexa manus;
Et tandem trepidos vultus; inque illa ferocum
Invitis lacrimas decidere ora genis.
Spiritus ille minax, et Drusi morte superbus,
Carnifici in mœsto carcere dandus erit.
Consistam, lætisque oculis, lentusque videbo
Strata per obscænas corpora nuda vias.
Hunc Aurora diem, spectacula tanta ferentem,
Quam primum croceis roscida portet equis.
Adjice Ledæos, concordia sidera, fratres;
Templaque Romano conspicienda foro.
Quam parvo numeros implevit principis ævo,
In patriam meritis occubuitque senex!
Nec sua conspiciet, miserum me! munera Drusus,
Nec sua pro templi nomina fronte leget!
Sæpe Nero, illacrimans, submissa voce loquetur:
Cur adeo fratres, heu! sine fratre, Deos?

se erga illos Drusus gesserat, quem vel ipsi hostes, teste Seneca, Consolat. ad Marciam, III, *ægrum cum veneratione* et pace mutua *prosequerentur*; nec *optare quod expediebat* auderent.

280. *Strata per obscænas corpora nuda vias.* Mos erat occisorum in carcere corpora nuda fœde projici per vias vicinas, quæ ideo *obscænæ*, id est, male ominosæ habebantur: memoraturque a Dione, LVIII, tot inter quæ Sejani mortem portenderent, quod servi ejus, eo ipso die quo captus est, in viam diverterint quæ ducebat ad carcerem, lapsique ceciderint per scalas Gæmonias descendentes.

283. *Adjice Ledæos, concordia sidera, fratres.* « His (Tib. et Drus.) scio equidem nullum aliud, quam Castoris et Pollucis, specimen consanguineæ charitatis convenienter adjici posse. » Val. Max. v., 5. Putida hæc quidem adulatio; constat tamen Tiberium Concordiæ et Ledæorum ædes instaurasse, suoque et Drusi fratris nomine, licet defuncti, inscripsisse, ut amicitiæ, quæ vivos conjunxerat, mansuram apud posteros famam consecraret. De illa templi Concordiæ, quod olim Furius voverat, instauratione meminit quoque Ovidius Fastorum libro I, 637, sqq.

285. *Quam parvo numeros implevit principis ævo!* Eleganter admodum, pro: quam brevi annorum spatio princeps exstitit numeris omnibus absolutus! Numerum adimplevit virtutum, quæ principem absolvunt.

290. *Cur adeo fratres, heu! sine*

Certus eras nunquam, nisi victor, Druse, reverti.
Hæc te debuerant tempora : victor eras.
Consule nos, duce nos, duce jam victore, caremus :
Invenit en tota mœror in urbe locum.
At comitum squalent immissis ora capillis,
Infelix, Druso sed pia turba suo.
Quorum aliquis, tendens in te sua brachia, dixit:
Cur sine me, cur sic incomitatus abis ?
Quid referam de te, dignissima conjuge Druso,
Atque eadem Drusi digna parente nurus?
Par bene compositum; juvenum fortissimus alter,
Altera tam forti mutua cura viro.
Femina tu princeps; tu filia Cæsaris : illi
Nec minor es magni conjuge visa Jovis.
Tu concessus amor, tu solus et ultimus illi,
Tu requies fesso grata laboris eras.
Te moriens, per verba novissima, questus abesse;

fratre, Deos! Verba sunt Tiberii, dolentis quod sine fratre, *Deos fratres* adeat, Cast. et Polluc. in ædem quam ipsis dicabat. Sensus plane obvius, et affectus quidem dulcissimus : unde non video quid Scaligerum impulerit, ut legeret :

Cur adeo, frater, heu! sine fratre tuo es?

291–292. *Certus eras nunquam, nisi victor* etc. Fixum, immotumque in animo tibi sedebat, ut Romam nunquam, *nisi victor* redires. *Victor eras* : debuerant igitur incolumen te nobis *tempora* reddere.

299. *Quid referam de te* etc. Sermonem nunc convertit ad conjugem Drusi, Antoniam minorem, Antonii Triumviri ex Octavia, Augusti sorore, filiam. De ea sic Val. Max. IV, 3 : « Antonia quoque femina laudibus virilem familiæ suæ claritatem supergressa, amorem mariti egregia fide pensavit; quæ post ejus decessum, forma et ætate florens, cubiculum socrus pro conjugio habuit : in eodemque toro alterius adolescentiæ vigor exstinctus est; alterius viduitatis experientia consenuit. » Totam se tradidit liberis educandis, qui tres numero : Germanicus, Caligulæ pater : Claudius, qui deinde imperator, et Livia, seu Livilla, morum dissolutione adeo infamis. Veneno interceptam a Caligula dato Antoniam innuit Suet. Claud. 23.

305. *Tu concessus amor, tu solus et ultimus illi.* Laudem hanc Druso tribuit Val. Max. loco jam adlato, quod *Veneris usum intra conjugis charitatem clausum tenuerit.* Quidam, *confessus amor*, legitimus.

Et mota in nomen frigida lingua tuum.
Infelix recipis, non quem promiserat ipse;
Nec qui missus erat, nec tuus ille redit;
Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros,
Ensibus et Suevos terga dedisse suis.
Fluminaque, et montes, et nomina magna locorum;
Et si quid miri vidit in orbe novo.
Frigidus ille tibi, corpusque refertur inane;
Quemque premat sine te, sternitur ecce torus.
Quo raperis, laniata comas, similisque furenti?
Quo ruis? attonita quid petis ora manu?
Hoc fuit Andromache, quum vir religatus ad axem
Terruit admissos sanguinolentus equos.
Hoc fuit Evadne, tunc quum ferienda coruscis
Fulminibus Capaneus impavida ora dedit.

308. *Et mota in nomen frigida lingua tuum.* Volebat Francius *ad nomen*, quasi, audito conjugis nomine, adhuc compellaret. Sic de Orpheo suo Virgil. Georg. IV, 525:

... Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,
Ah! miseram Eurydicen, anima fugiente, vocabat!

311. *Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros* etc. « Inde validissimas nationes, Cheruscos, Suevos et Sicambros pariter aggressus est: qui, viginti centurionibus incrematis, hoc velut sacramento sumserant bellum, adeo certa victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione diviserint: Cherusci equos, Suevi aurum et argentum; Sicambri captivos elegerant: sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos etc. » Flor. lib. IV, 12.

314. *Et si quid miri vidit in orbe novo.* Non ita *novus* Romanis *orbis* ille, quem jam Cæsar obiter descripserat, de Bell. Gall. VI, 21, sqq. Fusius deinde et accuratius, ut par erat, Tacitus, in eximio illo *de moribus Germaniæ* opusculo.

320. *Terruit admissos sanguinolentus equos.* Vide quæ adnotavimus, ad vers. 36. Epist. prim.

321–322. *Hoc fuit Evadne* etc. Tali quoque furore agitata Evadne Capanei uxor, præcipitem se in conjugis rogum immisit. Statius, Theb. XII, 800. Unde meruit, ut de illa caneret Propert. I, Eleg. XV, 21:

Occidit Argivæ fama pudicitiæ.

— *Quum ferienda coruscis Fulminibus Capaneus impavida ora dedit.* Merito *impavidum* dicit, qui sic ipsum Jovem increpasset, Theb. lib. X, 899:

Nunc age, nunc totis in me consistere flammis,
Jupiter! an pavidas tonitru turbare puellas
Fortior, et soceri turres exscindere Cadmi?

— *Ferienda.* Putat Heins. *feriunda;*

Quid mortem tibi mœsta rogas; amplexaque natos,
Pignora de Druso sola relicta tenes?
Et modo per somnos agitaris imagine falsa,
Teque tuo Drusum credis habere sinu?
Et subito tentasque manu, sperasque receptum;
Quæris et in vacui parte priore tori?
Ille pio, si non temere hæc creduntur, in arvo
Inter honoratos excipietur avos;
Magnaque maternis majoribus, æqua paternis
Gloria, quadrijugis aureus ibit equis;
Regalique habitu, curruque superbus eburno,
Fronde triumphali tempora vinctus erit.
Accipient juvenem Germanica signa ferentem
Consulis imperio conspicuumque decus;
Gaudebuntque suæ merito cognomine gentis,
Quod solum domito victor ab hoste tulit.
Vix credent tantum rerum cepisse tot annos:
Magna viri latum quærere facta locum.

sic *potiunda* et similia apud Ovidium.

325. *Agitaris imagine falsa.* Turbaris per somnos et inquietaris *imagine*, quæ tuum amorem ludit, inanem tibi Drusum offerens, quem frustra quæris *in vacui parte tori.*

330. *Inter honoratos* etc. Propert. lib. IV, Eleg. XI, vers. ult.:

Cujus *honoratis* ossa vehantur *avis.*

Quæ lectio Brouckhusii est, quum ante omnes, *equis* aut *aquis* haberent. Innuerat Heinsius, *ferantur*, non autem *fruantur*, teste ipso Brouckh. ut male Burman. editio.

333. *Regalique habitu* etc. Recte: nam quem mors Druso præripuerat triumphum, *in arvo pio* poeta concedit, fingitque ab avis honorifice exceptum, qui *gaudent*, quod unus e suis *Germanici* primus *meritum* cognomen Drusorum et Claudiorum nomini addiderit.

339. *Vix credent tantum rerum cepisse tot annos.* Vix credent tot tantasque res, tam brevi annorum spatio confici potuisse. — *Tot*, pro paucis, vulgare apud poetas. *De tot sororibus*, dixit Ovid. Met. IV, 418, quum *de tribus* modo hic agatur.

340. *Magna viri latum quærere facta locum.* Quamvis concedat Burm. et exemplis firmet, *locum* pro temporis spatium sumi posse, negat tamen *latum locum*, pro temporis spatio ampliori esse hic intelligendum; conjicitque:

Magna viri *lætum* quærere facta *modum.*

Ut, inquit, *modus latus* temporis

Hæc ipsum sublime ferent : hæc, optima mater,
Debuerant luctus attenuare tuos.
Femina digna illis, quos aurea condidit ætas,
Principibus natis, principe digna viro.
Quid deceat Drusi matrem, matremque Neronis,
Adspice : quo surgas, adspice, mane toro.
Non eadem vulgusque decent, et lumina rerum :
Est quod præcipuum debeat ista domus.
Imposuit te alto Fortuna, locumque tueri
Jussit honoratum, Livia : perfer onus.
Ad te oculos, auresque trahis : tua facta notamus ;
Nec vox missa potest principis ore tegi.
Alta mane ; supraque tuos exsurge dolores ;
Infragilemque animum, quod potes, usque tene.
An melius per te virtutum exempla petemus,

sit longum spatium, non certis finibus conscriptum ; et locum adfert, e Statio, Theb. VII, 296 :

... Pater est, natusque ; sed ævi
Confudere modos.

Sed agitur ibi de patre et nato, (Lapithaone et Alathreo) qui, *confusis* revera *ævi* ordine *modoque*, ita pares ætate et armis incedebant, ut *fratres* dicerentur. Hic vero, cur non *locum* referamus ad ipsam Germaniæ partem, ubi factis Drusus inclaruerat ; quem quidem *locum* velint *latiorem*, dignioremque, qui præclaris adeo facinoribus illustraretur ? Qui locus, ab ipsis militibus *Campus sceleratus* dictus est.

341. *Hæc, optima mater, debuerant* etc. Feliciter admodum eo redit, unde inceperat oratio ; ad Liviam scil. quam poeta, postquam materno dolori diu satis permisit indulgere, ad Imperatoriam dignitatem revocat, hortaturque *adspiciat* quid Drusi matrem *deceat*, quid uxorem *Cæsaris*.

343. *Condidit ætas*. Pro *condidit*, legit *prodidit* Ruhnk. ad Vell. Pat. I, 3.

346. *Quo surgas, adspice, mane toro*. Cujus sis uxor ; cujus e thalamis mane prodeas.

347. *Et lumina rerum*. Nescit Burmann. an non præstet *culmina* ; neque ego ignoro verba hæc sæpius a librariis confusa : cave tamen ne quid immutes. Virorum enim principum exempla quasi totidem sunt *lumina*, quæ, quo imposita altius, eo certius in rectam vel pravam viam sequentis vulgi gressus inducunt. Mox ipse Noster : *ad te oculos trahis : tua facta notamus*.

352. *Nec vox missa potest principis ore tegi*. Nec si quid principi exciderit, diu latere potest. Cavendum igitur, ne quid dicat, vel faciat, quod indictum frustra, infectumve deinde velit.

Quam si Romanæ principis edis opus?
Fata manent omnes : omnes exspectat avarus
Portitor; et turbæ vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes : metam properamus ad unam.
Omnia sub leges mors vocat atra suas.
Ecce necem intentam cælo, terræque, fretoque,
Casurumque triplex vaticinantur opus.
I nunc, et, rebus tanta impendente ruina,
In te solam oculos et tua damna refer.
Maximus ille quidem juvenum, spes publica vixit;
Et, qua natus erat, gloria summa domus.

356. *Quam si Romanæ principis edis opus.* Quam si *principem* te, et *Romanam* quidem præstiteris.

358. *Turbæ vix satis una ratis.* Petron. Specim. Belli civilis, 117:

... Vix squalida Porthmeus
Sufficiet simulacra virum traducere cymba:
Classe opus est.

362. *Casurumque triplex vaticinantur opus.* Editio prim. *casurum triplex vaticinatur opus.* Unde passive sumendum *vaticinatur*, conjiciebat Micyllus. Aliæ omnes, ut edidimus; et accipias de Philosophis, vel Sibyllinis oraculis, quæ *intentam hanc necem triplici operi*, id est, cælo, terris et freto, *vaticinabantur.* Respexit Noster ad Lucretium, v, 95:

Principio, maria ac terras cælumque tuere:
Horum naturam *triplicem*, *tria* corpora, Memmi,
Tres species tam dissimiles, *tria* talia texta
Una dies *dabit exitio.*

Neque illud non animadversione dignum, quod versus ille *casurumque* etc., totidem verbis occurrat expressus, Trist. II, 426. Secundum autem hunc Trist. librum constat scripsisse Ovidium, et ad Augustum misisse, statim ut in Pontum advenerit, ineunte scilicet decimo a Christi nativitate anno. Quum vero Drusi mors in annum præcedentem inciderit, minime potuit Albinovanus, seu quivis auctor alius hujus Elegiæ, versum hunc Ovidio surripere; nec probabile magis carmen de morte Drusi tam cito ad Ovidium in exilio suo pervenisse. Præterea, quis credat poetam omnium uberrimum, eo penuriæ subito devenisse, ut alienum hunc in sua reciperet? Qui se ipsum toties, cur alium hic compilasset?

364. *In te solam oculos* etc. Quæ sis ipsa, et quem amiseris considera: *maximus ille quidem* etc.; sed *mortalis* erat; et quum ea sit rerum omnium conditio, ut intereant, eo minus *secura* fuisti, quo sua Drusum in certius periculum virtus immitteret. Poetam hic rhetor male occupat, et Senecam magis, quam Nasonem agit; sed ipsa hæc verborum intemperies Ovidium arguit; qui in patentem adeo adulationi campum semel exspatiatus, non erat is qui stare posset, ubi sistendum recto judicio oportuit.

Sed mortalis erat; nec tu secura fuisti,
Fortia progenie bella gerente tua.
Vita data est utenda : data est sine fœnore nobis
Mutua, nec certa persolüenda die.
Fortuna arbitriis tempus dispensat ubique.
Illa rapit juvenes : sustinet illa senes.
Quaque ruit, furibunda ruit; totumque per orbem
Fulminat, et cæcis cæca triumphat equis.
Regna Deæ immitis parce irritare querendo :
Sollicitare animos parce potentis heræ.
Quæ tamen hoc uno tristis tibi tempore venit,
Sæpe eadem rebus favit amica tuis.
Nata quod en alte es, quod fœtibus aucta duobus;
Quodque etiam magno consociata Jovi;
Quod semper domito rediit tibi Cæsar ab orbe,
Gessit et invicta prospera bella manu;
Quod spes implerunt maternaque vota Nerones;
Quod pulsus toties hostis utroque duce.
Rhenus, et Alpinæ valles, et sanguine nigro
Decolor infecta testis Itargus aqua;

369. *Vita data est* etc. Ex Cicerone, qui Tuscul. I : « At ea quidem (natura) dedit usuram vitæ, tamquam pecuniæ, nulla præstituta die. » Lucret. quoque, III, 984:

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.

371. *Fortuna arbitriis tempus dispensat ubique.* Veteres nonnulli, *inique.* Legebat Heinsius, *arbitriis iniquis :* ingeniosa emendatio.

372. *Sustinet illa senes.* Frustra vulgatam *sustulit* tuetur Scaliger, quem non cepisse mirum est, eo sensu *sustinere* hic accipiendum, quo in Epistol. I, 114:

Respice Laerten; ut jam sua lumina condas,
Extremum fati *sustinet* ille diem.

Ubi pro, in aliud tempus *differri* exoptat, sane est intelligendum.

379. *Nata quod es alte. Alte es* veteres plerique, ne in metrum peccetur. Edidit Heinsius : *nata quod en alte es.* Davis. vero ad Cæs. de Bell. Gall. II, 25 : *Nata quod ex alto es.* Sed *ex alto nasci* recte dici non putat Burmannus : nec ullus quidem, unde firmetur hæc lectio, occurrit locus.

386. *Decolor infecta testis Itargus aqua.* « Vulgo varie dicti amnis vocabulum scriptum est in variis exemplaribus, *Itargus*, *Itargis* et *Iturgus*, *Iturgis*, ex quibus doctissimi etiam fecerunt *Isurgis* et *Isur-*

Danubiusque rapax, et Dacius orbe remoto
  Apulus; huic hosti perbreve Pontus iter;
Armeniusque fugax, et tandem Dalmata supplex,
  Summaque dispersi per juga Pannonii;
Et modo Germanus Romanis cognitus orbis:
  Adspice quot meritis culpa sit una minor.
Adde quod est absens functus; nec cernere nati
  Semineces oculos sustinuere tui.
Quique dolor menti lenissimus influit ægræ,
  Accipere es luctus aure coacta tuos.
Prævertitque metus per longa pericula luctum;
  Tu quibus auditis anxia mentis eras.
Non ex præcipiti dolor in tua pectora venit,
  Sed per mollitos ante timore gradus.
Jupiter ante dedit fati mala signa cruenti,
  Flammifera petiit quum tria templa manu;
Junonisque gravi nocte, impavidæque Minervæ,
  Sanctaque et immensi Cæsaris icta domus.

gus; eumque intelligi poetæ amnem docuerunt, qui aliis auctoribus dicitur *Visurgis*, *le Weser*. Ego vocem varie vitiatam intrepide corrigo in *Ilargus;* esseque eum amnem, qui nunc in Suevia dicitur *Iler*, audacter pronuntio.» Sic Cluver. Vindel. et Noric. c. 6. p. 747.

388. *Apulus huic hosti perbreve Pontus iter.* Locum valde depravatum Scaliger sic emendabat:

Danubiusque rapax, et Dacius orbe remoto
Angulus: hinc hosti perbreve *pontis* iter.

Veteres scribebant *aggulus*, unde *appulus* fecerunt. Dacia tunc finis imperii Romani, Danubio terminata: itaque *pons* jungens Danubium fuisset *perbreve iter* hosti ad fines imperii Romani.

392. *Adspice quot meritis* etc. Tecum ipsa reputes quot quantaque in te beneficia fortuna contulerit; et *unam* quam admisit, in tollendo Druso, *culpam* minorem *meritis* invenias necesse est. Sed hæc omnia subtilius, quam verius.

393. *Adde quod est absens functus* etc. Sic Heinsius, e Mediceo et Cambiano, quum vulgo *fœtus* legeretur, sensu nullo.

402. *Flammifera petiit quum tria templa manu.* Scilicet Jovis Capitolini, et Junonis, et Minervæ, quæ ipsi proxima. In quo differt Noster a Dione, qui libri LV initio, Jovis templum indicat, et alterum σύνναον αὐτοῦ; cujus vero numinis, non dicit.

403–404. *Junonisque gravi nocte* etc. Distichon hoc vicissim Cuper. Heins. et Burmannus tentaverunt;

Sidera quin etiam cælo fugisse feruntur;
  Lucifer et solitas destituisse vias.
Lucifer in toto nulli comparuit orbe,
  Et venit stella non præeunte dies.
Sideris hoc obitus terris instare monebat;
  Et mergi Stygia nobile lumen aqua.
At tu, qui superes mœstæ solatia matri,
  Comprecor, illi ipsi conspiciare senex.
Perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque;
  Et vivat nato cum sene mater anus.
Eventura precor : Deus excusare priora
  Dum volet, a Druso cetera læta dabit.
Tu tamen ausa potes tanto indulgere dolori,
  Longius ut nolis, heu male fortis, ali.
Vix etiam fueras paucas vitalis in horas,
  Obtulit invitæ quum tibi Cæsar opem :

sed parum adeo feliciter, ut fateatur Burm. exspectandum esse *a libris melioribus auxilium* : quod quum nobis nondum obtigerit, desperatam tantis viris curationem non suscipiemus. Neque ita repugnat qui se se primum offert sensus; *domum* scilicet Junonis, Minervæ et Cæsaris, *nocte gravi*, id est, ominosa, exitiosa, fulmine simul a Jove *ictam* fuisse. Forsan et *tria* hæc esse templa, de quibus superiori versu locutus est, credi potest.

411. *At tu, qui superes* etc. Sermo nunc ad Tiberium conversus.

414. *Et vivat nato cum sene mater anus.* Vixit quidem anus Livia, et *cum nato* provectæ jam ætatis; sed eum experta, ut multo ei præstitisset, antequam Tiberius imperaret, interiisse. Vide Sueton. Tib. capp. 50 et 51.

415. *Deus excusare priora dum volet* etc. Nec vana precor; Dii enim, ut illatam Drusi morte calamitatem imminuant, nihil non felix ac prosperum matri deinceps et fratri concedent.

417. *Tu tamen ausa potes* etc. Liviam increpat, quæ ita dolori primum videtur indulsisse, ut *longius ali* noluerit; vixque *precanti* et *jubenti* etiam Augusto, cui *non minor* erat quam filio (Tiberio), cura servandæ parentis, vitam suam concesserit. Hæc Poeta : Seneca vero, Consolat. ad Marc. IV : « Illa, inquit, in primo fervore, quum maxime impatientes, ferocesque sunt miseriæ, se consolandam Areo philosopho præbuit; et multum eam rem profuisse sibi confessa est : plus quam populum Romanum, quem nolebat tristem tristitia sua facere : plus quam Augustum, qui, subducto altero adminiculo, tituba-

Admovitque preces, et jus immiscuit illis;
Aridaque adfusa guttura tinxit aqua;
Nec minor est nato servandæ cura parentis:
Hic adhibet blandas, nec sine jure, preces.
Conjugis et nati meritum pervenit ad omnes:
Conjugis et nati, Livia, sospes ope es.
Supprime jam lacrimas: non est revocabilis istis,
Quem semel umbrifera navita lintre tulit.
Hectora tot fratres, tot deflevere sorores;
Et pater, et conjux, Astyanaxque puer,
Et longæva parens: tamen ille redemtus ad ignes,
Nullaque per Stygias umbra renavit aquas.
Contigit hoc etiam Thetidi: populator Achilles
Iliaca ambustis ossibus arva premit:
Illi cæruleum Panope matertera crinem
Solvit, et immensas fletibus auxit aquas;
Consortesque Deæ centum, longævaque magni
Oceani conjux, Oceanusque pater;
Et Thetis ante omnes: sed nec Thetis ipsa, neque omnes
Mutarunt avidi tristia jura Dei.
Prisca quid huc repeto? Marcellum Octavia flevit,

bat; nec luctu suorum inclinandus erat etc. » Certe non *male fortis*, quæ talem se mulier præstiterit.

427. *Non est revocabilis istis* (*lacrimis*) *quem semel* etc. Horat. ad Virgil. de Quinctilio, I, Od. 24:

Non vanæ redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.

429. *Hectora tot fratres* etc. Poetice luxuriantem quis non hic Ovidium agnoscat?

435. *Illi cæruleum Panope crinem solvit.* Id est, Panope soror Thetidis, quæ Achillis mater, crines suos solvit, audita *illius* (Achillis) morte. De luctu vero Thetidis, videnda. Quint. Calab. III, 604, sqq. quem locum adiisse non pigebit.

441. *Marcellum Octavia flevit.* Et immodice quidem, si fides Senecæ, supradicta Consolat. cap. II: « Nullum finem, per omne vitæ suæ tempus, flendi, gemendique fecit; nec ullas admisit voces salutare aliquid adferentes, ne avocari quidem se passa est. Intenta in unam rem, et toto animo affixa, talis per omnem vitam fuit, qualis in funere. »

Et flevit populo Cæsar utrumque palam;
Sed rigidum jus est, et inevitabile mortis:
Stant rata, non ulla fila renenda manu.
Ipse tibi emissus nebulosi litore Averni,
Si liceat, forti verba tot ore sonet:
Quid numeras annos? vixi maturior annis.
Acta senem faciunt: hæc numeranda tibi;
His ævum fuit implendum, non segnibus annis.
Hostibus eveniat longa senecta meis.
Hoc atavi monuere mei, proavique Nerones:
Fregerunt ambo Punica bella duces;
Hoc domus ista docet, per te mea, Cæsaris alti.
Exitus hic, mater, debuit esse meus:
Nec meritis, quamquam illa juvant magis, abfuit illis,

445. *Ipse tibi emissus nebulosi litore Averni* etc.: *emensus nebulosum litus* volebat Roverius, qui in libris suis invenerat *emissus nebulosum* etc; sed nihil opus emendatione proposita, quum Mediceus, Combianus et editio prima habuerint *nebulosi in litore*.

448. *Acta senem faciunt: hæc numeranda tibi.* Martial. x, 53, de quodam Scorpo, auriga famoso Ep.:

Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

449. *His ævum fuit implendum, non segnibus annis.* « Longa est vita, si plena est. Impletur autem, quum animus sibi bonum suum reddidit, et ad se potestatem sui transtulit, » Senec. Epist. 93.

451. *Hoc atavi monuere mei, proavique Nerones.* Livii scilicet et Claudii. Narrat Tit. Liv. lib. XXVII, 46, 49; Asdrubalem, qui cum recenti exercitu Alpes eo consilio transcenderat, ut se cum fratre Annibale conjungeret, a M. Livio Salinatore victum ac cæsum esse; eamque victoriam non minore opera Claudii Neronis, alterius Consulis, esse partam, propterea quod, quum Annibali oppositus esset, relictis ita castris ut hostem lateret, lecta manu profectus, Asdrubalem circumvenit. Merito igitur Horat. in carmine jam laudato:

Quid debeas, o Roma, Neronibus
Testis Metaurum flumen; et Asdrubal
Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris.

453. *Ista domus, per te mea.* Ducta scilicet uxore Antonia, quæ Augusti neptis, ex Octavia sorore; quod non nisi *per* Liviam factum, cujus filios suis adscripserat liberis Augustus, quum ipse nuberet Liviæ.

455. *Nec meritis, quamquam illa juvant magis, abfuit illis, Mater, honos.* Sic, et Gronovio in suis ad Heins. Epist. quum olim legeretur:

Nec meritis quicquam illa juvant: magis affuit illis
Mater honos.

Mater, honos : titulis nomina plena vides.
Consul, et ignoti victor Germanicus orbis,
Cui fuit heu! mortis publica causa, legor.
Cingor Apollinea victricia tempora lauro,
Et sensi exsequias funeris ipse mei;
Decursusque virum notos mihi, donaque Regum;
Cunctaque per titulos oppida lecta suos;
Et quo me officio portaverit illa juventus,
Quæ fuit ante meum tam generosa torum:
Denique laudari sacrato Cæsaris ore
Emerui, lacrymas elicuique Deo.
Et cuiquam miserandus ero? jam comprime fletus:
Hoc ego, qui flendi sum tibi causa, rogo.
Hæc sentit Drusus, si quid modo sentit in umbra;

Quod sic modeste, ut solet, corrigendum proponebat Micyllus :

Nec meritis quicquam *illa juvat* magis; affuit illis etc.

Ut esset sensus : nec me *domus* illa Cæsaris facta *mea per te, magis juvat*, in posterum commendat, quam quæ de patria bene *merui*; quia scilicet testis *affuit* mater, *honor* ipsa, honoribus, quos sequentibus recenset.

456. *Titulis nomina plena vides.* Forte *omnia plena*, inquit Burman. Quid enim *nomina plena titulis?* — Indicant quæ sequuntur: *Consulis* enim et *Germanici* titulis *nomina* Neronis Claudii Drusi etc., in inscriptionibus insignita *legebantur.*

458. *Cui fuit heu mortis publica causa. Qui*, ed. prim. et recte quidem, ut ad orbem Germanicum referas, in quo pro patria pugnando Drusus occubuit; ideoque fuit *mortis* ejus *publica* causa.

462. *Cunctaque per titulos oppida lecta suos.* Nomina et tituli urbium quas ceperat Drusus, in pompa funebri, velut in triumpho, præferebantur.

464. *Quæ fuit ante meum tam generosa torum.* Quid sibi velit istud *ante torum* non intelligit Micyllus; et interpretatur Burmannus de iis qui torum (lectum in quo jacebat cadaver impositum) præcedebant, illorum vicem, qui deferebant, excepturi. Malit tamen legi :

Quæ fuit ante meum tam generosa *rogum.*

Sed quid opus emendatione, quum difficultatem (si quæ tamen) solverit interpretatio?

467. *Et cuiquam miserandus ero?* Cui sim in posterum *miserandus*, qui *laudatus* a Cæsare, lacrimas ipsi (*Deo*) elicuerim? — *Jam comprime fletus.* Querelarum igitur desine, mater; et fletus comprime, quum tot sint tibi causæ, unde petas solatium!

469. *Hæc sentit Drusus* etc. Nihil,

Nec tu de tanto crede minora viro.
Est tibi, sitque precor, multorum filius instar;
Parsque tui partus sit tibi salva prior.
Est conjux, tutela hominum; quo sospite, vestram,
Livia, funestam dedecet esse domum.

hac Prosopopœia, poterat excogitari, quod rebus ipsis, et personis accommodatiorem huic Elegiæ finem imponeret. Quid enim poetæ, vel alii cuivis dicendum nunc supersit, quum matrem filius ipse tam generose sit allocutus? Sed optandum forsan, ut eximius ille locus, et Ovidio vere dignus, lectori jam lasso, et pæne somnianti, citius obvenisset. — *Si quid modo sentit in umbra.* Malebat Heinsius, *in umbris*, quod esset *inter umbras*.

473. *Est conjux, tutela hominum* etc. — Nimius in adulando Noster, quam qui non lectori nauseam sæpius moveat, modo quis pudoris sensus. Quid enim vero? *dedecet* domum Cæsaris luctu *funestari*, vel si maximæ spei principem amiserit, *sospite scilicet uno Cæsare!* Summum hoc humilitatis, nec poetæ, etiam exulanti, et reditum imploranti, condonandum. Quid vero, si nec ipsum tam abjectæ adulationis pretium tulerit!

ARGUMENTUM HALIEUTICI.

Utrum terrestria aquaticis animalibus, an terrestribus aquatica præstent industria, quærit et examinat Plutarchus, in libello, cujus ipsa quæstio titulus; et adductis utrinque, quibus suam quisque opinionem tueatur, exemplis, dubia prorsus res ab arbitro relinquitur. Id genus argumentum Noster sibi videtur proposuisse, quantum licet conjicere, e collectis adeo misere discerpti poetæ membris. — Vid. Aristot. Hist. Animal. ibique Jul. Cæs. Scal. Gratii Cyneget. Oppian. Halieut. et Cyneget. ed. Schneid. Argentorati, 1776. Plin. Hist. Nat. IX et XXXII. — Quæ mira referunt veteres de quorumdam Piscium industria, magna ex parte infirmavit credula minus, sed diligentior recentiorum exploratio. Vid. Bloch, La Cépède, *Hist. des Poissons;* Valmont de Bomare, *Dict. d'Hist. Nat.* et Camus, *Notes de sa Trad. de l'Hist. des Animaux d'Aristote.*

P. OVIDII NASONIS

HALIEUTICON *

FRAGMENTUM.

. . . . . .

ACCEPIT mundus legem : dedit arma per omnes,
Admonuitque sui ; vitulus sic namque minatur,
Qui nondum gerit in tenera jam cornua fronte :

* Hujus tam fæde ac misere corrupti et mutilati operis, bis mentio est apud Plin. Semel, XXXII, c. 2, his verbis : « Mihi videntur mira, quæ Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine, quod *Halieuticon* inscribitur. » Secundo, eodem Libr. cap. ult. ubi sic : « His adjiciemus *apud Ovidium* posita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur ; sed fortassis in Ponto nascuntur etc. » Illustravit hoc poema Scholiis suis Conradus Gesnerus in libellis tribus novis de Piscibus et aquatilibus, Tiguri, in-8°. : quem librum ipse vocat Progymnasmata in historiam aquaticûm, quam postea majori mole edidit. Deinde Janus Vlitius, in *Venatione Novantiqua* recensuit ; quorum virorum Scholia nostris adjunximus. Primum vero fuisse Paulum Manutium, Aldi fil. qui in lucem edidit, Gesnerus in Præfatione docet ; attulisse vero Actium Syncerum Sannazarium ex Galliis manu scriptum. HEINS. et BURM.

1. *Accepit mundus legem* etc. Swartius, libro I, Analect. cap. 5, legit, *regem :* inepte, licet approbatorem reppererit magistrum suum Barthium, XLIV. Advers. II. *Lex* est constans ille et perpetuus naturæ ordo, quem omnia creata sequi debent : quæ *jura*, *fœdera mundi*, passim a poetis dicuntur. — *Dedit arma per omnes.* Certe corruptus locus ; an enim *mundus* dedit arma ? et quibus ? forte illa, *accepit mundus legem*, cum præcedentibus, quæ periere, includenda parenthesi ; et *natura*, de qua antea agebat, intelligenda est, quæ *dedit arma* animalibus omnibus. Per *arma* vero intelligit illa animalium membra, quibus se defendunt. Vid. lepidissim. Anacreontis Odarium, II : Φύσις κεράτα ταύροις. κ. τ. λ. BURM.

2. *Minatur.* Ald. ex MSS. Sannazarii : *minaci.* Forte :

... Vitulus sic namque minaci,
Quæ nondum gerit, intentat jam cornua fronte.

— *Minatur*, Pithœus, ex MSS. Thuan. Sic et Ambrosian.

Sic damæ fugiunt, pugnant virtute leones,
Et morsu canis, et caudæ sic scorpios ictu;
Concussisque levis pennis sic evolat ales.
Omnibus ignotæ mortis timor, omnibus hostem,
Præsidiumque datum sentire, et noscere teli
Vimque modumque sui : sic et Scarus arte sub undis
Incidit, adsumptamque dolo tandem pavet escam.
Non audet radiis obnixa occurrere fronte;
Aversus crebro vimen sed verbere caudæ
Laxans subsequitur, tutumque evadit in æquor.
Quin etiam si forte aliquis, dum pone nataret,
Mitis luctantem Scarus hunc in vimine vidit,

6. *Concussisque. Concursisque levis pennis* MSS. Vltius. *Pinnis* ed. Gesneri et Pithæi.

7. *Ignotæ mortis.* Forte, *innatus mortis timor.*

9. *Sic et Scarus,* MSS. *sic Escarus ;* et sic itidem vers. 38. Isidorus quoque *Escarum* pro *Scaro* posuit lib. XII, c. 6. et ab *esca* dictum finxit. Gesnerus ἔσχαρον aliud aquatile animal, a Scaro longe diversum constituit. Nam et hic σκάρος Græcis est. Nobis, *Le Scare.*

10. *Incidit.* Ita Gesn. ut supplementum juvaret MSS. et Ald. *decidit*, quod meo insititio versui quadraret. Ante hunc versum legebatur *sin :* cetera hiatu unius versus relicto; quod ex diversa lectione τοῦ *decidit* natum puto; cui aliquis superscripserit *In :* hoc est, vel, *Incidit. Incidere escam*, ut *Incidere terras.* Met. VII, 524. Heins. — Swartius legebat :

Decipit, absumptamque dolo jam depavet escam.

Assumptaque. Forte, *assutamque dolo escam.*

12. *Aversus crebro veniens sub.* Plinius, lib. XXXII, c. 2. « Mihi videntur mira, quæ Ovidius prodidit, piscium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur : Scarum inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed aversum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum erumpere : quem luctatum ejus si forte alius Scarus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda, adjuvare nixus erumpentis. » — Oppian. Halieutic. IV, 44, sqq.

14. *Quin etiam si forte aliquis dampus nataret. Dum pone nataret*, Pantagath. et Gesn. restituerunt ex vet. lect. quæ est in Al. *damptus nataret.* Pith. *dampro nat.* ex MSS. qui ita : *dam pronatareto :* f. *dum pronatat extra. — Aliquis dam pronata retro* Thuan. Ambrosian. *dam pro nata rete.* Scribe, *si forte alius, dum prænatat, arto. arto* sc. vimine, quod sequitur; *prænatat,* pro præternatat; nisi malis, *prope, dum natat :* posset et *dum pone nataret*, cum Pantagatho et Gesnero legi. Heins.

Aversam caudam morsu tenet; atque ita....
Uber servato, quem texit, in ... resultet.
Sepia tarda fugæ, tenui quum forte sub unda
Deprensa est, jam jamque manus timet illa rapaces;
Inficiens æquor nigrum vomit ore cruorem;
Avertitque vias, oculos frustrata sequentes.
Clausus rete Lupus, quamvis immanis et acer,
Dimotis cauda submissus sidit arenis.

16. *Atque ita* etc. Sic locum hunc vere inextricabilem restituendum censebat Gesnerus:

... Atque trahendo
Captivum texto socium de carcere solvit.

Heinsius vero:

... *Atque ita* tandem
Victor *servato*, *quem texit*, cive *resultat*.

Quam ego correctionem Gesnerianæ eo libentius prætulerim, quod servet ingeniosius quæ fractæ lectionis fragmina supersunt.

18. *Sepia tarda fugæ*. Vide et Ælianum, I, cap. XXXV. H. A.

19. *Jam jamque manus timet illa rapaces* etc. Verbum *illa* bis in hoc disticho positum otiosum plane est: lego igitur cum Ach Statio:

... Vomit ore cruorem. CIOF.

MSS. *vomit illace*, quod alteri conjecturæ meæ adstipulatur: *nigram vomit ilicet iram*, vel *undam*. VLIT.

21. *Avertitque vices*. Et pericula effugit. Virg. lib. II, Æn. 431:

Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Testor in occasu vestro, nec tela, nec ullas
Vitavisse *vices* Danaum etc.

Observavit Statius hoc verbum *vices*, nullum hic locum habere, et cum Ciaccono, et Mureto sentio. CIOF. Plin. IX, 29, de Sepiis: *Ubi sensere se apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine his est, infuscata aqua absconduntur*. Et ad verbum Oppianus, libro III, v. 162: καὶ ἡμάλδυνε κέλευθα, *obscuratque vias*. VLIT. *Vias* scripti: opinor, *avertitque fugax*, vel *avertitque minas*. H. Ita *viæ* et *vices* confusæ, lib. XV, Metam. 238; et apud Val. Flac. I, 283, et alibi. BURM.

22. *Clausus rete Lupus*. Græcis, λάβραξ; Italis, *spigola*. Varie autem apud nostros, *Bar*, *Loubine*, *Loup*, vel *Loupasson*, *Brigne*. — *Immanis*. *Immitis*: Thuan. HEINS.

23. *Dimotis cauda; submissus sedet armis in austri*. Lego, *Latitat submissus arenis*. Post hunc versum inseruerim alium:

At piscis captus, qui Grajo est nomine Cestreus.

Nam hoc de Cestreo (id est Mugili, quem forte eumdem esse ignoravit Ovidius, quum inferius iterum de Mugilis astutia scribat; aut hoc nihil prohibet: nam et de Murænæ astutia denuo scribit) ostendit Oppianus, lib. III, de Piscibus: ubi et alia quædam similiter, ut hoc in loco Ovidius, describit. Lupum Plinius ex Ovidio scribit reti circumdatum, arenas arare cauda, atque ita conditum transire rete. GESN. — *Dimotis cauda submissus cedet arenis in austri*. Pantagathus legebat: *Sidit arenis*. Sed inter hunc, et sequentem versum aliquot carmina deesse suspicabatur. CIOF.

. . . . . in auras
Emicat, atque dolos saltu deludit inultus.
Et Murænа ferox, teretis sibi conscia tergi,
Ad laxata magis conversa foramina retis,
Tandem per multos evadit lubrica flexus,
Exemploque nocet, cunctis intervenit una
At contra scopulis crinali corpore segnis
Polypus hæret, et hac eludit retia fraude,
Et sub lege loci sumit mutatque colorem;

Sidit arenis. Ita ego : Pith. *sidet arenis.* MSS. *ridet arenis.* Gesner. *latitat submissus arenis :* pro eo, quod est in A. *sedet armis in austri.* Quorum ultima proximo vers. sunt, quæ sequuntur : *in auras.* Ita MSS. et Pith. Quibus ego præfixi : *Atque ubi jam transire plagas persentit, in auras* etc. Præeunte Plinio : « Lupum reti circumdatum arenas arare cauda, atque ita condi, dum transeat rete. » Isidorus : « Denique rete circumdatus fertur arenas arare, atque ita conditus transire rete. » Inepte. Non *conditus* plagas transit lupus, sed *conditum* lupum plagæ. Hoc voluit Plinius. Vlit. Thuan. et Ambr. *ridet arenis in auras.* Lege, *sidit arenis : in auras* sequentis versus duæ ultimæ sunt voces. Met. lib. I, 307, ex antiquis libris :

Quæsitisque diu tertis ubi *sidere* detur.

Quum *sistere* illic legeretur in vulgatis ; possit et scribi, *se dat arenis.* H.

25. *Dolos saltu deludit inultus.* Lege, *inultos.* Met. IV, 426 :

Nil poterit Juno nisi inultos flere dolores.

Ubi *multos* scripti plerique perperam: sic et apud Apulei. I, Met., scribendum opinor, *quæ quum subinde inultis nosceretur* non *a multis nosceretur.* — *Deludit. Diludit* ed. Gesn. Bers. Vlitii.

26. *Et Murænа.* Hunc locum adumbravit Plinius, lib. XXXII, c. 2, ubi ita est : « Murænam maculas appetere ipsas, consciam terétis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxare, donec evadat. » Ciof.

27. *Conversa foramina. Connexat forma* MSS. Idem.

29. *Exemploque nocet* etc. Sic et scripti. Castigandum omnino :

Exemploque nocens cunctis iter invenit una.

Apposite Philas, de Murænа :

Ἡ μὲν γὰρ ἐνθενδ' εὐθὺς ἀπὸ μητρίου κόρου, Διαξέσθ σώζουσα καὶ τὰς συννόμους. H. Bersm. *quod prævenit :* vel rectius, *iter invenit una.* Vlitius in MSS. esse *intervenitura* testatur.

30. *At contra scopulis crinali corpore segnis Polypus hæret* etc. Idem tradit Ælianus, lib. VII, c. XI ; et Plin. lib. IX, cap. XXIX ; lib. XXXII, cap. II.

31. *Hac.* MSS. *hæc.* Plinius de hac fraude nihil, nisi quod eam respexisse videri possit lib. IX, cap. 29 de Polypis « Cetero per brachia veluti acetabulis dispersis astu quodam adhærescunt, tenentque supini, ut avelli non queant. » Si bene ita conjicio. Vulgo : *haustu quodam.* De quo nihil Aristoteles, lib. IV, cap. I, unde illa desumpsit Plinius.

32. *Sub lege loci.* Plinius ibidem : *colorem mutat ad similitudinem loci. Loci.* Ovidiana locutio III, Am. :

Semper ei similis, quem contigit : atque ubi prædam
Pendentem setis avidus rapit, hic quoque fallit
Elato calamo, quum demum emersus in auras
Brachia dissolvit, populatumque exspuit hamum.
At Mugil cauda pendentem everberat escam,
Excussamque legit. Lupus acri concitus ira,
Discursu fertur vario, fluctusque ferentes
Prosequitur, quassatque caput, dum vulnere sævus
Laxato cadat hamus, et ora patentia linquat.
Nec proprias vires nescit Muræna nocendi;
Auxilioque sui, morsu nec cominus acri

Hæc *ex lege loci* commoda circus habet. H. — *Mutatque. Mittitque*, Ambros.

33. *Atque ubi prædam Pendentem retis avidus* etc. Pantagathus legendum putavit, *setis*, non *retis* : vere. Equinis enim, ut nunc quoque fit, setis albis ad suspendendos hamos captandis piscibus usos priscos, docet Plutarchus in libello *De industria animalium;* ejusque rei rationem adfert Oppianus, libro III. C.

34. *Fallit.* MSS. *stillit* : et supra in fine proximi versus post *prædam* adjicitur, *prædaret*, quod huc refero, ut restituam : *huic quoque adhæret Elato calamo. Huic* sc. prædæ : τὸ *adhæret* absorptum erat in *prædaret*, atque ita factum, *prædæ, ret.* Conjecturæ meæ adstipulatur Plin. l. XXXII, c. 2 : « Polypum hamos appetere, brachiisque complecti, non morsu; nec prius dimittere, quam escam circumroserit; aut arundine levatum extra aquam ». Sed postrema non satis congruunt. Noster enim, etiam *elato calamo*, adhærere prædæ suæ polypum dicit, donec *hamum* jam *populatum exspuat.*

35. *Quum demum. Tum demum.* Ambros.

37. *Et Mugil.* « Scit et Mugil esse in hamo escam, insidiasque non ignorat : aviditas tamen tanta est, ut cauda verberando excutiat cibos. » Plin. XXXII, c. 2. Ita hæc plusquam παραφράζει, qui reliqua vixdum epitomaverat. VLIT. De Mugili Plinius, eodem lib. cap. 9, § 23, et alibi. C. *At* editiones multæ. *Mugilis*, Heins. malebat.

38. *Lupus acri concitus ira:* « Minus in providendo Lupus solertiæ habet, sed magnum robur in pœnitendo : nam ut hæsit in hamo, tumultuoso discursu laxat vulnera, donec excidant insidiæ. » Plin. ib. c. 2.

39. *Discursu.* MSS. *Discussus* id est, *discussu.* IDEM.

42. *Muræna.* « Muræna etiam non ignorat vires proprias tum nocendi aliis, tum ad auxiliandum sibi in morsu esse sitas. Præmordet enim lineam : neque mordendi vim remittit, donec omnino debilitata se captam et victam fateatur. Murænæ amplius devorant quam hamum, admoventque dentibus lineas, atque ita erodunt. » Plinius, loco cit. G.

43. *Auxilioque sibi.* Lege, *sui* ex Thuan. et deinde, *cominus* pro *eo*

Deficit, aut animos ponit captiva minaces.
Anthias his, tergo quæ concutit, utitur armis,
Vim spinæ novitque suæ; versoque supinus
Corpore, lina secat, fixumque intercipit hamum.
. . . . . .
Cetera quæ densas habitant animalia silvas,
Aut vani quatiunt semper lymphata timores,
Aut trahit in præceps non sana ferocia mentis.
Ipsa sequi Natura monet, vel cominus ire.
Impiger ecce Leo venantum sternere pergit

minus, ex utroque scripto; forte:
Auxiliumque sui morsu nec comminus acri
Deficit.
Sic illa tempestate loquebantur; et τὸ *deficere* cum quarto casu conjungebant, ut alibi pluribus est demonstratum. Sequenti versu *hamos ponat captura minaces*. Thuan. H.

45. *Anthias his*. De hoc pisce Plinius lib. IX, cap. 59. Est autem a Græcis vocatus ἱερὸς ἰχθύς, ut ait Aristoteles lib. IX, de hist. anim. cap. 37; quod in eo loco sit, ubi nulla reperiatur bellua. De eodem etiam Ælianus lib. I, cap. 3, et lib. VIII, cap. 27. Plutarchus, in jam citato libello. — *Tergo quæ non videt. Vidit* Thuan. *quem non vidit*, Ambros. Lege, *quæ concutit*, vel, *quæ continet*. Met. I, 143.
Sanguineaque manu crepitantia *concutit* arma.

47. *Corpore, lina*. Plinius IX, c. 59: « Anthiæ, quum unum hamo teneri viderint, spinis, quas in dorso serratas habent, lineam secare traduntur, eo, qui tenetur, extendente, ut præcidi possit. At inter sargos ipse qui tenetur, ad scopulos lineam terit. » Imo et ipse Anthias sibi id præstat, ut Noster tradit; quem, oblitus sui, ita hic sequitur Plinius: « Anthiam tradit idem infixum hamo invertere se, quoniam sit dorso cultellato, spinaque lineam præsecare. » Ita jam dudum restitui corruptissimum locum, quem aut frustra tentant, aut temere nimis prostituunt editores. Vlit. — Anthiarum capturam eleganter describit Oppian. Halieut. V, 305, sqq.

48. *Cetera*. Digreditur ad animantes terrestres, ut eas minus industriæ, vel astutiæ, quam plerosque pisces habere ostendat. Equos tamen et canes laudat. Idem.

49. *Aut vani*. Id est, aut nimis sunt timida, aut nimis audacia: et animi tantum affectu, non ingenio aut astutia aliqua utuntur. Gesn.

51. *Ipsa sequi natura* etc. Sequi fugientia, et cominus ire resistentibus. Idem. Hic versus est infra; unde hæc omnia e suis locis convulsa, et turpissimo mendo deformata, vel etiam adulterina esse, qui judicio pollet, nullo negotio animadvertet. C. — *Movet*. Alii, *monet*, vel docet. G. *Monet* MSS. et Pith. *movet*. Ald. V.

52. *Impiger et telo venantum sternere pergit Agmina*. In verbo *telo*, mendum inesse recte putavit Ciac-

Agmina, et adversis infert sua pectora telis :
Quoque venit, fidens magis et sublatior ardet,
Concussitque toros, et viribus addidit iram;
Prodidit, atque suo properat sibi robore letum.
Fœdus Lucanis provolvitur Ursus ab antris,
Quid nisi pondus iners, stolidæque ferocia mentis?
Actus Aper setis iram denuntiat hirtis,
Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri;
Pressus et emisso moritur per viscera telo.
Altera pars fidens pedibus, dat terga sequenti,
Ut pavidi Lepores, ut fulvo tergore Damæ,
Et capto fugiens Cervus sine fine timore.
Ipsa sequi natura docet, vel cominus ire. *
Hic generosus honos, et gloria major Equorum;

conus; et *Leo*, quum de aliis infra feris agat, legit. Ego vero, quoniam syllaba *le* brevis est, et carmen claudicat, a veteribus editionibus parum recedens, lego : *Impiger ecce Leo* etc. *Venantum* autem emendavit idem Ciacconus, quum antea male legeretur, *Venatem*. Ciof.

54. *Quoque venit*. Sensus videtur : quo proprius venit, vel quo magis vulneratur. Gesn.

55. *Toros*. Id est partes corporis carnosas. Idem.

56. *Prodidit*. Mallem, *proruit*, si active acciperetur : *simul omnes foras proruunt se*, Terent. Idem. — Thuan. *Prodedit* pro *prodidit*. Lego :

Concussitque toros, et viribus adjicit iram,
Prodigus.

Tὸ *Prodigus* a viro clarissimo viro, Jano Vlitio, jam occupatum video. Heins. Ego legerem, *Procidit;* vid. ad librum IX, Metam. 649; *addidit* vero non mutandum. Sic lib. III, Metam. 306 :

Sævitiæ, flammæque minus, minus *addidit* iræ.

58. *Ferocia mentis*. *Menti* reponit Aldus. Ciof.

59. *Actus aper*. *Actus et per retis* MSS. τὸ *agere* ita passim ponit Gratius : « *Glympice te silvis egit* etc., *stimulisque potentibus acti In furias vertere canes*. » Vlit.

60. *Et ruit*. MSS. *se ruit*. Idem. *Se ruit*, Thuan. Forte : *iram dum nuntiat* (vel *concitat*) *hirtis*, *se ruit*. Eleganter. Sic *omnia ruere*, Germanicus, Fragmento Prognosticorum.

61. *Emisso*. Forte, *immisso*. H.

64. *Et capto fugiens cervus sine fine timore*. Capto, id est concepto, ut paulo post; *nam capiunt animis palmam*. Gesn. Reposui, *cauto timore :* quod passim in vetustissimis Ovidii codicibus pro *cauto*, *capto* scribi animadverterim. Heins.

65. * *Ipsa sequi*. Abundat hic versus, paulo ante suo loco positus.

66. *Hic generosus*. Puto legendum, *Hinc;* et pro *Nam*, sequenti versu, *Jam*. Heins.

Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho:
Seu septem spatiis Circo meruere coronam;
Nonne vides, victor quanto sublimius altum
Attollat caput, et vulgi se venditet auræ?
Celsave quum cæso decoratur terga leone,
Quam tumidus, quantoque venit spectabilis actu,
Compescatque solum generoso concita pulsu
Ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis:
Quæ laus prima Canum? quibus est audacia præceps,
Venandique sagax virtus, viresque sequendi.

68. *Seu septem spatiis Circo.* Hinc emenda Gratium, sub finem Cynegetici, ubi legendum:

... Ille vigebit
Septem actus *spatiis.*

De numida equo: quum nunc scribatur, *Centum spatiis. Septimam orbitam* et *septimam rotam* dixit Propertius, septem Circi spatia respiciens; *septem gyros* Arnobius. Græcis ἑπτακάμπτοι vel καμπτῆρες; quorum exemplo Cassiodorus, in descriptione Circi *septem metas*, etsi parum proprie, dixit. H. — Sensus idem, quem in Cynegetico his versibus decoravit ipse Gratius:

... Spatiis qualis permissa Lechæis
Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum
Excitat, et primæ spes ambitiosa coronæ.

Quæ si comparentur inter se, et sequentia cum iis, quæ de equis in fine Cynegetici sunt, eumdem genium ac auctorem referre, nemo negaverit. VLIT.

72. *Quantoque venit spectabilis actu.* MSS. *actum*: pari mendo supra *cateso* pro *cæso*: *leo* pro *leone*: unde decessit, quod hic accrevit. Luculentissima autem hæc locutio et vere Gratiana. Cynegetico: *primos nequidquam offenderet actus.* V. Malim, *quanto veniat*: vel, *quanto ut veniat.* HEINS.

73. *Compescatque solum.* Nihil in hoc versu desidero. Astericum tamen appositum reliqui. Sic et Lucanus eleganter dixit: *Undas compescere remis.* GESN. Ita MSS. et Al. *conpiscatque* Pith. *Compescatque solum.* Thuan. forte, *concutiatque solum.* HEINS.

75. *Quæ laus prima Canum.* Canes, præsertim venatici, similiter ut equi, animosi generosique sunt: non timidi, non cum furore audaces. GESN.—*Audacia præceps.* Mera Gratii phrasis, de cane hyrcano: *sed præceps virtus* etc. Pertinet hoc ad genus bellicosum, quum *vorat extremo* (ut ibi canit) *præceps discrimine Mavors.* Ad sagaces, quod sequitur: *Venandique sagax virtus.* Quibus *natura sagax* et *solertia naris* ab eodem attribuitur in Cyneg. Tertium genus faciunt illa: *viresque sequendi*; de quo in Cyneg. ad v. 200 videsis. De tribus his generibus quum ita distincte hic agatur, quis auctorem non agnoscit? Nempe ipsum Gratium; qui primus inter Latinos triplex canum genus instituit. VLIT.

Quæ nunc elatis rimantur naribus auras,
Et nunc demisso quærunt vestigia rostro;
Et produnt clamore feram, dominumque vocando
Increpitant: quem si collatis effugit armis,
Insequitur tumulosque canis camposque per omnes:
Noster in arte labor positus; spes omnis in illa.
Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam, vastique maris tentare profundum.
Inter utrumque loci melius moderabere funem.
Aspera num saxis loca sint: nam talia lentos
Deposcunt calamos; at purum retia litus.
Num mons horrentes demittat celsior umbras
In mare: nam varie quidam fugiuntque petuntque.
Num vada subnatis imo viridentur ab herbis.

77. *Naribus auras.* Noster in Cyneg. vers. 239, *celsisve adprensat naribus auras.* Ubi et hunc locum explicui, pag. 195. IDEM.

79. *Et produnt clamore feram.* Loquitur enim hic de canibus agminatim indagantibus, qui non quidem semper ἅμα ὑλακῇ διαθέοντες indistincte et indesinenter latrant; sed tum demum, quum ad cubile pervenerunt, *Clamore feram produnt.* Hoc est, quod expressit Maro in Georg. III, 411: *Volutabris pulsos silvestribus apros Latratu turbabis agens* etc.

80. *Effugit armis.* Si fera dominum effugerit. GESN. Locus mendosus: puto, *quæ si collatis effugit armis:* ut ad feram referatur. H.

82. *In arte labor.* Non quod venatio pedestris in viribus magis, quam arte consistat; sed quia initio καρτερβάστως dixerat reliqua animalia terrestria suo quodam instinctu agi, quæ ipsa natura *monet*, vel sequendo, vel cominus depugnando, venari; quumque pisces jam vafritie quadam aut hac, aut illac excellere docuerit, ideo jam subjicit, *arte* adversus eos utendum, qui non natura sua, aut viribus, aut fuga, sibi semper consulunt, sed insuper ingenio et fraudibus certant. Hic sensus totius digressionis, et hujus ἐπεισόδου. IDEM. — *In illa.* Cane; est enim dubii generis apud Græcos pariter et Latinos. GESN.

86. *Aspera.* Deest verbum *aspice*, vel simile. IDEM.

87. *At purum retia litus.* Verbum, *deposcit*, hic subaudies. Describit autem qualia esse oporteat loca, in quibus homines piscentur, et quibus uti debeant instrumentis. CIOF. — *Purum.* Sine saxis et algis. MSS. *pucrum:* id est *pulchrum*, vel *curvum.* VLIT.

89. *Quidam.* Pisces, scilicet.

90. *Num vada.* Post hunc deest versus talis, aut similis:

In fundo, soleatque illic se pascere piscis.

. . . . . .

Objectetque moras, et molli serviat algæ.
Descripsit sedes varie Natura profundi;
Nec cunctos una voluit consistere pisces.
Nam gaudent pelago, quales Scombrique, Bovesque,
Hippuri celeres, et nigro tergore Milvi;
At pretiosus Helops, nostris incognitus undis;
Ac durus Xiphias, ictu non mitior ensis;

Ex Oppian. Hal. 102, supplevit Vlitius hoc modo :

Gurgite : limosa num quis pascatur arena.

92. *Descripsit sedes varias. Varie* Thuan. ut supra :

... Nam varie quidam fugiuntque petuntque.

An *Dissepsit*, ut in Metam. lib. I? sed nihil temere muta : vide Gifan. Ind. Lucret. HEINS.

94. *Scombrique.* Idem, *Scombrus*, Latio. Σκόμβρος, Græce : *Macarello*, Italice. Marinus in arenosis litoribus est. CIOF. — *Bovesque. Boves* Oppianus collocat in cœno maris. G. De Bobus, Ælianus, lib. I. c. XX. C.

95. *Hippuri celeres. Hippurus* a caudæ equinæ similitudine nomen accepit, pinna scilicet a capite ad caudam deducta, quæ caudæ equinæ simillima est : hieme latitat ; æstate tantum capitur ; carnivorus est, nostris litoribus ignotus ; Hispanis cognitus, a quibus vocatur *Lampuga.* Giscaf. CIOF. — *Milvi. Milvus*, Latine. Ἱέραξ, Græce. *Rondina*, Italice. Pelagius ; altius volat, quam hirundo, et ad lapidis jactum : id autem solet facere, dum timet : it gregatim ; licet edentulus sit, carnivorus tamen est; linguam igneam, rubicundam et splendentem habet. IDEM.

96. *At pretiosus Helops, nostris incognitus undis.* Plinius nullum ordinem sequitur, quanquam pleraque expressit ; sed post alios, qui hic sequuntur, de Helope ita enotat : *Helopen quoque dicit esse nostris incognitum undis.* Quintilianus lib. V, ex Nostro etiam habet : *nec Helopen nostro mari ducas.* An ergo in Ponto tantum nasci credidit Plin. ? Dixerat enim : « His adjiciemus apud Ovidium posita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur, sed fortassis in Ponto nascuntur. » Triplici errore. Non Ovidii hæc sunt, sed, si quid probavi, Gratii. Nec hic tantum Helopis mentio ; sed et Aristoteles, et Hesiodus Scuto Herculis Ἕλλοπας ἰχθῦς indigitavit. Denique non in Ponto, sed in Pamphylio tantum mari capitur, testibus Columella et Æliano. In eo quoque fallitur, quod lib. IX, c. 17, dicat de Acipensere : « Nullo in honore est, quod quidem miror, quum sit rarus inventu : quidam eum Elopen vocant. » Nostro contra est, *pretiosus Helops ;* qui et πολυτίμητος, Epicharmo ; sed ipse sibi etiam obloquitur Plinius, ut ostendam ad vers. ult. VLIT.

97. *Xiphias.* Plinio, cap. XLIX, libro IX. *Trygon* vocatur. De quo Ælianus lib. IX, cap. XL, et lib. XIV, cap. XXII. Oppianus lib. II. Latine, *Gladius ;* Italice, *Pesce spada.* Gis-

Et pavidi magno fugientes agmine Thunni :
Parva Echenëis adest, mirum! mora puppibus ingens :
Tuque comes ratium, tractique per æquora sulci,
Qui semper spumas sequeris, Pompile, nitentes :
Cercyrosque ferox, scopulorum fine moratus :
Cantharus, ingratus succo : tum concolor illi
Orphas, cæruleaque rubens Erythinus in unda :
Insignis Sargusque notis, insignis et alis :

caserius. Pelagius est ; ad Cetaceam magnitudinem pervenit : rostro est mucronato, utramque maxillam rostratam habet : inferiorem tamen brevem, et triangularem : superiorem magis osseam, duriorem, longissimam, ensiformem. Ciof. *Ac durus*, bene scripti. Heins.

98. *Thunni. Thunnus*, Latine. θύννος, Græce. *Tonno*, Italice. Ubi primum natus est, Latinis *Cordila ;* ubi ad sex menses pervenit, *Pelamis ;* ubi ad annum, *Thunnus* dicitur : a verbo Græco θύνειν, quod est cum impetu promoveri : ubi major factus est, ὄρκυνος· in immensum auctus, κήτη. Giscaf. Ciof.

99. *Parva Echenëis adest, mirum! mora puppibus ingens.* Plinius ix, cap. xxv. « Est parvus admodum piscis, Echeneis appellatus ; hoc carinis adhærente, naves tardius ire creduntur, inde nomine imposito etc. ; ἀπὸ τοῦ τὰς νῆας ἔχειν. » Puto, *Parva Echineis*, *ut et*. Heins.

101. *Pompile.* Oppianus, i, 186, penultimam corripit : Ἐν κείνοις νεμέται καὶ Πομπίλος ὃν ποτε ναῦται ἄζονται. Gesn. De Pompili natura Ælianus lib. ii, capite xv, et lib. xiv, capite xxxiii ; Plinius lib. ix, cap. xv, et alibi. Hic autem piscis Neptuno sacer est, quod navigia ad portum usque sequatur.

102. *Cercyrosque.* Κέρκουροι Oppiano circa petras degunt. Apud Plin. circa finem lib. xxxii, perperam legitur, *Bobgyros.* MSS. *Cercyroesque :* Plinius ; *Cercyron in scopulis viventem.* Ita dudum ego, et pridem Gesnerus. Vulgo *Bopgyron :* monstrose. Forte : *Sævum Cercyrum ;* quia *ferox* hic dicitur a Nostro. Vlit. — *Cantharus.* De hoc pisce Ælianus lib. i, cap. xxvii.

103. *Tum concolor illi Orphas.* Plinius ex Ovidio nominat *Orphum rubentem*, *Rhacinumque pullum*, perperam, ut apparet ; nisi *coracinum* legas *pullum ;* et forte carmen unum hic desit. Scio quidem etiam Orphum rubere. Græcis Ὀρφύς, vel Ὀρφώς Attice. Gesn.

104. *Erythinus.* Plinius lib. ix, cap. xvi et lii et alibi. Pelagius est Aristoteli : Oppiano vero litoralis : in mari tantum reperitur.

105. *Insignis Sargus.* Festus : *Sargus piscis genus, qui in Ægyptio mari fere nascitur.* Lucil. :

Quem præclarus Elops, quem Ægypto Sargu' movebit.

De Sargo Plinius quinque in locis, et Ælianus libro i, cap. xxiv ; litoralis, marinus ; Auratis, et Sparis fere similis, latior, rotundior tamen est : bis parit, Vere, et Autumno : plures habet uxores, et

Et super aurata Sparulus cervice refulgens;
Et rutilus Pagur, et fulvi Synodontes, et ex se
Concipiens Channe, gemino fraudata parente.
Tum viridis squamis, parvo Saxatilis ore,
Et rarus Faber, et pictæ Mormyres, et auri
Chrysophrys imitata decus : tum corporis Umbræ
Liventis, rapidique Lupi, Percæque, Tragique.

pro iis certamen init : caprarum est amantissimus. Mulli lutarii reliquias sequitur. VLIT.

106. *Sparulus.* Sparus Auratæ simillimus est, adeo ut etiam piscatoribus frequenter imponat. Verum rotundiore, minore, et magis compresso est corpore. GISCAF. — *Et rutilus Pagur. Pager* vel *Pagrus*, Græcis, φάγρος, quod voracissimus sit ; ab Erythino diversus est, ut notat Rondeletius : distinguitur magnitudine corporis, et latitudine, et rostri figura. Fallitur Jovius, qui Pagrum eum esse existimat, qui vulgo Romanis *Fravolino*, et Gallis Narbonensibus *Fragellus* vocatur, quum iis potius Erythinus sit. CIOF.

107. *Et fulvi Synodontes.* Συνόδους, συνάγρις, χάραξ, et Latinis *Dentix*, eumdem piscem significant ; nomen enim ab extantibus, et prominentibus dentibus impositum est. Romanis *Dentale.* Giscaf. De eodem Ælianus libro I, cap. XLIX. CIOF.

108. *Et ex se Concipiens Channe gemino fraudata parente.* Idem tradit Plinius lib. IX, cap. XVI, et lib. XXXII, cap. ult. IDEM.

110. *Et rarus Faber. Faber* is est, qui χαλκεὺς Græcis, vel τευς. Plinio *Faber* dicitur : Romanis *pesce S. Pietro :* Gallis *Dorce.* Captus grunnit suum more : Romæ in foro piscario frequens est. C. — *Et pictæ Mormyres.* Mormures *gazæ* dicuntur : Græcis μόμυροι, vel μόρμυλοι. Quod etiam nomen hodie Romani imitari videntur, a quibus *Mormilli* vocantur. Lyncis pullis in lateribus parallelis insignis est, unde ab Ovidio pictæ dicuntur. Giscaf. CIOF.

111. *Chrysophorus. Aureique coloris Chryson :* apud Plinium non recte pro, *Crysophryn.* GESN. *Aurata*, Latine : *Orata*, Italice. Litoralis, marinus, et in marinis stagnis capitur ; æstate mediis fervoribus, diebus circiter sexaginta, ut Glaucus, et Asellus, latet ; hieme etiam laborat ; solum carne vescitur ; timidissimus est. CIOF. — *Umbræ.* Umbram alii saxatilem faciunt, et alios quoque ex his, quos Ovidius hic pelagios facit, ut Merulam, Scorpium : litorales vero Melanurum et Mormylum. Lupos circa ostia fluminum etc. GESN. — Σκίαινα, Græce, quod suo natatu oculos effugiens piscis umbra potius, quam verus piscis intuentibus appareat. Ausonius : *Effugiens oculos celeri levis Umbra natatu.* Marinus piscis est, loca saxosa, et herbis virentia incolens ; carnivorus est, et solivagus. CIOF.

112. *Percæque.* Plinius, libro IX, cap. XVI, et Ausonius in Mosella, ubi ita scribit v. 115 :

Nec te delicias mensarum, Perca, silebo
Amnigenos inter pisces dignande marinis.

Quin laude insignis caudæ Melanurus, et ardens
Auratis Muræna notis, Merulæque virentes,
Immitisque suæ Conger per vulnera gentis;
Et capitis duro nociturus Scorpios ictu,
Ac numquam æstivo conspectus sidere Glaucus.
At contra herbosa pisces laxantur arena,
Ut Scarus, epastas solus qui ruminat escas;
Fecundumque genus Mænæ, Lamyrosque, Smarisque,
Atque immunda Chromis, merito vilissima Salpa :

— Pergit cum Nostro Plinius : *Præterea parvum Teragum, et placentem cauda Labrum.* In his ego invicem Gesnerum prævertam. Ille ex Plinio superiore versu legebat : *Tum viridis Teragus parvo saxatilis ore.* Ego contra monstra illa non hinc modo, sed et ex Plinio exstirpanda censeo, quem ita emendo : *Præterea Percam, Tragum, et placentem cauda Melanurum*; quibus vestigiatim Nostrum expressit. Qui vero *parvum Tragum* potuit dicere, quem ne fando quidem cognoverat, ut ipse fatetur, quumque nihil tale quid hic de magnitudine ejus traditum invenisset? Vlit. — *Tragique.* Oppiano Mænæ et Tragi in cœno maris degunt. Gesn.

113. *Laude insignis caudæ Melanurus.* Aliter videtur tradere Ælianus, libro I, cap. 43. Ciof.

114. *Merulæque virentes.* Idem eodem lib. cap. XIX, ejus mentio est apud Plinium. — MSS. *Munera notis merelateque.* Vlit.

115. *Conger.* « Congri (inquit Gesnerus ad hunc locum) se invicem maxime vorant, auctore Aristotele. » Si id verum est, leg. *Immitisque suæ c. p. v. genti.* Sed quum id apud neminem, nec quidem in Aristotelis lib. inveniam, præplacet mihi lectio, quam Pithœus edidit ex MSS. *cancer;* præsertim quum Scorpius sequatur. Reliqua tamen in mendo cubant. Forte : *suæ per vulnera chelæ.* Vel, si de Congro loquitur : *sui per vulnera dentis.* Vl.

116. *Et capitis duro nociturus Scorpius ictu.* Ciacconus legit, *Et captus duro* etc., probabilis admodum conjectura : utpote quæ eædem pæne litteræ sunt, et sensus talis requiritur; Scorpii autem non semel mentio est apud Ælianum, et apud Plinium lib. IX, cap. LI.

117. *Æstivo sidere.* Exorto Cane, id est, quo usque in cælo Canis conspicitur. — De Glauco Ælianus cap. XVII, libro I; sed ne verbum quidem de hoc, quod hic Ovidius.

119. *Ut Scarus, epastas solus qui ruminat escas.* Idem auctor libro II, cap. LIV, ubi, quod poeta noster hic adfirmat, se ab aliis accepisse testatur : idem fere Plin. IX, c. XV, et alibi.

120. *Smarisque.* De hoc pisce Plin. libro XXXII, cap. ult. *Smyrusque,* alii legebant. *Meryxque* alius. Heins.

121. *Salpa.* Σάλπη, Græce : *Salpa*, Italice. Marinus piscis est, et in marinis lacubus vivit, et herbosa arena laxatur : autumno tantum parit, sicut et Sargus; clarissime audit; erro non est, stercore, et alga vescitur. Ciof.

Atque avium dulces nidos imitata sub undis;
Et Squalus, et tenui suffusus sanguine Mullus:
Fulgentes Soleæ candore, et concolor illis
Passer, et Adriaco mirandus litore Rhombus:
Tunc Epodes lati, tum molles tergore Ranæ.
Extremi parent . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
Lubricus et spina nocuus non Gobius ulla,
Et nigrum niveo portans in corpore virus

122. *Atque avium dulces* etc. Sola Phucis est, quæ in aquis nidificat. Arist. lib. VIII, fine: Μονὴ δὲ Φυκὶς τῶν θαλαττίων ἰχθύων στιβάδας ποιεῖται etc. Quæ ita vertit Plinius, lib. IX, c. 26: *Eadem piscium sola nidificat ex alga, atque in nido parit.* Lego itaque hoc loco: *Atque avium Phycis nidos imitata.* — Ingeniosissime Vlitius, qui videtur felix tam hoc, quam aliis hujus poematii locis egregie a se illustratis: sub nomine *dulcis* latet nomen piscis. Heins. — Harduinus ad Plin. lib. IX, cap. 26, legit etiam: *Atque Avium Phycis nidos imitata sub undas.* Perinde quasi Vlitii notas numquam inspexisset; sed sic solet.

123. *Et Squalus* etc. Ita Gesnerus et recentiores. Edd. Ald. et Pith. *et Squalus tenui.* Nam prima potius producenda est, sive ex κίφαλος contrahitur, quod Gesnero visum; sive, ut verisimilius, a *squaleo.* MSS. *Et squa et tenui.* Hic itaque malim: *Et squatus et tenui.* Et *squalum* supra ad vs. 118, relegare: *Squali, Scombrique, Bovesque. Squatus* autem idem, *qui squatina,* ut ostendit Gesn. Vlit. — *Mullus.* Græce, τρίγλα: Itâlice, *Triglia.* Pelagius est Galeno: Aristoteli vero, litoralis: Oppiano autem saxatilis dicitur: parit ter in anno: Dianæ sacrificabatur. Oceanus Septemtrionalis, et Occidentalis hunc non gignit. Carne, alga, concha, et cœno vescitur. Leporem marinum insequitur: homini nocuus, et eo vescitur. Ciof.

124. *Soleæ.* Hujus item piscis creberrima apud Plinium mentio. Id.

125. *Passer.* In cœno degit. Oppian. — *Rhombus.* Juven. Sat. IV, 39: Incidit Adriaci spatium admirabile Rhombi.

126. *Tunc Epodes lati.* Sic etiam Plinius nominat ex Ovidio. Ex aliis (quod sciam) nemo hoc nomen posuit. *Lopidæ* vulgo dicuntur pisces quidam plani et lati. G. — MSS. *Lepores læti.* Plin. excerpsit, *Epodes lati generis.* Vlit. — *Ranæ.* Ranas marinas de piscium genere intelligo. G.

127. *Pascunt.* Ald. *extremi pas.* * MSS. et Pith. *extremi pareuc.* * Ego reliqua ex Oppiani Hal. I. initio ita supplevi:

Extremi pascunt, propter confinia ripæ,
Aut fixæ scopulis hærent, Pernæque Sudesque.

Pernæque Sudesque ex Plinio, qui hinc citaverat, in locum hunc postliminio restitui. Vlit.

128. *Gobius. Gobii* vel *Cobii* in petris et arenis degunt Æliano. *Lubricus* Gobii epitheton dixerim: quamquam *Olisthos,* id est lubricus

Lolligo, durique Sues, sinuosaque Caris : 130
Et tam deformi non dignus nomine Asellus :
Tuque peregrinis, Acipenser, nobilis undis.
. . . . . .

sui generis, piscis est Oppiano prope ostia fluviorum. Gesn.

130. *Lolligo.* Pelagia est Lolligo magna. Gesn. Plinius multis in locis: Ælianus, in libri IX capite LII. Ex mollium genere, sicut Polypus, et Sæpia : proprium habet, inter mollia ut volet, et volitans Conchæ adhærens, et ita affixus, aut arena sese suburrans, tempestatis signum est : vivendi spatium tam Sæpiæ, quam Lolligini breve est. Namque paucis excerptis, bimatum non complent : numquam illi deest copia atramenti ; suis promuscidibus pisces venatur. Ciof. — *Durique Sues. Dirique* passim citat Gesnerus. Vlit.—*Sinuosaque Cets.** Præclare, ut omnia, hoc vulnus sanavit Pantagathus ; legit enim, *Cestra.* Est autem Cestra, piscis, quæ in capite habet duos aculeos, quibus Thynnum vel maximè infestat, ac persequitur. Aldus Aldi N. reponebat, *Thessa;* quo de pisce Plinius, lib. XXXII, cap. XI. Ciof. *Caris*, libri scripti, et Pithœus.

131. *Et tam deformi non dignus nomine Asellus.* Duo Asellorum genera : primum, ὄνους, Plinio *Bacchus* vocatur ; hi in alto mari capiuntur : alterum genus, *Gallarius* dicitur : litoralis est ; latet plurimum temporis. Ciof.

132. *Tuque peregrinis, Acipenser, nobilis undis.* De Acipensere Plinius lib. IX, cap. XVII, et alibi. Italice, *Storione*, Gallice, *Esturgeon.* Sensit mecum clarissimus Muretus : et alii viri eruditissimi, inter quos Rondeletius, cap. ult. lib. XIV, id litteris consignarunt. At aliter Giscaferius, qui hæc notat in hac secunda editione. De Acipensere, inquit, varia est inter scriptores sententia, quisnam sit, et quo apud nos vocetur nomine. Jovius eumdem esse vult cum Ellope ; *le Lézard ;* idque probare contendit nonnullis argumentis. Rondeletius diversos esse inter se existimat ; Ellopenque squamosi, Acipenserem mustellini generis ; eumque esse, qui apud nos Sturio vocatur : quod quidem non paucis rationibus et auctorum testimoniis confirmat. Paulus tamen Jovius Silurum Sturionem esse nostrum arbitratur. In hac tam ancipiti pugna perdifficile est nosse in utram magis partem inclinet victoria. Hoc tamen animadvertendum existimo, mirum videri Acipenserem ab Ovidio peregrinum vocari, si noster Sturio sit, quum non procul a mœnibus Urbis in Tiberi, vere et æstate Sturiones laudatissimi frequenter capiantur. Hoc autem argumento facile credi posse alium esse Acipenserem, qui e remotis maribus Romam vehi solitus esset. Ciof.

ARGUMENTUM NUCIS.

EX ANTHOLOG. GRÆCA. I. C. 20, EPIGR. I. BRUNCK. ANAL. I, P. 173.

Εἰνοδίην καρύην με παρερχομένοις ἐφύτευσαν
Παισί, λιθοβλήτου παίγνιον εὐζοχίης·
Πάντας δ' ἀκρέμονάς τε καὶ εὐθαλέας ὀροδάμνους
Κέκλασραι, πυκιναῖς χερμάσι βαλλομένη.
Δένδρεσιν εὐκάρποις οὐδὲν πλέον· ἦ γὰρ ἔγωγε
Δυσδαίμων ἐπ' ἐμὴν ὕβριν ἐκαρποφόρουν.

Quod Epigramma, sive Platoni, sive Antipatro Sidonio tribueris (nam inter utrumque disceptatur), nullus tamen negaveris quin hinc effluxerit Elegiæ subsequentis argumentum, quod juvenili more, et primo luxuriantis ingenii impetu amplificatum, in carmen excrevit non fere minus quam ducentos versus complectens. — Græcum sic vertit Alciat. in Emblem.:

Ludibrium pueris lapides jacientibus, hoc me
In trivio posuit rustica cura Nucem:
Quæ laceris ramis, perstrictoque ardua libro,
Certatim fundis per latus omne petor.
Quid sterili posset contingere turpius? eheu!
Infelix fructus in mea damna fero!

NUX,

ELEGIA.*

Nux ego juncta viæ, quum sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.
Obruere ista solet manifestos pœna nocentes,
Publica quum lentam non capit ira moram.
Nil ego peccavi; nisi si peccare vocatur,
Annua cultori poma referre suo.
At prius arboribus, tum quum meliora fuere
Tempora, certamen fertilitatis erat.
Quum domini memores sertis ornare solebant

* Sunt qui asserant, hoc opusculum de *Nuce* falso adscribi Nasoni: ego vero, ut non negarim, Ovidium juvenem, et adhuc tironem in Musarum militia, hæc quasi sui præexercitamenta scripsisse, meliora quidem futura, si in provectiorem ætatem distulisset; sic ipsius, non alterius poetæ partum esse asseverarim, quod ex dicendi charactere quivis, vel mediocriter eruditus, deprehendere poterit. M.

1. *Nux ego* etc. Contigit hoc fortuna quadam huic Elegiæ, ut interpretem nanciscerétur virum sæculi decimi-sexti lumen ingens et decus, Desider. Erasmum; qui si tales in Ovidium omnem curas extendisset, vix equidem sentio quid agendum posteris reliquisset. Jam ab hoc versu primo, leonis unguem sentias, in exponendo qua potissimum arte Noster lectorem secum in rem mediam rapiat; et, omissis quibuscumque præludiis, id statim de quo agitur det intelligendum. — *Juncta viæ*. Proxima, contigua.

2. *Petor*. Percutior. Val. Maxim. lib. v, cap. III. *Lycurgus sæpe lapidibus petitus est.*

3. *Obruere*. Proprie. Dicitur enim elegantissime, saxis et lapidibus aliquem *obruere*.

5. *Nisi si peccare fatemur. Vocatur* prætuli: eadem varietas II, Pont. II, 19:

Utque magis cauti possunt timidique videri.

Ubi *vocari* codd. nonnulli. *Peccare* etiam pro peccato, Terent. Andr. act. v. sc. 3. v. 55. *Si id peccare est, fateor id quoque*. Unde hic *fatemur* posset defendi. Nec tamen *docetur* admodum displicet, ut sit pro ostenditur, probatur: ita Terent. Adel. I, 2, 45, *te plura in hac re peccare ostendam*.

6. *Referre suo*. *Meo*, Bodleianus a manu secunda.

9. *Quum domini memores sertis* etc.

Agricolas, fructu proveniente, Deos.
Sæpe tuas igitur, Liber, miratus es uvas:
Mirata est oleas sæpe Minerva suas.
Pomaque læsissent matrem; ni subdita ramo
Longa laboranti furca tulisset opem.
Quin etiam exemplo pariebat femina nostro;
Nullaque non illo tempore mater erat.
At postquam platanis, sterilem præbentibus umbram,
Uberior quavis arbore venit honos;
Nos quoque fructiferæ, si nux modo ponor in illis,

Memores scilicet tunc agricolæ, cui Deorum arbor unaquæque erat sacrata, Deum hunc, id est, ipsam arborem, sertis ornabant, quum fructuum proventus votis respondisset. Hinc Liber *suas* uvas, et oleas Minerva *mirabantur.*

10. *Agricolas. fructu proveniente, Deos.* Lege, *Agricolas Deos*, quicquid libri veteres dissentiunt. Met. VIII, 226:

Cœptus ab agricolis superos pervenit ad omnes
Ambitiosus honos.

Posset et *Agricolam Deum* legi; quemcumque Deum agricolam. Sic Tibullus, libro I, Eleg. I, 19:

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum *agricolæ* ponitur ante *Deo.*

Ubi nihil mutandum: quamquam *Agricolas ante Deos* nonnulli legunt: aut si quid mutetur, pro *libatum*, libens reponam, *libandum.* — *Proveniente.* Bersmannus explicat *præcoci fructu:* sed quis ita veterum loquitur? *provenire*, *proventus* millies de fertilitate tam hominum et animalium, quam agrorum apud veteres occurrit. BURM. — *Præveniente* est vetus lectio.

12. *Oleas.* Pro olivis dixit. Contra Maro in Bucol. *olivam* pro olea, inquiens: *Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.* Est enim *olea* arbor, *oliva* bacca. Licet hic in proprio quoque significatu pro arbore dictum accipere possimus. Sed melior tamen prior sententia: nam supra non vites, sed uvas dixit. MAR.

13. *Matrem.* Arborem scilicet, quæ poma tulit, quorum pondere oppressa fuisset, ni etc. Ita Plin. libro XII. *Rami in excelsum emicant, sylvosa multitudine, vasto matris corpore.*

14. *Longa laboranti ramo.* Fatiscenti, præ multitudine fructuum. Sic alibi Noster, Remed. Am. 175:

Aspice pomorum curvatos pondere ramos,
Ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus.

16. *Nullaque non illo tempore mater erat.* In mores ætatis suæ, data occasione, erumpit; et feminas tangit, quæ non modo non *fertilitatis honorem* expetebant, sed et conceptos fœtus nefandis artibus in ipso sæpe utero necabant.

19. *Nos quoque fructiferæ. Frugiferæ* scripti plerique; nec respuendum. Jurisconsulti certe tam *frugiferas* arbores, quam *fructiferas* agnoscunt. *Frugiferarum* Columella

Cœpimus in patulas luxuriare comas.
Nunc neque continuos nascuntur poma per annos;
Uvaque læsa domum, læsaque bacca venit.
Nunc uterum vitiat, quæ vult formosa videri:
Raraque in hoc ævo est, quæ velit esse parens.
Certe ego, si numquam peperissem, tutior essem.
Ista Clytemnestra digna querela fuit.
Si sciat hoc vitis, nascentes supprimet uvas;
Orbaque, si sciat hoc, Palladis arbor erit.
Hoc in notitiam veniat maloque pyroque;
Destituent silvas utraque poma suas.

non semel meminit. Tacitus de Germania: *Satis ferax, frugiferarum arborum impatiens.* B. — *Si nux modo ponor in illis.* Modeste nimium vix se inter *fructiferas arbores* ponit recensendam. — *Ponor. Ponar* Regius et duo alii.

20. *Luxuriare.* Eleganter hoc de arboribus late crescentibus. Sic XIV, Met. 629:

Qua modo *luxuriem* premit, et spatiantia passim
Brachia compescit.

21. *Nunc neque.* Maluerim, *hinc neque:* causam reddit infœcunditatis. HEINS.

21–22. *Continuos per annos.* Non uno quoque anno, ut quondam. — *Uvaque læsa, læsaque bacca. Læsas* dicit, quia jam non Baccho nec Minervæ soliti honores persolvuntur; neglectique Dei suas quoque arbores negligunt: unde fit ut nec *uva* nec *bacca domum*, id est apud agricolam, adferantur.

23. *Nunc uterum vitiat* etc. Varie exhibent codices hunc locum: *nunc uterus vitii est*, Regius et tres alii; *nunc mulier vitio est*, Palatinus: *uterum servat*, Mentel. Schottus, lib. II, Obs. 43, e membranis legit, *nunc uterus vitis*, quod in Lovaniensi est; sed præfero receptam a viris doctis, et de abortu intelligo, qui medicamentis curatus, vitiat uterum, ne facile iterum concipiat. B.

25. *Certe ego. Ecce ego*, Junii cod.

26. *Ista Clytemnestra digna querela fuit. Tutior* etenim, si nunquam *peperisset* Clytemnestra, quæ Orestem tulit, a quo postea interempta fuit. Sed juste minus, quam Nux, questa fuisset, quum, occiso conjuge, scelus ipsa scelere provocaverit.

27. *Nascentes supprimat uvas.* Vel in ipso nascendi tempore *premat;* enasci vetet. Jam de verbo hoc *supprimere* diximus, eo sensu accipiendum.

28. *Orbaque... Palladis arbor erit.* Ipsam se fructibus suis *orbaret.*

29. *Hoc in notitiam veniat* etc. Discant hinc (ex iis quæ patior), quid ipsis servetur; et mox quos ferunt fructus, arbores suas *destituent*, quæ nihil tunc aliud quam *silvæ*, et *inutile lignum*, focis *destinatum.*

30. *Utraque poma suas.* Post hunc versum in multis codicibus adscripti erant ineptissimi quidam versus,

Quæque sibi vario distinguit poma colore,
  Audiat hoc cerasus, stipes inanis erit.
Non equidem invideo : numquid tamen ulla feritur,
  Quæ sterilis sola conspicienda coma est?
Cernite sinceros omnes ex ordine truncos,
  Qui modo nil, quare percutiantur, habent.
At mihi sæva nocent mutilatis vulnera ramis;
  Nudaque decerpto cortice ligna patent.
Non odium facit hoc, sed spes inducta rapinæ.
  Sustineant aliæ poma; querentur idem.
Sic reus ille fere est, de quo victoria lucro
  Esse potest : inopis vindice facta carent.
Sic timet insidias, qui scit se ferre viator,

quæ Monachorum sordes facile produnt :

Audiat hoc prunus, dare desinet utile munus:
  Audiat hæc cerasus, stipes inanis erit.
Audiat hæc ficus, ficu privabit amicum
  (*vel* amicos.)
Escule, ne parias! ne quoque tu pereas.
Fraxinus horroris causam quum vestit honoris...

Et hæc ipsa etiam diverso modo leguntur in codicibus, et multa etiam deesse hujus poetastri, indicium dabat Junianus codex, ubi inter primum et secundum versum intervallum erat, unde excidisse quædam constat. Burm.

31. *Vario colore.* Sic *variæ uvæ* apud Columellam. — *Distinguit. Vestit sua poma colore*, Lovan.

35. *Sinceros.* Id est integros et illæsos. Ovid. IV, Pont. IX, 10 :

Et mea *sincero* curreret axe rota. Douza.

Male unus codex, *securos.*

37. *Sæva nocent. Sæva nocent nudatis vulnera.* Francof. non male.

38. *Decerpto.* Licet nonnulla ex manuscriptis exemplaribus habeant *detecto*, tamen legendum omnino est, ut in pluribus exemplaribus legitur, *decerpto :* quod participium ante oculos ponere videtur vulnera illa, quæ cortice illiso et detracto a saxis carptim inferuntur arboribus. Mar.

39. *Sed spes inducta rapinæ. Indicta* Mentelii liber : alius *illustra*, *indulta* Fabricii codex. Heins.

40. *Querentur. Querantur* Regius et alius : *queruntur*, Lovan.

41. *Sic reus. Fit reus ille fere* ex Vaticano legebat olim Heinsius. Sic *facere reum* Suet. Tib. 8, et passim alii. — *De quo victoria lucro.* In multis legitur, *victoria læta*, etiam in MSS. unde suspicor lectionem ab alio emendatam : *læta* autem, lucrosa, triumpho digna. Fabr.

42. *Inopis vindice facta carent.* Non est qui pauperem ab injuria vindicet, tueatur.

43. *Qui scit se ferre viator, Quod timeat.* Aut legendum est, *cui timeat*, aut *quod* positum est pro quare; ut, *non est quod metuas.* Erasmus. Maff. liber, *Cur timeat.* Vere.

Quod timeat : tutum carpit inanis iter.
Sic ego sola petor, soli quia causa petendi est :
Frondibus intactis cetera turba virent.
Nam quod habent frutices aliquando proxima nobis
Fragmina, quæ læso vimine multa jacent;
Non istis sua facta nocent : vicinia damno est.
Excipiunt ictu saxa repulsa meo.
Idque fide careat; si non, quæ longius absunt,
Nativum retinent inviolata decus.
Ergo, si sapiant, et mentem verba sequantur,
Devoveant umbras proxima quæque meas.
Quam miserum est, odium damnis accedere nostris;
Meque ream nimiæ proximitatis agi!
Sed, puto, magna mei est operoso cura colono.
Invenias, qui det nil mihi, præter humum.
Sponte mea facilis contemto nascor in agro :

44. *Tutum carpit inanis iter. Inanis* viator, qui nihil fert secum, unde a latronibus impetatur. Eodem sensu *vacuus*, apud Juv. Sat. x, v. 22: Cantabit *vacuus* coram latrone viator.

45. *Soli quia causa. Soli mihi causa* Neapol. *quia fructus causa*, alius. — *Petendi* passive dixit : causa cur *petar*. Eras.

46. *Virent. Virent*, Ambrosianus.

47. *Nam quod habent frutices aliquando proxima nostro.* Pro *aliquando*, legendum *alii quoque*, cum Moreti codice. Lovaniensis ex nostris, et Fabricii codex, *alioquin*. H.

48. *Fragmina, quæ, læso* etc. Ramos intellige, qui saxis petiti, in illos ex arbore vicina resultantibus, *fracti* circa Nucem ipsam jacent. — *Læso vimine.* In codice Moreti, *quod multo vimine læsa jacent* : unde Heinsius, *mutilo*. In Lovan. *læso vimine juncta* : forte, pro, *læso vimine trunca jacent* : vel, *quod læsæ vimina juncta jacent; læsæ* scilicet mihi. Burm.

53. *Ergo si sapiant* etc. *Si mens* igitur arboribus illis; si quid possent capere mente, et *mentem* hanc verba, quibus, quid sentiant, exprimerent, sequerentur, sapienter faciant, fatalem hanc ipsis vicinitatem Diris devovendo.

55. *Odium damnis accedere nostris.* Eleganter in uno codice, *accrescere* : de qua voce, cum τῷ *accedere* confusa, vide Heins. ad Val. Flac. lib. 1, 178.

58. *Invenias.* Vetusta editio cum Mediceo codice, *Invenies quod det nil mihi* : alia cum tribus scriptis, *Invenias dederit quid mihi* : unus, *Invenies dederit quid mihi* : alius, *Inveniat* : duo, *Inveniat si quid det*

Parsque loci, qua sto, publica pene via est.
Me, sata ne lædam, quoniam sata lædere dicor,
Imus in extremo margine fundus habet.
Non mihi falx nimias Saturnia deputat umbras:
Duratam renovat non mihi fossor humum.
Sole licet siccaque siti peritura laborem,
Irriguæ dabitur non mihi sulcus aquæ.
At quum maturas fisso nova cortice rimas
Nux agit, ad partes pertica sæva venit:
Pertica dat plenis immitia vulnera ramis;
Ne possim lapidum verbera sola queri.
Poma cadunt, mensis non interdicta secundis:
Et condis lectas, parca colona, nuces.
Has puer aut rectus certo dilaminat ictu;

mihi. Lege, *Invenias, qui det nil mihi, præter humum*: nam in uno Vaticano, *Inveniet qui det nil*. H. Recte, *invenias*, Heinsius: nam ita solet Noster.

61. *Quoniam sata lædere dicor*. Callide, nec inficiatur, quod manifestum est: nec agnoscit, quod erat obfuturum. ERASM.

62. *Imus. Imus fundus*, pro *ager postremus;* quomodo *Faber imus*, in extrema vici parte habitans, apud Horat. in Art. Poet. Sic *prima fabula, extrema platea, medius Janus*.

63. *Non mihi falx nimias Saturnia* etc. Non hic *Saturnia falx* insigne *Temporis*, Κρόνου; sed Saturni, ut pote cui vitis et frugum disciplina competeret.

66. *Sulcus aquæ*. Multi libri, *succus:* nil muta. In tribus erat, *rivus*.

68. *Pertica sæva. Longa*, duo libri: ut in istis Ovidii, III, Fast. 117: Pertica suspensos portabat *longa* maniplos. H. *Scæva* Palat. et mox Neapolit.

70. *Ne possim. Nec possim* Bers. Ed. *nec possum*, Lovan.

71. *Mensis non interdicta secundis*. Fuit tempus, quum non modo non *interdicta* nux *mensis secundis*, quæ, sublatis primis, eleganti apparatu instruebantur; sed et ipsis *ornamento* erat. Horatius, Serm. libro II, Satyr. II, 121:

... Tum pensilis uva secundas
Et *nux ornabat* mensas, cum duplice ficu.

73. *Has puer* etc. Nihil addubito, quin Ovidius ita scripserit hoc carmen: *Has puer aut certo rectas dilaminat ictu*. Siquidem *dilaminare* dixit, pro in duas laminas diducere. Id fit quoties, solutis commissuris, finditur nux in duas partes. Unde paulo post laminam vocat putamen fissile. Illud interim erat artis, *certo* ictu tangere commissuram. Nam *dilaniandi* verbum, quod in Aldinis quoque codicibus legitur, etiam carminis ratio respuit. Porro quod ait, *Rectas*, opponitur illi

Aut pronus digito bisve semelve petit.
Quattuor in nucibus, non amplius, alea tota est;
Quum sibi suppositis additur una tribus.
Per tabulæ clivum labi jubet alter; et optat
Tangat ut e multis quamlibet una suam.
Est etiam, par sit numerus qui dicat, an impar:
Ut divinatas auferat augur opes.

quod mox sequitur, *Pronas*, hoc est, transversas. Suspicor autem hunc esse lusum, quo findimus etiam mala prædura. Imponitur index sinistræ mali pedunculo, et in hunc pugnus dexter subito impingitur. In impetu ac celeritate sita est victoria. Etenim si leviter impingas, et digitum offendis, nec findis malum. Erasm. — *Dilaniat* multi ex scriptis. Unde Erasmus, *dilaminat*: ingeniose; quomodo et codex Mediceus, cum prisca editione: etsi verbum id sit novum, certe *Laminam* nucis infra hic idem auctor appellat. Politianus conjiciebat *deliniat; delineat* Fabricius; *divulnerat* codex Patricii Junii: *disseparat* duo alii. Mureti, *delaniat*. Pro *rectas* etiam in multis veteribus, *lectas*. Puto scribendum, *sectas dilaminat*. Heins.

74. *Aut pronas*. Rectius *pronus*, cum Regio et Menteliano codice.

76. *Quum sibi suppositis*. Elegantissime descripsit aleæ illud genus, quum pueri castellatim sibi nuces construunt, quas procul distantes si everterint nuce emissa, quotquot eversæ fuerint, atque etiam quæ dispositæ sunt infra eversas, omnes lucrantur. Hinc quidam apud Tranquillum in Augusto cap. 83, legunt sic illud membrum: « Animi laxandi causa modo talis, aut *castellatis* nucibus ludebat cum pueris minutis. » Tranquilli tamen plura exemplaria, *Ocellatis nucibus*; id est, perforatis instar ocellorum, scriptum habent.

77. *Per tabulæ*. Altera ludendi species est, ut, dispositis in seriem nucibus, per tabulam declivem volvatur nux: quæ si tangat quam oportet, vincit qui misit. Erasm. — *Clivum*, declivitatem et descensum. Virgil. in Bucol. IX, v. 7: *Qua se subducere colles Incipiunt, mollique jugum demittere clivo*. Mar.

79. *Est etiam, par sit*. Sic hodie quoque ludentes pueros conspicimus. Nuces enim, quotquot voluerint, manibus premunt, et tanquam problema quisque compari suo proponens interrogat, par insit numerus, an impar: quod si ille divinaverit, omnes nuces aufert: sin minus, totidem amittit. Hujus ludi meminit et Flaccus in Sermonibus, dum pueriles ludos recenset, inquiens: *Ludere par impar, equitare in arundine longa*. Nec vero nucibus tantum aut castaneis ludere *par impar* soliti erant antiqui, sed etiam nummis. Legimus enim apud Tranquillum, Augustum sic ad filiam scripsisse: « Misi tibi denarios ducentos et quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter cœnam, vel talis, vel par impar ludere. » Idem.

80. *Ut divinatas auferat augur opes*. Ut tollat victor puer *opes*,

Fit quoque de creta, qualem cæleste figuram
Sidus, et in Græcis litera quarta gerit.
Hæc ubi distincta est gradibus, qui constitit intus,
Quot tetigit virga, tot rapit inde nuces.
Vas quoque sæpe cavum, spatio distante, locatur;
In quod missa levi nux cadat una manu.
Felix, secreto quæ nata est arbor in arvo;
Et soli domino ferre tributa potest!
Non hominum strepitus audit, non illa rotarum;
Non a vicina pulverulenta via est.

nuces scilicet! quarum numerum *divinando* conjecerat. Totus hic plenus elegantiæ locus; et varius semper poeta in describendo variios puerorum lusus, cum ipsis videtur colludere; neque ideo rerum gravitatem verbis usquam elevat.

81. *Fit quoque.* Tertium lusus genus describit. Ex creta pingitur ampla figura triangula, qualem habet apud Græcos Δέλτα majuscula forma scriptum. Eamdem figuram apud Ægyptios cursu suo facit Nilus: unde et loco nomen inditum. Et huic similis ostenditur in cælo super caput Arietis. Hac notant tres stellæ, duabus lineis æqualibus, tertia breviore: sed quæ in angulo stellam clariorem habeat, Græci δίλτωτον appellant. In lineis itaque pictis, certis intervallis, quos hic *gradus* vocat, disponuntur nuces. Puer qui stat in medio, jactu virgæ quot tetigerit, tot aufert. Erasm.

84. *Quot tetigit virga, tot capit ipsa nuces. Ipse* nonnulli, *ille* duo. Sed vetus editio, codex Regius, et Langermanni recte, *tot capit inde:* quare et in superiori versu scribendum, *qui constitit intus;* non, *quæ.* Heins. — Legebat vero Sentlebius:

... Quæ constitit intra
Quot tetigit virgas, tot *capit* inde nuces.

Et ita explicat: Delta Græcorum triangulari forma pingebatur, idque gradibus invicem distinguebatur. Colludentes ergo pueri procul stantes nuces singulas in Deltoton mittebant, et cujuscunque nux in illo schemate consistebat, tot lucrabatur nuces, quot tangebat virgas, seu lineas; si vero nux missa Deltoto penitus emigrasset, missio ista erat irrita, et alius ex sociis admittebatur. Recte, ut quidem puto, Sentlebius, qui uberius hunc locum illustrat: nam *consistere* nux dicitur, quæ e manu emissa et evoluta, quiescit et cursum finit, ut millies ea vox occurrit. Burm.

85. *Vas quoque.* Meminit hujus lusus et Persius: *Et angustæ collo non fallier orcæ.* Singuli pueri deponunt nuces aliquot in orcam, id est ollæ genus: deinde ex intervallo singuli per vices petunt os ollæ; qui solus, aut frequentius immiserit, aufert omnes nuces. Erasm. — Quamvis Scholiastes Persii, quisquis ille sit, huc referat, ad Talorum jactum est referendum.

90. *Non a vicina. Non est vicina*

Illa suo, quæcumque tulit, dare dona colono,
Et plenos fructus adnumerare potest.
At mihi maturos numquam licet edere fœtus;
Ante diemque meæ decutiuntur opes.
Lamina mollis adhuc tenero dum lacte, quod intro est;
Nec mala sunt ulli nostra futura bono:
Jam tamen invenio, qui me jaculentur; et ictu
Præfestinato munus inane petant.
Si fiat rapti, fiat mensura relicti;
Majorem domini parte, viator, habes.
Sæpe aliquis, foliis ut nuda cacumina vidit,

via duo libri : *non sibi vicina pulverulenta via* Regius, quod non displicebat Heinsio.

91. *Dare dona colono.* Emenda ex lib. Maff. qui fuit Pauli Marsii : *poma colono.* Ciof.

92. *Et plenos fructus adnumerare potest.* Proprie usus est verbo *adnumerandi.* Idem.

93. *At mihi maturos.* Rursus manuscriptum, *At mihi maternos:* quod sequentia declarant non plane esse ineptum; nam ad arbores transferri modo diximus. Fab.

94. *Percutiuntur. Decutiuntur* est genuina lectio e veteribus exemplaribus. Ciof. — *Ante diem nostræ dejiciuntur,* editio prima et duo scripti.

95. *Lamina mollis adhuc tenero dum lacte* etc. Dum succus est adhuc lacteus magis, quam nucleus. Sic de frumentis Virgil. Georg. I, 315, quum

... In viridi stipula *lactentia* turgent.

Lamina corticem designat, quæ *mollis* primum, et quasi *lactea*, sensim durescit, sitque maturitate lignum, et quidem durissimum.

97. *Invenio.* In quibusdam rectius, *invenias qui me jaculentur.* N. Multo rectius. — *Qui me jaculetur,* et mox *petat* Moreti codex : *jaculantur* et *petunt* Palatinus : *numen inane* etiam Moreti, quod pro *nomen inane*, ut sæpe alibi, positum videbatur Heinsio.

99. *Si fiat rapti* etc. Ut ubique, malum hic exaggerat, ex modo rapinæ. Non solum fraudatur dominus, sed plus aufert raptor; qui si dimidiam saltem, non vero *majorem* tolleret partem!

100. *Habes.* Lego ex MSS. *habet.* Mar. Ita et editi quidam; sed omnes fere libri scripti, *habes : domino* etiam Palatinus : unde tentabat Heinsius, *domina parte.*

101. *Ubi nuda cacumina vidit. Ut vidit* vetus editio et scripti nonnulli; et sequenti versu eadem editio cum Mediceo, *Boreæ frementis.* Heins. — *Fremere* et *furere* etiam confusa. Sic apud Virg. X, 603 :

... Torrentis aquæ vel turbinis atri
More *furens.*

Quidam codices, *fremens,* et apud Lucan. VI, 274 :

... Camulumque *furentem*
Undarum non passa.

Etiam *frementem* Rottendorfianus;

Esse putat Boreæ triste furentis opus.
Æstibus hic, hic me spoliatam frigore credit:
Est quoque, qui crimen grandinis esse putet.
At mihi nec grando, duris invisa colonis,
Nec ventus fraudi, solve, geluve fuit.
Fructus obest; peperisse nocet; nocet esse feracem;
Quæque fuit multis, et mihi præda malo est.
Præda malo, Polydore, fuit tibi: præda nefandæ
Conjugis Aonium misit in arma virum.
Hesperii regis pomaria tuta fuissent;

sed quum et sæpe venti *furere* dicantur, nihil est temere mutandum.

103. *Æstibus hic, hic me.* Odiosa repetitio et ingrata τοῦ *hic:* scribe cum Neapolitano:

Æstibus *hic, allus* spoliatam frigore credit. B.

Sic Metam. libro I, 293:

Occupat *hic* collem; cymba sedet *alter* adunca.

105. *Duris invisa. Magnis*, Bodl.

106. *Nec ventus fraudi. Fraus* verbum Juris. Alii perperam legunt, *damno:* quod glossema est. Terent. in Heautontim. act. III, sc. I, v. 33:

In eamdem fraudem ex hac re, atque ex illa incides.

— Septem scripti meliores cum veteri editione, *fraudi:* probe. Neque aliter ex suis Ciofanus.

107. *Fructus obest; peperisse nocet; nocet esse feracem.* Expressisse videtur ex Epigramm. græco, unde petitum duximus totius Elegiæ argumentum. Malim, *feraci*, si per libros liceat. Sic lib. IX, 477, Met. *verum nocet esse sorori;* et ubique fere, ut jam notavimus.

108. *Est mihi.* Querelæ magis convenit lectio manuscripti, *hei mihi præda malo est!* Convenit etiam exemplis tristibus Polydori Trojani, Amphiarai Thebani, Atlantis Libys. FABR.

109. *Præda malo, Polydore* etc. Vid. Euripid. Hecub. et Virg. Æn. III, 45. — *Præda nefandæ conjugis.* Eryphiles, quæ, accepto a Polynice monili, quod Hermionæ olim Venus dono dederat, Amphiaraum conjugem in bellum Trojanum immisit, quod ipsi fatale erat. Vid. Stat. Theb. II, 265; ibid. VII, VIII. *Aonium* autem dicit, quod et Apollineum, quia vates et augur celebris.

111. *Hesperii regis.* Moreti codex, *Hesperiique ducis:* quod nobis magis placet. Sic IV, Fast. 884, ex melioribus:

... Hæc contra dux ita Tuscus ait.

In aliis, *rex:* vid. ad Ep. XIII, 43. BURM. — *Hesperii regis* etc. Nota satis fabula de hortis Hesperidum. Marcus autem Varro mala aurea, capros et oves interpretatur (de Re rustica, libro II,) quas Hercules ex Africa in Græciam exportavit. Ea enim sua voce Græci *mala*, μῆλα adpellant. Hoc idem Diodor. lib. V. Draconem vero, hortorum custodiæ præpositum, intellexerunt Plin. et Solin. flexuosos maris meatus, qui pomaria Atlantis circuibant. Plura ad Met. ubi limes historiam inter et fabulam conterminus recentioribus documentis adsignabitur.

Una sed immensas arbor habebat opes.
At rubus, et sentes tantummodo lædere natæ,
Spinaque vindicta cetera tuta sua est.
Me, quia nec noceo, nec obuncis vindicor hamis,
Missa petunt avida saxa proterva manu.
Quid, si non aptas solem fugientibus umbras,
Finditur Icario quum cane terra, darem?
Quid, nisi suffugium nimbos vitantibus essem,
Non exspectata quum venit imber aqua?
Omnia quum faciam, quum præstem sedula cunctis
Officium, saxis officiosa petor.
Hæc mihi perpessæ, domini patienda querela est.

113. *At rubus, et sentes tantummodo lædere natæ.* Persimile apud Terentium, in Phormione, Act. III, scena I, 16:

... Non rete accipitri tenditur, neque milvio,
Qui male faciunt nobis: illis, qui nil faciunt, tenditur;
Quia enim in illis fructus est; in illis opera luditur.

— *At rubus et sentes lædere natæ.* Pro *natæ ad lædendum.* Græce potius, quam latine: πέφυκεῖαι βλάπτειν. Quamquam Græci πέφυκεν usurpant simili modo, pro *solet.* E.

116. *Saxa proterva.* Eodem modo *impudens lapis* dicitur ab Homero, qui commendatur ab Arist. lib. III, Rhetoricorum. CIOF.

117. *Solem vitantibus.* Hi versus non uno modo erant depravati: pro *vitantibus*, scriptum erat, *nutantibus;* et mox, pro *suffugium*, *suffragium;* reclamante etiam carminis lege. Non solum, inquit, fructifera et innoxia; verum etiam aliis modis commoda sum viatori: videlicet sub umbram meam confugit, quum non tolerat æstum solis, aut quum sub dio subito oborta pluvia occupavit. ERASM. — *Mutantibus* scripti fere omnes; quod quamvis video, quomodo explicari possit, tamen *vitantibus* reponi debere existimo. Amor. III, Eleg. VI:

Ipse sub arboreis *vitabam* frondibus æstum.

Tibullus, libro primo Eleg. I, *canis æstivos ortus vitare sub umbra Arboris* pari modo dixit. HEINS. Sed mox iterum sequitur, *vitantibus;* quare dubitat Burmann. an non hic *fugientibus* sit retinendum; nisi sequenti versu *nimbos fugientibus* malis; quod est commodius.

118. *Finditur Icario quum cane terra* etc. Sirius, sive προκύων, quod sit in capite stellæ, quæ *canis* dicitur. Produnt hunc fuisse comitem Icari, qui domini corpus exstincti prodiderit; quod ipsi officium locum inter sidera meruit. ERASM.

121. *Quum præstem sedula cunctis. Quum cunctis sedula præstem,* Neapol. *sedula nutrix*, Junian.

122. *Officiosa. Invidiosa* duo libri et Bersmanni, qui id minus belle legi censet.

Causa habeor, quare sit lapidosus ager.
Dumque repurgat humum, collectaque saxa remittit,
Semper habent in me tela parata viæ.
Ergo invisa aliis, uni mihi frigora prosunt:
Illo me tutam tempore præstat hiems.
Nuda quidem tunc sum; nudam tamen expedit esse;
Nec spolium de me, quod petat, hostis habet.
At simul induimus nostris sua munera ramis,
Saxa novos fructus grandine plura petunt.
Forsitan hic aliquis dicat: quæ publica tangunt,
Carpere concessum est: hoc via juris habet.
Si licet hoc, oleas distringite: cædite messes,
Improbe! vicinum carpe, viator, olus.

124. *Causa habeor.* Tibull. lib. I, Eleg. III, 17:

Aut ego sum *causatus*, aves dant omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.

Francius malebat, *causa feror.* — *Causa habeor quare sit lapidosus ager.* E conjectis in nucem saxis.

126. *Habent in me. Habent mediæ* cogitabat aliquando Heinsius. — *Semper habent in me* etc. Saxa scil. quæ dominus agri, dum *repurgat*, in viam remittit.

128. *Illo me tutam.* In nonnullis impressis, *illo ne metuam tempore.* FABR. Scripti nonnulli, *Illo ut non metuam.* Forte, *Illo, ne metuam.*

131. *Sua vellera.* In omnibus adhuc impressis exemplaribus legitur aut *vellera*, aut *vulnera;* sed depravata est dictio: legendum enim est, ex manuscriptorum codicum auctoritate, *sua munera;* id est fructus, ut etiam ex sequenti pentametro cuivis constare potest. M.

132. *Grandine plura.* Hyperbolice dicit; quod Græci χαλαζηδὸν.

133. *Forsitan hic aliquis dicat.* Quod sibi objici posset, confutat exemplis. Quæ cujusquam civitatis publica sunt, communi omnium, qui ex eadem sunt civitate, usui deserviunt. Nux igitur in publica via sita communis est, ex qua omnes ejus civitatis homines fructus capere possunt. Eodem sensu sunt illa Ciceronis libro I, de Offic. « Multa, *inquit*, sunt civibus inter se communia: forum, fana, porticus, viæ, leges, etc. » *Publica* autem et *communia* interdum apud Jurisconsultos confunduntur. CIOF.

134. *Hoc juris.* Sic Eleg. I, lib. I, Amor. v. 5:

Quis tibi, sæve puer, dedit *hoc* in carmina jus?

Id est, hoc jus, hanc facultatem.

135. *Si licet hoc.* Scripti plerique, *Scilicet;* et pro *hoc*, prima editio et quinque manu exarati, *has:* duo, *hic;* unus, *huc.* Opinor refingendum, *Scilicet ite, oleas distringite.* Quomodo Columella libro XI, c. II. *Tum et olea distringenda est, ex qua velis viride oleum efficere.* H. — Captiosa quidem exempla, sed ingeniosa.

Intret et urbanas eadem petulantia portas;
Sitque tuis muris, Romule, juris idem.
Quilibet argentum prima de fronte tabernæ
Tollat; et ad gemmas quilibet alter eat.
Auferat hic aurum : peregrinos ille lapillos;
Et quascumque potest tangere, tollat opes.
Sed neque tolluntur : nec, dum regit omnia Cæsar,
Incolumis, tanto præside, raptor erit.
At non ille Deus pacem intra mœnia finit:
Auxilium toto spargit in orbe suum.
Quid tamen hoc prodest, media si luce, palamque
Verberor, et tutæ non licet esse mihi!
Ergo nec nidos foliis hærere, nec ullam
Sedibus in nostris stare videtis avem.
At lapis, in ramo sedit quicumque bifurco,

137. *Intret* etc. *Intret in urbanas* Ambrosian., *violentia* Bodl. et Junii.

138. *Sitque tuis muris* etc. Nove, inquit Erasmus, *tuis muris*, pro *in tuos muros*. Mœnia sunt inviolata ; nam Romulus ob violata, Remum fratrem occidit. Ad id adlusit poeta; nec gratia caret apostrophe.

139. *Prima de fronte tabernæ. Primæ* concinnius vetus editio, et quatuor scripti. Sic in Tristibus, I, 6. *Primi fronte libelli.* Heins. Nihil muta : ita *prima frons*, passim, etiam de aliis rebus. Vid. ad Phædr. Prolog. lib. IV. Burm.

140. *Et ad gemmas quilibet alter eat.* Adnota hic vim verbi *ire*. Donatus in Terent. And., Act. I, sc. V: *Itur ad me, quasi ad hostem.* Plaut. in Pseud. *Itur ad me.* Virg. IX, 423:

... Simul ense recluso, Ibat in Eurya lum.

Lapillos, uniones. Ciof.

142. *Potest tangere, tollat opes.* Quidam libri, *tollere, tollat.* Neapolitanus, *tangere, tangat.* Heins.

143. *Dum regit. Dum reget* legebat Douza.

144. *Raptor.* Recte : quasi fur manifestus. Ciof.

148. *Et tutæ non licet esse nuci.* Sic plerique scripti : sed verum est, *tutæ mihi*, quod vetus editio, cum Mediceo et Erfurtano libro, agnoscit. Heins.

149. *Ergo nec nidos* etc. Ne quid omitteret argumentorum, hinc quoque colligit improbitatem viatorum, quod ob densitatem saxorum, nullæ aves nidulentur in ramis ipsius : quod tamen accidere probabilius est, ob nativam amaritudinem foliorum et corticis, gravemque nidorem. Erasm.

150. *Videtis. Videbis*, duo scripti.

151. *Bifurco. In ramos bifulcos* Neapolit. *Venit* unus liber : *ut lapis*, aliæ editiones.

Hæret; et, ut capta victor in arce, manet.
Cetera sæpe tamen potuere admissa negari,
Et crimen nox est inficiata suum.
Nostra notat fusco digitos injuria succo,
Cortice contactas inficiente manus.
Ille cruor meus est : illo maculata cruore
Non profectura dextra lavatur aqua.
O ego, quum longæ venerunt tædia vitæ,
Optavi quoties arida facta mori!
Optavi quoties, aut cæco turbine verti,
Aut valido missi fulminis igne peti!
Atque utinam subitæ raperent mea poma procellæ;
Vel possem fructus excutere ipsa meos!
Sic, ubi detracta est a te tibi causa pericli,

153. *Cetera sæpe tamen potuere admissa negari* etc. Ea dicit crimina, quorum *nox* sola conscia fuit, et quæ potuit ideo negare; *inficiata est.* Quid igitur sibi voluerunt, qui sensum adeo planum et facilem, lectionum incongruitate perturbarunt, libros, vel etiam MSS. adducentes, quorum alii *vox*, *nux* alii, nonnulli etiam *ut est uxor*, et alia istius modi veræ et genuinæ lectioni præposuerunt? Unde Heinsius ipse aliquando cogitaverat *noxa*; ita ut, qui vir res nonnunquam caligine densissimas improvisa luce feliciter illustraverat, repente caligaret, in re omnium minime obscura; neque hic videret, quod alibi centies animadvertendum curaverat, lapsum scil. calami, in exscribendis vocibus, literarum inter se configuratione simillimis.

157. *Ille cruor. Ille color* Francof.

161. *Aut cæco turbine verti. Cæcum* ideo vocat, quod insano tumultu ruat, et cuncta sine discrimine ullo perflet. Sic *cæcum* amorem dicimus, et furorem *cæcum*. — *Cæco turbine verti. Verti* pro everti capiendum esse notavit Douza: ut apud Virg. Æneid. 1, 20:

... Tyrias olim quæ verteret arces.

Quod Pierius efficacius esse docet, quam *evertere*. Sed MSS. Moreti et alius, *venti*: forte, *cæci turbine venti*, *Aut valido* etc. *Certo turbine*, duo libri: *aut rapido*, sex scripti cum prima editione; etiam bene, nam ignis proprie *rapidus*. Burm.

163. *Atque utinam subitæ* etc. Ventus enim vehementior frequenter excutit mala, pyraque; sed juglandes hærent, tenacius ligno adfixæ; nec temere, nisi saxis aut pertica ex arbore excutiuntur. Rursus fructus alii, ubi immaturuerunt, sponte in terram decidunt; quod non Nuci; ideoque exoptat sibi id quoque evenire. Erasm.

165. *Sic, ubi detracta est a te tibi causa pericli* etc. Fabulis receptum est Fibrum, quum venatores, ut

Quod superest, tutum, Pontice castor, habes.
Quid mihi tunc animi est, quum sumit tela viator,
Atque oculis plagæ destinat ante locum?
Nec vitare licet moto fera verbera trunco,
Quem sub humo radix vinclaque firma tenent.
Corpora præbemus plagis : ut sæpe sagittis,
Quum populus manicas deposuisse vetat;
Utve gravem candens ubi tolli vacca securim,
Aut stringi cultros in sua colla videt.
Sæpe meas vento frondes tremuisse putastis :
Sed metus in nobis causa tremoris erat.
Si merui, videorque nocens, imponite flammæ;
Nostraque fumosis urite membra focis.

eum capiant, insequuntur, testes sibi amputare, illisque eos abjicere, atque ita venantium insequentiumque manus effugere. Hac de re Æsopus fab. XXXIII. CIOF. — Sextius vero apud Plin. XXXII, 3, negat id esse verum, quod hoc animal testes habeat pusillos, ac lumbis substrictos; nec posse avelli, nisi cum vita. — *Pontice.* Sic dictus Castor, vel Fiber, quia in Ponto frequentissimus :

... Virosaque Pontus
Castorea (Mittit.) VIRG. Georg. I, 57.

— *Causa pericli. Castoreum* designat, quod frequentis apud Medicos usus, et ideo *causa periculi* est Castori. Falso credebant veteres virus illud e testibus animalis emitti, quum e loculis effluat, intestinis subsidentibus.

167. *Quid mihi tunc animi est.* Summam movet commiserationem. Virg. de Didone, Æn. IV, 408 :

Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus?

— *Tela.* Proprie : si *saxa* dixisset, rem non satis expressisset. CIOF.

169. *Fera verbera trunco. Vulnera*, novem scripti.

170. *Radix vinclaque firma. Vinclaque sæva*, Lovaniensis : *curvaque vincla.* Francof. et edition. veteres : sed Mediceus, et editio una vetus, *vincula curva :* recte, judice olim Heinsio, si *vincula firma* reponas, et per appositionem capias. BURM.

173. *Utve gravem candens* etc. *Pascens* octo scripti ex nostris : alii duo cum veteri editione, *pavida est;* quod et Ciofanus ac Fabricius ex suis probarunt. Erfurtanus codex satis antiquus, *pandens.* Forte, *candens vacca.* Victimæ enim albæ, ut ex antiquis auctoribus est compertum, nisi quæ Dis inferis cædebantur. HEINS.

177. *Imponite flammæ.* Forte legendum, *imponite flammam :* ut intelligatur, arborem succisam exuri. Id si non placet, intelligamus illam excisam, illic exuri, ubi nata est.

178. *Nostraque fumosis* etc. Quorum deplorata malitia est, capitis supplicio velut amputantur a cor-

Si merui, videorque nocens, excidite ferro,
Et liceat miseræ dedecus esse semel.
Si nec cur urar, nec cur excidar, habetis,
Parcite : sic cœptum perficiatis iter!

pore civium : in arboribus deploratis, duplex est pœna capitis : aut enim *exciduntur*, ut admoveantur focis ; aut si non est tanti, *exuruntur*, injecta flamma, ut vestigium exustæ testetur fuisse noxiam. Facete vero ramos dixit *membra*. — *Si merui.* Convenit affectui repetitio. ERASM.

180. *Et liceat miseræ dedecus esse semel.* Ignominia quidem est affici supplicio ; sed majus multo supplicium pati quotidie quod patitur ; ideoque orat ut miseræ liceat subire *dedecus*, quod ipsam perpetuo dedecori subducat, et ignominiæ, quæ sit momenti cujusque. Quod ita parum videtur Heinsius intellexisse, ut *nihil sani* in hoc versu inesse affirmet, et sic censeat refingendum :

Et liceat miseræ *dedoluisse* semel.

CL. V. RICH. BENTLEII

IN

P. OVIDII NASONIS

EPISTOLAS HEROIDUM

EMENDATIONES INEDITÆ.*

EPIST. I.

V. 2. Ut. *Lege* tu. Ita Brinck. apud Lennep.
3. Danais invisa puellis. *Olim voluit* denos obsessa per annos.
6. Insanis. Incanis, *vel* Ægæis.
13. Violentos. — Glomeratos.
15. Ab Hectore. — Vulnere.
16. Timoris. — Doloris, ut MS. Voss.
27. Nymphæ. — Nuptæ, ut N. H. ** at sponsæ Cod. Dunelmensis.
28. Victa–Troia fata. — Quisque fortia facta.
31. Atque. — Jamque cod. D.
40. Dolo. — Metu.
47. Vestris. — Lacertis. Graïis. Cf. Remed. Am. 66.
48. Quod fuit. — Qua stetit.
52. Incola. *Olim* integra : *postea* accola. cum N. H.
65. Veri. — Vestri. Cf. Trist. III, Eleg. 3, 26.
66. Habitas–abes. — Habites, agas.
82. Immensas. — Invisas.
91. Dirum. — Dicam.
95. Actor. Sic MS. D. 100. Invitis. — Ignaris.
105. Armis. — Annis, ut V.

* Desumtæ e margine edit. vel Burmanni, vel Nicol. Heinsii. Liber uterque servatur in Musæo Britannico. *Classical Journal*, NN. XXXVII, et XXXVIII, M. D. CCCXIX.

** Per literam V, intellige textum *vulgatum*; et per N. H., Nicolaum Heinsium.

V. 110. Tu citius venias. — Tu citus advenias. *Vel* spe citius venias. Cf. Fast. IV, 600.
113. Jam. — Tu.
Abjudicari videntur 37, 8; 39, 40; 83, 4; 99, 100; 111, 2.

ULIXIS AD PENELOPEN RESPONSIO.

(AULO SABINO AUCTORE.)

V. 5. Mallem. — Malles.
6. Tibi dicere feram. — Te discere fero.
11. Curæ est. — Curas, ut V.
37. Colchiacis herbis. — Iolciacas herbas.
44. Mea. — Mei.
49. Semper. — Nempe.
86. Ipsa reperta. — Visa repente. — Usa repente, ut Burm.
102. Ira. — Illa.
116. Mala. — Nece.
118. Herculeam. — Tyndaream.

EPIST. II.

V. 3. Quater. — Semel, ut V.
6. Sithonis. — Bistonis. Cf. 90.
10. Invita nunc et amante *nocent.* — Invitæ nunc, et ut ante, *nocent.*
25. Et verba et vela. — Et vela et verba.
27. Nisi. — Si.
31. Jura. — Pacta. (Si recte video.)
35. Quod totum undis. — Bistonium-auris, *vel* æstu.
37. Fictus. — Falsus.
39. Nimiumque. — Natique; *vel* Per Venerem et natum, nimium facientia tela.
62. Quæcumque. — Cuicumque, ut voluit Burm.
74. Capta. — Cæsa.
75. Turba. — Serie.
90. Lavabis aqua. — Levabis humo.
121. Littora. — Vimina.
122. Æquora lata. — Littora nota. Cum MSS.
129. Minus et minus utilis adsto. — Minus est mihi mentis, ut adsunt.
144. Electum. — Electu, ut V.
148. Illa. — Ipsa, ut Vulg.
Abjudicari videntur, 17, 8.

DEMOPHOONTIS AD PHYLLIDEN RESPONSIO.

(AUCTORE AULO SABINO.)

V. 19. Occurrere. — Succurrere, ut N. H.
21. Tibi. — Tuis. *Id.*
22. Quæque. — Curre. *Id.*
47. Ignosce-et es. — Ignoscet-est. *Id.*
83. Revocaret noctis. — Revocarent noctes. *Id.*
94. Quoque currit. — Mihi credit.
101. Mihi. — Jam.
103. Excuset patrem fatis in parte relicta Gnosis. *Olim volvit :* Accusat patrem, satis est, si fama relicta Gnosside. *Postea nihil mutat, præter* in parte, *legendo*, non sponte.

EPIST. III.

V. 1. Rapta. — Capta.
11. Vultum. — Vultus, ut MSS.
12. Noster. — Vester, ut N. H.
30. Blandæ preces. — Blanda prece.
36. Sæpe. — Nempe.
39. Si. — *MS. Renaldi et D.* Non. *Lege* Sic.
44. Nec venit in cœptis aura. — Nec veniet votis hora. Conf. Pont. III, 3.
48. Tribus. — Quibus, ut Francius.
58. Linea vela. — Lintea vela. *MS. Harl.* 2758, Linthea vella.
60. Animi. — Animæ, ut N. H.
61. Violente. — Tu lente.
67. Jam. — Tam, ut Gruter.
80. Et. — Sed.
95. Secessit ab. — Secesserat. Burm.
96. Negavit. — Negarat.
98. Pro nullo cadent. — Pollicito carent.
100. Sæpius dominum. — Scilicet domini.
112. Facta. — Capta.
115. Et si quis quærat. — Si quis nunc, ut Puteaneus.
124. Tua. — Tibi. Scriver.
132. Præsentisque. — Præsentesque, ut V.
Abjudicari videntur 61, 2.

EPIST. IV.

V. 3. Quodcumque est. MS. D. Quidquid id est.
8 Destitit. — Restitit, ut Douza et alii.
15. Fovet. — Vorat. Cf. ad Liviam, 134.
16. Figit. — Frangat.
24. Animo. — *Vel* humero, *vel* collo.
25. Crimen. — Regimen.
43. Est mihi per. — Estque mihi in.
48. Quæque. — Quasque.
53. Pendamus. — Reddamus.
59. Perfidus. — Tertius. Cf. Epist. XVI, 328.
67. Vobis. — Nobis, ut V.
78. Et pulvis. — Ut nævus.
79. Ferocis. — Fugacis, ut MS. 2.
81. Vastum. — Lentum, ut V.
86. Materia digna perire tua. — Materies digna vigore tuo.
101. Jam primum. — Jam pridem.
106. Utrumque. — Utrimque, ut Burm.
128. Fugit. — Fugat.
137. Licet illa. — Virum illo. Cf. Fast. IV, 149.
141. Dabitur. — Duri, ut V.
149. Precari. — Vocari.
150. Fastus. — Flatus, ut N. H.
155. Depuduit. — Relinquit. — Depudui. — Reliquit.
160. Tepidum movet. — Rapidum vehit.
170. Perdendas. — Prædandas, cum MS.
176. Perlegis : at. — Perlege : sed, ut MS. Lincoln.
Abjudicari videntur, 175, 6.

EPIST. V.

V. 6. Crimen. — Sidus. Cf. Ep. VIII, 88.
8. Quæ. — Cui.
33. Illa dies fatum miseræ mihi dixit; ab illa. — Ille dies ater miseræ mihi luxit; ab illo.
41. Peracta. — Parata, ut V.
45. Vidisti. — Pressisti.
62. Illa resistit. — Ille residit.
68. Fœmineas genas. — Fœmineum gregem.
83. MS. *Rolandi.* — Nec tamen.

V. 89. Est tibi. — Est; ibi.
121. Vox erat in cursu, ut N. H.
125. Insignis. — Præsignis, ut MS.
126. Patrios-Deos. — Socios, ut MSS. toros.
141. Tamen ungue. — Prius ungue. V. tamen ante.
152. A nostro. — E nostro, ut Ciofan.

PARIDIS AD ŒNONEN RESPONSIO.

(AUCTORE AULO SABINO.)

V. 15. Reginam-nisi. — Reginæ-non.
18. Læsa es. — Læderis.
65. Mavors-ultroque. — Mavult-superosque.
78. Metuenda. — Retinenda.

EPIST. VI.

V. 15. Ipse ista, ut N. H.
18. Obsequium. — Officium, ut MSS.
24. Venerat; et. — Venit, et ut.
29. Mihi. — Deos.
37. Devicto serpente. — Restabat serpens. Cf. Fast. v, 361. Metamorph. I, 700; II, 655.
38. Fidem. — Vicem.
39. Cursuque. — Cursune.
40. Ingenio-facta tuo. — Indicio-nostra suo. MS. D. ñra.
52. Castra. — Transtra. Cf. Virgil. Æneid. IV, 604.
55. Vidi tectoque. — Vidua, ut N. H. lectoque.
63. Fluentibus. — Cadentibus, ut V.
66. Ventus tenet. — Vento tument, ut Franc.
76. Cor dolet. — Dedolet. Cf. Remed. Am. 294.
77. Perdo. — Perdam.
78. Concidat. — Concidet.
82. Expectata. — Expectato. Cf. Epist. XII, 182.
83. Carmine movit. — Carmina volvit.
87. Flumina. — Fulmina, ut MSS.
88. Movet. — Trahit.
93. Herbis. — Istis.
100. Favet. — Volet. MS. D.
104. Revellit. — Revexit, ut Broukh. MS. Refixit.
108. Patria. MS. Prīa, *pro* Ripa.

V. 111. Vir non. MS. R. Cur non, ut N. H.
119. Nunc. — Quin. Cf. Epist. xv, 151.
130. Corpora. — Viscera.
133. Virgo. — Furto. Cf. supr. 43.
140. Iratis. — Infirmis. Cf. Am. 1, 7, 66.
150. Suis. — Tuos, ut MS. Lincoln.
152. Ipse. — Ille, ut Burm. ad Æneid. VII, 110.

EPIST. VII.

V. 4. Adverso. — Averso, ut N. H.
11. Nova. — Mea.
12. Summa. — Byrsa.
15. Terram. — Tamen.
17. Alter habendus amor. — Altera habenda uxor.
37. Innataque. — Elataque.
40. Fluctibus. — Flatibus. Cf. Epist. XVIII, 211.
53. Quid si nescieris. — Quid, quasi nescires.
55. Etiam. — Viam.
56. Tamen latus. — Etiam lætus. Hoëufft. Pericul. Crit. p. 277. Tamen lætus.
63. Precor. — Procul.
89. Fluctibus. — Syrtibus.
105. Culpæ. — Fassæ.
113. Internas. — Hercæas, ut N. H. *vel* heu Tyrias.
122. Portas urbis et arma. — Populos Martis ad arma.
147. Ut moveas veloque tuas remoque carinas. MS. D. Ventoque tuas. MS. Scriverian.
150. Advectas. — Avectas.
152. Sceptraque sacra. — MS. D. Sceptraque regna.
160. *Vel distingue*, Mars ferus; et damnis-tuis. *Vel lege*, hactenus; et *etc.*
169. Frangentia. — Plangentia, ut N. H.
175. Laniataque. — Laceratáque. Ita H. Bolsius, Silv. Crit. p. 104.
194. Marmore. — Margine.
196. Usa. — MS. D. Icta.

Abjudicari videntur 85, 6, 7, 8; 97, 8.

EPIST. VIII.

V. 3. Renui.—Tenui, ut MS. Coke. MS. D. Feci, *et pro var. lect.* Tenui.
21. Sedisset. — Flevisset.

V. 24. Numeros. — Vires. Cf. Met. VIII, 7.
51. Vita. — Meritis.
34. Plus quoque qui-posset. — Plus patre-quo pollet. Cf. Ep. XIX, 76.
39. Permittet. — Concedet.
44. Facta. — MS. D. Acta.
48. Melius. — Medios. Et sic Nodell. Observ. crit., p. 16.
52. Causa. — Nempe.
59. Objectet. — Objecit, ut V.
73. Rapta. MS. D. Rapta ; *et pro var. lect.* Vecta.
99. Tibi. MSS. D. et R. Tua.
104. Munus et. — Muneris hoc, ut N. H.
107. Nox-Thalamis. — Mox-Thalami.

EPIST. IX.

V. 1. Nostris. — Vestris, ut MSS.
2. Pelasgiadas. — MS. D. Pelasgiacas.
4. Decolor. — Discolor, ut MSS.
10. Tanti. — Satis, ut MSS.
15. Tota. — Tuta, ut N. H.
19. Misero. — Vestro. Cf. Epist. XI, 79. Nostrum pudorem.
20. Macula stupri notas. — Maculas turpi nota. Ita Burm. Secund. ad Propert. I, 2, 31.
35. Votis. — Studiis, ut MS.
40. Omniaque. — MS. D. Ominaque.
45. Iræ. — Æstu, si recte lego.
52. Tibi. MS. D. latet ; *et pro var. lect.* tibi est.
53. Præfertur. — MS. D. narratur.
55. Toties qui terris errat. — Toties terris errator.
56. Lassas. — Lapsas, ut V.
58. Illo. — Collo, ut MS.
78. Æquaque. — Et data. MS. D. *vel* Grandia. Cf. Ep. X, 90.
83. Eximias pompas, præconia summa triumphi. — MS. D. Eximiis pompis, immania semina laudum. *Lege* Exuviis positis, immania semina laudum.
86. Cunis. — Nodis, ut N. H.
88. MS. D. Incubuit, vasto pondere læsit humum.
97. Lævumque. — Dextrumque, ut MSS.
104. Nota. — Bina, ut MSS.
120. Sensus mollis. — Visus omnis.
123. Captiva. — Carpenta. Cf. Fast. I, 619.

V. 124. Venit. — Vehunt.
126. Vultus-tegendo suos. — Cultu tegens-ve suam. MS. D. suam.
129. Sublime sub. — Sublimis ut.
133. Insani. — Inachii. Cf. Met. IX, 112.
134. Corpora. — Fœdera.
141. Letifero Eveno. — Lotifero Eveno.
143. Scribenti. — Referenti. MS. D.
156. Fuit. — Perit.
160. Fatis. — Festis. MS. D. thoris; *et pro var. lect.* titulis *et* thalamis. *Idem* insidiosa.

Abjudicari videntur 17, 8; 61, 2; 75, 6; 81, 2; 135, 6.

EPIST. X.

V. 3. Quæ. — Quam, ut MSS.
8. Tectæ fronde. — Tactæ rore, Fast. IV, 166; sed Cf. Art. Am. I, 58. Met. I, 44.
9. Vigilans a. — Vigil anne a. Cf. Epist. XX, 230.
10. Pressuras. — Prensuras, ut V.
21. Clamanti. — Clamavi. MSS. D. et R.
26. Hinc. Ita MS. D. Hic, R. *Lege* Nunc.
31. Aut-me. — Ut-te.
40. Late. — Longe.
45. Me mea. — MS. D. Me mala. R. Te mea.
46. Desieram. — MS. D. Desierant.
70. Cara. — Bina.
73. Tu. — MSS. Tum, *vel* Tunc.
75. Vivis. — Vivo, *vel* Vivit, ut V.
86. Sævas tigridas insula habet. — Sæva tigride sylva vacet. Partim cum N. H.
95. Rapidis. — Rabidis, ut MSS.
104. Recepta. — Relecta, ut N. H.
106. Tinxit. — Planxit. *Id.*
113. Dextera-necavit. — Dextraque-necasti.
120. Qui digitus. — Quæ digitis.
126. Urbis-arce. — Turbæ-ore, ut N. H.
141. Quoniam-cessit adoro. — Quod jam-cesserit oro.
143. Nec-si. — Ne (ut MSS.) sim.

Abjudicari videntur 1, 2; 45, 6; 85, 6; 95, 6; 145, 6, 7, 8.

EPIST. XI.

V. 10. Spectasset. — Spectaret, ut V.

V. 61. Fratri nam. — Germani. MSS. Germano.
65. Tibi. — Mihi.
77. Pallentia. — Tabentia, *vel* Languentia.
80. Misero. — Miseræ, ut Franc.
89. Inimicus. — Immitis.
106. Admissi. — Amissæ, ut MSS.
101. Rapidarum. — Rabidarum.
Abjudicantur 1, 2.

EPIST. XII.

V. 6. Vitæ. — Vitam.
16. Oraque adunca. — *Vel* Cornuaque mea, *vel* armaque adunca.
17. Sensisset. — Jecisset, cum N. H.
29. Accipit. — Accipis.
65. Altera habebit. — Alter habebat.
80. Et si forte alios. — Per quoscumque alios.
110. Munus-quodlibet. — Nomen-quodlibet. Cf. Ep. VII, 168. *Sed lege:* Unius auxilio quidlibet esse tuli.
137. Hymen cantatus. — Hymenæus clarus, *vel* lætus. Cf. Lucr. 1, 97.
139. Socialia. — Genialia.
141. Putabam. — Patebat, ut N. H.
149. Jussus studioque. — Casu studione. *id.*
151. Abi. — Ades, *vel* adi.
163. Serpentes. — Serpentem ne. Cf. 196.
199. Dos ubi sit quæris. MS. D. Si quæras. Campo numeravimus illo. — *Id.* Numeramus in.

EPIST. XIII.

V. 15. Arreptaque. — Abreptaque, ut MSS.
34. Quo furor. — MS. D. Qua.
39. Ipsa comas pectar. — *Id.* pectam.
43. Dux Pari. — Dyspari, ut alii ante N. H.
50. Reduci. — Reducis. MS. D.
55. Se. — Si, ut N. H.
57. Multo. — Lato. Cf. Ep. IX, 127.
61. His ego-Ledæa. — Illis-Ledæi.
65. Cara. — Cura, ut Burm.
69. Facito. — Tacitus. — Tacite. N. H.
71. Fas. — Fatum.
74. Ut-quam. — MS. D. Et quod.
83. Quum amore. — Quam amare. Ita Jortin. Misc. Obs. II, 1, p. 23.

V. 87. Foribus. — Laribus. Cf. Ep. XVIII, 56.
104. Dolor-venis, *vel* memor-venis, *vel* precor-veni.
116. Lætitia. — Nequitia.
121. Verba. — Labra. Mox MS. D. Resistunt; *et pro var. lect.* resistent.
122. Retenta. — Refecta. Cf. Fast. IV, 610.
135. Omen revocantis abesto. — Revocaminis omen; ut N. H. cum Jureto facit MS. D.
137. Quæ si. — Quamvis.
140. Barbaraque. — Dardanaque.
162. Quod. — Tu. — MS. Ut.

EPIST. XIV.

V. 4. Piam. — Piæ, ut N. H.
18. Ossa. — MSS. Orsa. *Recte.*
23. Templa-tyranni. — Tecta-Pelasgi, ut V.
36. Audibam. — Audieram, ut Vulg.
42. Dederant. — MS. D. Dederam.
47. *Utrum* At rursus monitis, jussuque coacta parentis; *An* Admovi jugulo, sine me tibi vera fateri, *exhibeat* MS. D. *parum liquet e Bentleii notis.*
83. Pedibus. — Laribus. At MS. D. Manibus.
93. Umbra. — MS. D. Unda.
100. MS. D. dura; *et pro var. lect.* uda.
107. Portus. — Portas.
109. Senectus. — Vetustas.
128. Scriptaque. — MSS. D. et R. Sculptaque.
Abjudicari videntur 109, 110.

EPIST. XV.

V. 4. Veniret. — Movetur.
8. Ulla. — Illa.
11. Celebrat. — Celebras.
17. Candida Cydno. — Crede Gyrino.
32. Rependo. — Repende.
49. Consumpta. — Confusa.
63. Arsit inops-captus. — Carpsit opes vinctus. V. victus.
66. Quasque-nunc. — Quamque-tam.
83. Artesque magistræ. — Artisque magistra. Scil. Thalia.
202. Citharas turba-meas. — Citharæ verba-meæ.
211. Parantur. — Paramus, ut V.

V. 212. Laceras. — Crucias, ut MS.
Abjudicari videntur 219, 220.

EPIST. XVI.

V. 1. Ledea. Ledæi, ut N. H.
15. Sit. — Sint, ut MS. *Immo* rata sit; *id est*, spes.
22. Longa Phereclea. — MS. D. Feraclea.
33. Veluti. — Lentus. *Id.* Tanquam.
45. Ingentem. — In partu. Cf. Ep. XVII, 37.
53. Mediæ nemorosis vallibus Idæ. — Madidis nemorosæ collibus.
83. Nec te. — Me. *At voluit*, *ni fallor*, mea.
87. Probata. — Probatis.
91. Per. — Post.
96. Curaque amorque. — Cura dolorque, *vel* laborque.
99. Oculis, animo. — Oculis animi.
133. Obstupui. — Ut stupui, ut Franc.
138. Palma futura fuit. — Palma abitura foret.
143. Credis et. — Crede sed.
153. Cervice cruenta. — MS. D. *pro var. lect.* recisa.
167. Videbor. — Fatebor, ut MSS.
205. Tibi clara. — Titana.
206. Lumina-trepidos-equos. — Numina-trepidis-equis, *vel* cum trepidos a dape vertit equos.
241. Juvenum amores. — Aliquem amorem, ut vulg. MS. D.
256. Nutum. — Nictum. Cf. Ep. XVII, 82.
301. Ivit. — Risit. — MS. D. Esset; *et pro var. lect.* ivit. — Nando. *Id.* Cum jam.
302. Agas. — *Id.* Habe.
305. Speres. — *Id.* Credas.
309. Te nec mea. — Nec me tua.
320. Sacra-tuis. — Tua meis, ut V. *vel* stata.
336. Totaque Troja. — MS. R. Trojaque tota.
341. Dic quæ. — Ecquæ.
353. Vestræ. — Graiæ.
371. Indigner. — Indignum est. — Ferrum. — Bellum, ut MS.

EPIST. XVII.

V. 7. E gente. — De gente. D.
15. Ficto. — Acto. *Id.*
16. Duris torva. — Torvis dura. *Id.*; *et pro var. lect.* videor. *Lege* sedet in torvis cura.

V. 29. Contenta fuisset. — Contentus abisses.
40. Dicuntur. — D. Creduntur.
41. Matronaque. — Formosaque.
60. Nomine. — Sanguine. MSS. D. et R.
71. Semper. — Quondam, ut MS.
90. Quoque. — Ego. *Id.*
102. Magis–inest. Minus, R. Adest, D. et R. Nec magis, D; *et pro var. lect.* sed magis.
107. Præcerptaque gaudia. — Præcerptaque prædia. D. Præceptaque.
109. Optarem tibi Troica. — Optarim tua, Troice. *A* MS. R. *abest hoc distichon; in* D. *post sequens ponitur.*
127. Infirmo. — Inficior; ut. MS. D. Infirmor *et* offendor, *pro var. lect.*
128. Nam mea vox quare etc. *lege :* Nam cur vox, animus quod cupit etc.
157. Visum–cum. — Visa–dum.
167. Fama. — Forma.
168. Laudamur vestro. — Laudatur vulgi.
185. Quam male–possis. — Quod bene, ut MS. posses.
256. Digna tui. — Danda tuis, ut MS.
259. Faciam. — Sapiam.
261. Plura. — D. Ista.
265. Furtivæ. — Captivæ.
Abjudicari videntur 127, 8.

EPIST. XVIII.

V. 2. Sesta. — Sesti, ut MS.
17. Dominæ. — Etiam, ut V.
48. Parte. — Nave. *Si recte video.*
50. Adest. — Abest.
53. Cuncta. — Vera.
54. Tempora. — Gaudia.
76. Nocte. — Sponte; ut Franc.
79. Vox nostras nullum. — Vox usquam nostras.
84. Fortiter. — Nitor et. D. Fortior.
119. Vero est–huc. — Videor–ad te.
135. Solitarum. — Solidarum.
144. Vellere. — Tergore, ut Franc.
147. Arte egeo. — Parte querar. D. Parte moror.
153. Quod–et. — Quam–aut. *Postea voluit* quas–et. cum N. H.

V. 171. Hinc est quod raro. MS. R.
187. Quid cum mihi. — D. Quid erit cum.
203. Sed et ut mare. — Ut hanc. MSS. D. et R. *Mox* finiat : *lege* desinat, ut MS.
213. Pariterque. — Vestrique D. Tenerique R.
Abjudicari videntur 1, 2.

EPIST. XIX.

V. 11. Dona. — Mane.
18. Reddi. — Credi, ut V.
21. Mare. — Freta, ut MSS.
32. Hellespontiaca-aqua. — R. Hellespontiacas aquas.
36. Adsuetæ signa notamque viæ. — MS. D. Assiduæ signa notata viæ.
41. Exisse. — D. Cessisse.
49. Tactis. — *Id.* Terra.
70. Natator. — Morator, ut MS.
77. Jactati. — Pacati.
105. Quam crimine vulnerer isto. — D. Vulnere mordeor.
153. Faustos instillat in ignes. — D. Faustos dum stillat.
169. Quisque. — Uterque.
171. Amare. — Amori.
180. Fit puppibus. — Sit passibus.
207. Fratris. — Stratis.
Abjudicari videntur 29, 30; 65, 6; 147, 8.

EPIST. XX.

V. 4. Dolor. — Tui, ut Scal. — D. et R. Dolere dolor.
13. Idem. — MSS. D. et R. Et id. *mox* timeo : *lege* cupio.
20. Probasse. — R. Tulisse. D. Notasse.
33. Rogantia. — D. Precantia.
38. Caute. — Astute.
48. Tui cupido. — Meo cupidi. D. et R. Mei.
70. Victa. — D. Nempe, ut V. Virum. R. Suum.
74. Parva. — Facta.
93. Hoc quoque quod jus est. — MS. D. Hoc quod jussit amor; *et pro var. lect.* Jus sit. *Mox* Scriptum est.
101. Calydonis aper; nam scimus ut illo. — Calydon; nempe nescimus an illa. *Paulo ante* MS. D. Testis adest.
115. Existere. — Hanc fallere, ut MSS.
143. Præcerpere. — D. Abscidere; *et pro var. lect.* Decerpere.

V. 155. Humani. — Thalami, ut Franc.
159. Adjuravit. — D. Se juravit.
162. Num dubites. — An dubitas. MS. D.
172. Quid. — Te, ut Ed. princ. D. Ad te.
183. Aliæ-patiantur. — Alii patiuntur. D. Patientur.
184. Tristem. — D. Medicam.
212. Tuam. — Reor, ut MSS.
219. Sic tamen-quantusque. — Tu tamen-qualisque.
223. Probaris. — D. Probabis. R. Probatis.
228. Erat. — Eram.
230. Vigilans. — Vigilem: ut MSS.
235. Data-sonabunt. — Rata. *Mox* Salutis, *si recte video.*

EPIST. XXI.

V. 16. Pallida-putas. — Tabida-puta.
23. Jamque. — Cumque.
38. Proditis. — Perditis.
55. Dicam. — Dic mihi.
67. Æquore. — Tempore, *vel* Sidere.
91. Sacra. — Grata, ut MSS.
113. Veluti. — Vel humo.
127. Donis. — Proci.
135. Conjuravimus. — Nos juravimus.
167. Consurgere. — Consistere, ut Burm.
180. Atque. — Aque, *vel* Ave.
199. Tecto. — Clauso, *vel* demto.
205. Si-lingua. — At-si qua.
227. Adspiceres-prout. — Adspicias-quod et.
229. Cum sit. — Nisi si.
234. Testis. — Vocis.
238. Et vates hoc et mea. — Hoc vates hoc edita.
239. Numen. — Partes, ut N. H.
240. In tua vota, *vel* in tua jura, *vel* utilitate.
Abjudicari videntur 247, 8.

VOLUMINIS PRIMI

INDEX SPECIALIS.

Pag.

Præfatio IX

P. Burmanni secundi, an Naso primus Heroidum Epistolas conscripserit, Quæstio critica XXVII

Epistolæ primæ Argumentum 2

Epistola I. Penelope Ulixi 3

Versio græca hujus Epistolæ, auctore Carolo Utenhovio .. 13

De Carolo Utenhovio Notitia brevis 16

Ulixis ad Penelopen Responsio, auctore Aulo Sabino ... 17

De Aulo Sabino Doctorum testimonia inter se repugnantia *ibid.*

Epistolæ secundæ Argumentum 26

Epistola II. Phyllis Demophoonti 27

Demophoontis ad Phylliden Responsio; A. Sabino auct. 43

Epistolæ tertiæ Argumentum 50

Epistola III. Briseis Achilli 51

Epistolæ quartæ Argumentum 66

Epistola IV. Phædra Hippolyto 67

De Sidronio Hosschio Notitia brevissima 86

Hippolyti ad Phædram Responsio, Sidr. Hossch. auct. .. 87

Epistolæ quintæ Argumentum 98

Epistola V. Œnone Paridi 99

Paridis ad Œnonen Responsio, auctore A. Sabino 115

De Sabino quid sentiat et sentiendum putet interpres 121

Epistolæ sextæ Argumentum 122

Epistolæ VI. Hypsipyle Jasoni 123

Epistolæ septimæ Argumentum 142

Epistola VII. Dido Æneæ 143

In Didonem historicam excursus brevior 160

Epigramma græcum ex Anthol. idemque latine ab Ausonio conversum, cum Didonis Epitaphio ..... *ibid* et 161

Epistolæ octavæ Argumentum 162

Epistola VIII. Hermione Orestæ 164

Epistolæ nonæ Argumentum 172

Epistola IX. Dejanira Herculi 173

Pag.
Epistolæ decimæ Argumentum 190
Epistola X. Ariadne Theseo 191
Epistolæ undecimæ Argumentum 204
Epistola XI. Canace Macareo 205
Epistolæ duodecimæ Argumentum 214
Epistola XII. Medea Jasoni 215
De Jasonis et Medeæ fatis historica disquisitio 230
Epistolæ decimæ-tertiæ Argumentum 232
Epistola XIII. Laodamia Protesilao 233
Epistolæ decimæ-quartæ Argumentum 246
Epistola XIV. Hypermnestra Lynceo 247
Excerpta quædam e Gallico Dramate, cui tit. *Hypermnestre*. 258
Epistolæ decimæ-quintæ Argumentum 260
Epistola XV. Sappho Phaoni 261
Epistolæ decimæ-sextæ Argumentum 280
Epistola XVI. Paris Helenæ 281
Epistola XVII. Helena Paridi 309
Epistolæ decimæ-octavæ Argumentum 328
Epistola XVIII. Leander Heroni 329
Epistola XIX. Hero Leandro 345
Epistolæ vigesimæ Argumentum 362
Epistola XX. Acontius Cydippæ 363
Epistola XXI. Cydippe Acontio 381
Neronis Claud. Drusi Ἐπικήδιον, Ovidio probabiliter restitutum 397
Præfatiuncula, de auctore hujus Elegiæ 399
Elegiæ Argumentum 404
Ad Liviam Augustam, de morte Drusi Neronis, filii ejus, Consolatio 405
Halieutici Argumentum 436
Halieuticon Fragmentum 437
Argumentum Nucis 452
Nux, Elegia 453
Rich. Bentleii in Heroidum Epistolas, Lectiones ineditæ. 469

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

LL
Q 965Am

Ovid
[Quae extant omnia opera]; ex recens.
Heinsio-Burmanniana; ed. Amar, [Lemaire et
Boissonade]. Vol.1.

20271

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED